Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

1765

Visual Library

Brem.c.69

Brem
c
69

J. P. Casselii
1765.

Brum.
c.
69.

BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-
THEOLOGICA

CLASSIS QVINTAE
FASCICVLVS PRIMVS.

BREMÆ & AMSTELODAMI
Sumptibus Bibliopolarum
Viduæ b. G. W. RUMPII & H. VIEROOT.
MDCCLXIV.

BIBLIOTH. REG. MONACENSIS

REVERENDISSIMO PATRI

MAGNO BERONIO,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI,

EPISCOPO HACTENUS CALMARIENSI,

NUNC VERO

REGNI SUIO GOTHICI

ARCHIEPISCOPO,

ET

ACADEMIÆ UPSALIENSIS

PROCANCELLARIO

EMINENTISSIMO,

FULGENTISSIMA

IPSI,

MAGNO SUO MERITO,

A REGE CLEMENTISSIMO,

SUFFRAGANTIBUS OMNIBUS CIVIBUS,

COLLATA NUPER MUNERA

GRATULATUR HUMILLIME,

ET
CUM IPSE
IN ELEGANTISSIMO SERMONE
PARENTALI,
ANTE HOS VIGINTI ANNOS
UPSALIÆ PUBLICE HABITO, *)
QUO
PIETATEM CAMENARUM UPSALIENSIUM
IN BEATOS MANES
REVERENDISSIMI PATRIS
ERICI BENZELII,
REGNI SUEO GOTHORUM
DESIGNATI QUONDAM ARCHIEPISCOPI
ET
ACADEMIÆ UPSALIENSIS
PRO-CANCELLARII EMINENTISSIMI,
INTERPRETATUS EST,
OSTENDERIT,
QUALES AD BENE GERENDUM
ARCHIEPISCOPALE PEDUM
ET
PROCANCELLARII DIGNITATEM
REQUIRANTUR
INGENII, STUDIORUM ET VIRTUTUM
OMNIS GENERIS DOTES,
QUIBUSQUE IMPRIMIS MERITIS
IN ECCLESIAM ET ACADEMIAM,
AD GLORIAM SUMMI NUMINIS
ET

*) Sermonem hunc, Lector, D. v. huic Classi insertam, videbis.

ET INCREMENTUM
VIRTUTIS, PIETATIS ET PACIS,
IMMORTALE NOMEN
SIT COMPARABILE,
QUAS, ET QUALIA
IN ERICO BENZELIO
VENERATUS FUIT,
QUODQUE
VERE NOBILEM HANC IMAGINEM
SIBI JAM OLIM
PROPOSUERIT IN EXEMPLUM,
EAMQUE INDUERIT,
CONFIDENTISSIME AUGURATUR,
FORE
REVERENDISSIMUM BERONIUM,
DIVINA GRATIA FULTUM,
ECCLESIÆ SUECICÆ,
UTI SUMMUM,
SIC OPTIMUM PRÆSULEM,
ACADEMIÆ ILLUSTRE COLUMEN,
FULGENS PROTESTANTIUM DECUS,
DOCTOREM
B. OLAVO CELSIO
IPSIUS AVUNCULO,
QUIN PRISCIS PATRIBUS
SIMILLIMUM
ET REVERA,
JUXTA NOMINIS OMEN,
MAGNUM.

UT

UT IGITUR
PLAUDAT SUECIA,
PLAUDANT CAMENÆ UPSALIENSES,
PLAUDAT GENER,
MAX. REVER. AMNELLIUS,
S. THEOL. PROF. UPSALIENSIS,
PLAUDANT OMNES
PURIORIS RELIGIONIS ANTISTITES!

ITA
PLAUDIT QUOQUE LÆTISSIMUS,
ET
REVERENDISSIMO PATRI
GRATIAM ET AUXILIUM
ΤΟΥ ΠΟΙΜΕΝΟΣ ΤΩΝ ΠΡΟΒΑΤΩΝ,
ΤΟΥ ΜΕΓΙΣΤΟΥ,
DOMINI NOSTRI JESU
SUPPLEX APPRECATUR,
SEQUE
ET INSTITUTUM HOC,
CUJUS
FASCICULUS PRIMUS
CLASSIS QUINTÆ
IPSI SACER SIT,
PROLIXO EJUS FAVORI
COMMENDAT
TANTI NOMINIS
DEVOTISSIMUS CULTOR,
EDITOR
NICOLAUS BARKEY.

SERIES
OPUSCULORUM
FASCICULI PRIMI
CLASSIS QUINTÆ.

I. JOANNIS ab IHRE, *Cancell. Reg. Suecicæ Conſiliarii, Eloq. & Polit. Prof. & Skyttiani, ac de Stella Polari Equitis Aurati,* Vaticinium *de futura poſt aliquot ſecula Reipublicæ Litterariæ facie, per illa, quæ jam adſunt, indicia indagata.* pag. 1

II. OLAI CELSII, *Archipræpoſiti quondam Upſalienſium, S. Th. D. & Prof. &c.* vel ERICI O. BERG, *Uplandi,* Diſſertatio *de Arabum in Hiſpania regno* pag. 22

III. JOANNIS HENRICI PRATJE, *Superadtendentis Generalis Ducatuum Bremenſis & Verdenſis,* Commentatio *de verbo* הרשיע pag. 78

IV.

IV. EJUSDEM, Meditatio Exegetica, *in* 2 COR. IV, 6. pag. 90

V. CAROLI SEGAAR, *V. D. M. Ultrajectini* Obſervationes Critico-Theologicæ *in Caput* PRIMUM *Epiſtolæ ad* ROMANOS pag. 97

VI. JOANNIS MEDHURSTII, *V. D. M. in Eccleſia Bremenſi ad aedem Remberti, & Societatis Teutonicæ Bremenſis Membri*, Obſervatio *in* PS. LXII. pag. 119



I.

JOHANNIS AB IHRE,

CANCELLARIÆ REGIÆ SUECICÆ CONSILIARII ELOQ. ET POLIT. PROF. ET SKYTTIANI, AC DE STELLA POLARI EQUITIS AURATI,

VATICINIUM

DE FUTURA POST ALIQUOT SECULA REIPUBLICÆ LITTERARIÆ FACIE,

PER ILLA,

QUÆ JAM ADSUNT, INDICIA INDAGATA.*)

§. 1.

Si ſtatum Reipublicæ Litterariæ noſtri ævi intueamur, invenerimus, ad ſtupendum prorſus faſtigium ſcientias plerasque omnes jam modo evectas eſſe. Poſtquam enim diſſipatis ſuperio-

*) Ita vaticinatus fuit a. 1752. d. 15. Junii Ex-

periorum seculorum tenebris, hinc in verba magistri jurare, illiberale duximus, inde nostras conjecturas pro veritatibus venditare, desuevimus; certis passibus ad veritatis investigationem tetendimus. Ita Physicæ disciplinæ Mathematicæque innumeris novis veritatibus ditatæ exsplendescunt, postquam anthliarum, telescopiorum, microscopiorum, aliorumque longe plurium utensilium ope perspicaciam suam arma-

cellentissimus *ab* IHRE ad *Acta promotionis in Academia Upsaliensi Philosophicae*, qua ex Auctoritate Illustris *Car. Ehrenpreus, Senatoris, Regii Collegii Nomothetici Praesidis, & Academiae Cancellarii, LXXX Viros Juvenes Doctores & Magistros Philosophiae creabat, & renuntiabat.* Vaticinium hoc, quin æquis rerum arbitris gratissimum sit, nullus dubito; præcipue, cum unusquisque dictorum veritatem & pondus, imo & remediorum quoque præstantiam ad convictionem usque agniturus sit. Conferri quoque merentur S. Rev. JO. FRID. JACOBI, *Superintend. Cellensis* cogitationes hoc ipso anno evulgatæ. Ueber die gewöhnliche Erziehung junger Geistlichen: wahre Geschichte meiner Bemühungen, ein Polyhistor zu werden: bescheidene Beantwortung einiger Zweifel wider die vorhergehende Geschichte, und wider meine Gedanken von der Erziehung junger Geistlichen. p. 93. 153. 189. der **zweiten Sammlung vermischter Abhandlungen**, Hannover 1764. Qui autem *barbariem* seculorum Reformationem antecen-

den-

armarunt recentioris Philoſophiæ myſtagogi. Medica ſcientia, tot annorum ſedula experientia ſubnixa, Hippocraten ſuum Galenumque veneratur quidem; ſed præterit, & ſuffulta penitiori univerſæ naturæ cognitione, anatomiæ feliciore cultura, variisque novis inventis, clarum videt, ubi cæcutivere veteres. Philoſophia Theoretica, liberata horridulis terminis, glaucomati rudioribus objiciendo unice utilibus, jam veritatem ſimplicem proponit, nilque docet, niſi quod ſcire juvet. Practicæ diſciplinæ, certis indubiisque principiis innixæ, veritates ordine ſequuntur, nec, ut pueri muſcas, per ſaltum captant. Hiſtoria tanto jam ditior, quanto annoſior, nil ſibi ſine teſte credi jubet, & idoneos advocat; veritatem nudam ſibi narrandam n[illegible]it, &, ſi licet, narrat. Eloquentia cujusque linguæ, exoſa inſulſas Rhetoricorum argutiunculas, nativo decore ſe conſpiciendam præbet: quod tinnit, ignobili Parnaſſi plebecu-

dentium, & ipſo hoc opere Divino proſſligatam, ſuis coloribus cupit deſcriptam, adeat legatque *Orationem* IO ZUINGERI, *Prof. Baſileenſis*, de *Barbarie ſuperiorum aliquot ſeculorum, orta ex ſupina Linguae Graecae ignorantia*, inſertam *Tempe Helveticis T. VI. p.* 403. Horreſcit animus prolatis nefandæ hujus barbariei documentis, & ut Deus triſtiſſimum hujus generis omen avortat, omnes probi quam maxime cupiunt. N. B.

beculæ venandum relinquit, nullamque verbis aut phraſibus aliam elegantiam tribuit, quam quoad rem & loquentis affectum commode exprimere valeant. Philologiæ Ebraicæ Græcæque ſtudium innumeris locupletatum eſt modis, poſtquam illi Linguas cognatas, Syriacam, Æthiopicam & inprimis Arabicam, in ſubſidiis eſſe juſſerunt eruditi; huic vero ſanior critice & interior veteris hiſtoriæ cognitio plurimum lucis affudit, ut alia bene multa omittam.

§. 2.

Sed quamvis id ita ſit, neſcio tamen quo modo mihi in mentem veniat, ſua propediem ſtudiis & Reip. Lit. inſtare fata; verbo: fore, ut labentibus haud ita multis ſeculis, barbaries Europam, cultiſſimam modo tibi is partem, invadat, illæque adeo ſcientiæ, quibus jam, Auditores, tot vigilias, adeo improbum laborem, impenditis, una nocte involvantur.

Cogitatu hoc triſte quidem eſt, & quo adeo in lætitiam celebritatemque hujus diei erectis mentibus ſequius omen objicere non deberem: ſed quum tamen fatorum ſecreta retegere conſtituerim, patimini, Auditores, ut quid mihi triſtia hæc auguria injecerit, paucis expediam.

§. 3.

Omnium itaque primo vos obſervare jubebo, artes liberales, ut crearas res ceteres.

ras, perpetuo velut gyro circumagi, & poſtquam alicubi terrarum ſuum attigere faſtigium, ſubito mox lapſu corruere. Noſtis, Auditores, ſcientias artesque fere omnes apud Ægyptios prima ſua vidiſſe cunabula: ad Chaldæos Perſasque eas domicilia ſua deinde transtuliſſe, & ita porro erraſſe, donec tandem ad Scythas ceterasque gentes, quæ, ut barbaræ appellarentur, Græcorum Romanorumque placuit ſuperbiæ, transmigrarent. Si vero jam quid in his terris reſiduum ſit priſcæ ſapientiæ, inquiramus, videbimus Muſas omnes, & quicquid liberale vocari meretur, inde in perpetuum actum eſſe exſilium, felicesque has terras nil aliud jam eſſe, niſi horrida latronum ſpelæa, & antra Cyclopia magis quam artium gymnaſia referre.

§. 4.

Quum deinde poſt Philippi Macedonis, magnique illius filii, imperium Græcia caput exſerere incepit, extorres ſcientiæ liberaliſſimum in hoc Europæ angulo hoſpitium invenere, & brevi eo uſque crevere, ut æternas ſibi ſedes ibi promittere poſſe, viderentur. Nulla ars erat, quæ laute heic non efflorescceret: regnabant heic Philoſophi, orbisque dominium niſi habuiſſet Græcia, illud tamen virtutis & liberalium artium amore promerita fuiſſet. Sed flos

fuit ille caducus: ruit Hellas, ſuaque ruina involvit Phœbum omnesque Phœbi ſorores. Nunc incolarum omne in eo ponitur ſtudium, ut jugum patienter ferant: artes vero non niſi lucro conſent.

§. 5.

Roma, quæ deinde ſcientias iterum iterumque exſules accepit, adeo benignam earundem alumnam egit, ut non tantum priſca Græciæ hoſpitia nil deſiderarent, ſed etjam ſplendidius habitæ, conſulares triumphalesque viros nil minus, quam curule eorum ebur pictæque trabeæ, ornare cenſerentur.

§. 6.

Factum hinc eſt, ut diſciplinæ Theoreticæ Practicæque omnes eo aſcenderint culminis, id acquiſiverint roboris, ut jam a ſortis vicibus nil amplius timendum ſibi viderentur habere. Poëſis in primis, Oratoria, pingendi ſculpendique ſcientiæ, Architectonice, aliæque artes adeo tum efloruere, ut citerior ætas ſatis habuerit, felicia hæe exempla quadamtenusi imitari poſſe. Sed poſtquam per inteſtina diſſidia ex uno ingenti fortunatoque populo plurimæ natæ ſunt factiones, quarum nil intererat, quale futurum eſſet imperium Romanum, modo

modo ne ab æmulis teneretur; interiit sensim eorum libertas, perque suos numeros inscitia & artium liberalium neglectus ipsa Romanorum rostra occupavit, adeo quidem ut per irruptiones gentium exterarum tota simul barbaries in hoc orbis museum irruerit.

§. 7.

Hæ adeo tristes literarum vices nonae nos docere debent, frustra sperari, certas alicubi & æternas fore Musarum sedes; & quamvis videri posset, illas nimium altas in hominum animis radices jam egisse, nimiumque restata esse, quæ hominum generi afferunt commoda, quam ut ipenitus in desuetudinem abire possint, qui tamen norit, nunquam apud nos tantum literis tributum fuisse honoris, quantum olim in Græcia Latioque, in animum merito induxerit, nil facilius esse, quam ut per unam alteramve populi illiberalioris ingenii irruptionem, alios aliosque mores induant mortales: fieri proinde facile posse, ut, quæ apud nos jam fervent, studia ad intimos Americæ recessus exsulatum eant, aut ad Japanenses illi sit concedendum, qui literis initiari velit. Et si cui hoc parum consentaneum videatur, cogitet ille, ante viginti vel triginta secula Memphis, Alexandriæ,

aut Athenis, multo magis absonum fuisse asseveratu, fieri posse, ut dum ibi Apollineæ artes silerent, ad Bothnici sinus interiora, hoc est, ut illi interpretabantur, ultra cæli solisque vias, studia ab illis exposita benigne tollerentur, & lætum in modum vigerent.

§. 8.

Sed quum, quæ hactenus breviter disserui, non tam quid futurum sit, quam quid fieri possit, vobis pandere videatur; ulterius progrediar, & quæ habeam insecuturæ catastrophes hujus prognostica, breviter edisseram.

§. 9.

Inter præcipua recentiorum temporum inventa merito numeramus artem, quam vocamus typographicam, cujus quippe ope fit, ut eruditorum scripta, modico pretio venalia, comparari facile possint, quum antea unicus accuratiori manu exaratus codex tanti, quanti jam justa Bibliotheca, constiterit. Hoc vero subsidium ut promovendis literis supra quam dici possit, accommodum fuit, ita quemadmodum nil prodest, quod non obesse idem queat, vereor, & jure vereor, ne per hanc, post aliquot secula, multitudine libro-

brorum ita obruatur resp. literaria, ut instar corporis plethorici, in inedia unicum morbi solamen quærat. Id certe nostris jam temporibus percipimus, solidam illam, vel, si mavultis, diffusam eruditionem sensim magis magisque desiisse, & rerum deperditarum numerum auctum iviſſe. Ego certe dum *Scaligeros*, *Casaubonos*, *Salmasios*, *Grotios*, *Verulamios* aliosque plures ejusdem ordinis lego, pudor mihi, nescio quis, oboritur, tantoque magis ingentia hæc nomina admirari subit, quanto certius est, illum nostro ævo magnum quid & æternitate dignum censendum fuisse præstitisse, qui in uno scientiæ genere tantum assecutus sit, quantum illi in quamplurimis. Jam vero tempus nostrum in protheoria eruditionis fere consumimus, & quum, quid in re qualibet ante nos scriptum sit, legere, aut per nostram inertiam, aut breve vitæ tempus, non liceat, satis habemus, librorum titulos, & ubi recensiti inveniantur, nosse, &, pro captu horum reip. Literariæ Censorum, de illis judicium ferre. Immo vero si ipse meo stare judicio, si quid in quoque scientiarum genere scriptum sit, expendere voluero, aut quæ bona sunt de libris in libros traducta centies relegere cogar, aut deceptore titulo lusus, bonas horas meas aliorum nugis, &, quibus publicum op-

plent, quisquiliis impendam. Id enim dubio caret, plerosque eorum, qui jam scribunt, hac methodo agere, ut primum statuant, librum esse scribendum, dein vero anxie circumspiciant, quid scribendum sit, id est, unde librum compilandi materiem nanciscí queant. Hoc vero invento, faciunt, quod solent, qui interpolas vestes promercales exponunt: dissecant, resarciunt, laciniasque hinc inde promtas aptant consuuntque, parum solliciti, cui usui ementi sint futuri, modo emantur. Lectori interea miculæ auri inter has sordes sunt quærendæ: unde porro liquet, quo plura aggerantur fimeta, eo difficilius tædiique plenius fore scrutinium, donec tandem ne Hercules quidem ipse Augiæ huic stabulo expurgando vel vires vel patientiam habuerit. Et ita futurum arbitror, ut venturis seculis nauseam nostra molesta sedula diligentia procreemus, immo non hoc tantum, verum & Resp. Literaria futilibus scriptis ita oppleatur, ut pigeat tandem inceptiarum, minoresque nostri studium suum alio convertant.

§. 10.

Imo vero si nimium salis severior hæc censura habere videatur, probabo, ut stomacho humano etjam exquisitissimi cibi, sumti

ſumti intemperantius, nauſeam movent, ita quoque ſcripta quæcunque, quantumvis elegantiſſima, non poſſe non ingenia hominum ſua copia obruere. Res quippe & ſcientiæ eo uſque noſtrum diſcendi ſtudium acuunt & exſtimulant, quouſque ſpes eſſe poterit, fore, ut quadam tenus in illis progrediamur: alias enim ad rem tanquam imperviam horremus, noſtramque ignaviam alto ſcientiarum contemtu tuemur. Jam vero ſi tantus in poſterum, atque ad noſtros uſque dies futurus erit librorum proventus, nemo certe adeo audacem in Parnaſſum attulerit animum, ut, quid ante ſe ibi actum ſit, inquirere auſit, nec potius in ipſo limine attonitus pedem referat.

§. 11.

Nos quippe, Auditores, ſi quid de CYRO & DARIO Regibus noſtras pervenit ad aures, ſcitote, id non inde magis factum, quod eorum fata Herodotus, Diodorus, Xenophon aliique literis conſignarint, quam quod eorum acta tot non impleant volumina, quot deſcribendis geſtis FERDINANDI Imperatoris inſumſit Kævenhullerus, aut quot LUDOVICI tertii & quarti decimi imperiis enarrandis alii. Immo ſi faſti veterum Romanorum Conſulares tam grandia impleſſent volumina, atque non dicam

Thea-

Theatrum Europæum, ſed annales, aut ita dictæ memoriæ Lambertinæ, mihi credite, tam parum turpe duceremus, a prima usque origine urbis hujus fata ignorare, ac noſtra non intereſſe, præ nobis ferimus, ſeriem & familias Regum Japonenſium rimari, aut Chronologiam Sinenſium ſuis evolvere tenebris. Immo vero ſi jam inde ab Odini in Sveciam adventu Pufendorffii vel Nordbergii vitas Regum Svio Gothicorum ſibi ſcribendas ſumſiſſent; ſi alii res geſtas Regulorum Geſtriciæ, Helſingiæ, Nericiæ, Wermelandiæ ceterorumque enarraſſent; ſi quis olim eadem induſtria acta Daneholmenſia literis conſignaſſet, atque Pacem Weſtphalicam orbi erudito nuper dedit Mejerus, & ſic deinceps, creditisne, Auditores, jamdudum fuiſſe, quod illa omnia non magis conſulerentur, quam a nobis hodie leguntur ſcripta Alberti Magni, Lombardi, Scoti ſcriptorumque ejusdem ævi aliorum? Nomino de induſtria hoſce viros, hæc ſumma olim nomina, tanquam noſtræ ſortis certa præſagia, & in quibus, tanquam in ſpeculo, quæ nos noſtrosque auctores fata maneant, providere poſſumus. Ille enim nimium vanus fuerit, aut etjam in hiſtoria literaria plane hoſpes, qui in animum induxerit, hoſce Doctores aut ingenio minus valuiſſe, aut ſua

ætate

ætate minus celebres fuisse, quam hodie Wolffios, Bilfingeros, Thomasios Gundlingiosque. Sed tamen aut in recondito locupletioris cujusdam Bibliothecæ angulo cum blattis tineisque luctantur, aut in propolarum tabernis condendo piperi vel etjam crispandis crinibus inservium hæc eorum scripta, quæ auctoribus suis Angelicis, irrefragabilibus, æternitatem peperisse credebantur olim, quæque recentia adhuc auro contra cara vendebantur. Triste est cogitatu, idem, qui jam vivunt eruditionis antistitibus, esse eventurum: sed tamen erit, erit, inquam, quum Leibnitii & Newtoni non sine admiratione & pæne cultu quodam pronuntiata nomina, in eruditorum popello adeo confundentur, ut nulla lucerna inveniendi sint, & fortassis a nemine quærantur: immo quum plaustra scriptorum Wolfianorum eheu! paucis venum dabuntur assibus. Est hæc injuria, sed quæ plurimas ob causas evitari nequit. Donec enim aliquod literis pretium fuerit, existiterintque, quos in hoc stadio pulverem collegisse juvet, disciplinæ theoreticæ & morales alio alioque habitu semper induentur, & ita diverso, ut, in aliam transfusæ formam, tantum non novæ videantur: etjamsi unum fere idemque ac antea re vera sonent.

§. 12.

§. 12.

Deinde qui hoc tempore vivimus, quique reviviſcentium literarum fata adhuc mente & ſtudio conſequi poſſumus, Pindi hæc decora literarumque noſtræ ætatis anteſignanos recenti adhc veneratione colimus. Verum enim vero quum horum meritis, ut ceteris rebus omnibus, tempus ſenium induxerit, quum etjam mutata ſecula diverſum hominibus genium indiderint; reſpexerint fortaſſis, qui tum erunt homines, noſtri ævi eruditos, ut nos turris Babelicæ ſtructores, ſolertes quidem, ſed rei inutili operam ſuam oleumque impendentes.

§. 13.

Eſt quidem ſtudium hiſtoriæ Literariæ jucundiſſimum, & non inamœni uſus, unde noſtra memoria majori quoque, quam antea unquam, cura excoli cœptum eſt. Sed erit hoc, quod omnium primo concider, ſuoque caſu ceteris ruinæ omen afferet. Uti enim in ſcribendo nimium quam intemperantes ſunt multi eorum, qui literis ſua profitentur nomina, ita inconſulta ingenii fertilitate, ſenatum populumque Literarium ita obruunt, ut omnem bonam frugem occulant, aut etjam eneeent. In theatro quippe muſarum, ut in ceteris, locum

locum occupant non juſti tantum actores, ſed diſcurrunt quoque ciniflones & pediſſequi, qui ſpectatorum attentionem penitus ſæpe confundunt, ipſique non conſpiciendi ſua turba prohibent, ne conſpiciantur Roſcii: ſunt, inquam, in auctorum numero boni, ſunt mali, ſunt quoque mediocres; quum vero hos ab illis ſecernere non ſemper norimus, immo ne bonos quidem omnes quisquam legere poſſit; ideoque præſtare judicaverit, ſine metaphora nil agere, quam iſthmum hunc perfodiendum ſibi ſumere.

§. 14.

Inceperunt, ut aliquid exempli loco afferam, Lipſienſes eruditi adulto ſuperiori ſeculo acta literati orbis in ſingulos annos juſto volumine edere. Nondum octoginta annis elapſis eorum induſtriæ centum fere volumina accepta referimus. Quid vero futurum erit, ſi per quatuor aut quinque ſecula hic labor continuatus fuerit? creditis, quenquam facile adeo otio abundaturum, ut vel unos hos eosque laude digniſſimos annales literarios evolvat? Et ſi pectoris adeo firmi ſedulitatisque adeo pertinacis ſibi conſcius fuerit, ut huic operi perlegendo ſe accingat; quantula, quæſo, hæc portio erit eorum, quæ alibi terrarum

rarum lucem viderunt? Deinde etjam immenſus hic liber non niſi ſtatua eſt mercurialis, alio lectorem ablegans, ſummamque perbrevem continens eorum, quæ ab ipſismet auctoribus pleniori verborum copia ediſſeruntur. Jure itaque mihi videor, augurari poſſe, eventurum huic reliquisque ſimilibus ſtudiis, quod univerſæ naturæ partibus ſolenne eſt, quæ quum maturuerunt, & ad conſtitutam perfectionem pervenerunt, hæ lento gradu, aliæ properato curſu, aliæ denique præcipiti lapſu ad ſua revertuntur initia, hoc eſt, penitus diſparent.

§. 15.

Non leve jam gliſcentis literarum ſenii id mihi quoque videtur indicium, quod cernamus jam, artes quasliber diffuſiores in indicum formas redigi, Lexica realia appellari ſolent: quod quippe unicum eſt remedium, quo oborienti ſtudiorum ſatietati & tædio quodammodo ſubvenire ſatagunt. Hi enim libri quam parum connexionis ipſi habent, & legentium animis ingenerant, tam accomodi ſunt eorum ingenio, qui philoſophari quidem volunt, ſed paucis, & inſtar canis Nili aquas ligurientis, qui, inquam, aliquantillum ſuperficie tenus noſſe vo-

volunt, sed cui ordine quærendo nimium molles animos afferunt.

§. 16.

Nec id minus triste literis omen afferre mihi videtur, quod omnes fere cultiores Europæ gentes, ex composito veluti, Latiali linguæ bellum indicent, & suo quæque patrio sermone scientias tradant. Quo instituto licet quodammodo civibus suis velificari videantur Auctores, attamen dici non potest, quantum in genere eruditioni officiant. Quum enim, qui antea musarum castra sequebantur, in unica Latina lingua satis haberent ad reseranda sapientiæ atria præsidii, dum hæc una universo orbi interpretis loco esset; jam si, quid in scientia quacunque alibi terrarum actum sit, scire aveam, tot mihi linguas oraque comparare necessum erit, quot sibi Poëtæ, grande quid & sonorum cantaturi, apprecari solent. Ea quippe jam Civitatis Litterariæ ratio est, ut præter linguas, quæ olim eruditæ dictæ fuerunt, nunc pæne obsoletæ dici merentur, Gallica, Anglica, Germanica, immo Italica & Hispanica quoque sint perdiscendæ. Suethica jam ignotum hactenus Apollini caput exserere incipit, & ad suam familiaritatem eruditos exteraruni re-

gionum invitare: quid vero si vertentibus annis, quod tamen omen Deus avertat, Polonica, Russica & quicquid Sarmatæ inconditi loquuntur, nobis discendum adjungetur? nonne tum aut in linguis addiscendis consenescendum erit, aut etjam abhorrentes laborem prægravem & tædii plenissimum, longum vale scientiis, tot se obicibus adversus nos munientibus, dicemus, aut tandem, quod unicum restiterit, domestica penu contenti, nobis unice patriisque musis canemus. Et ita certe fiet, ut illa placidissime conspirans antea Resp. Literaria in totidem partes distrahatur, quot sint vel olim exstiterint loquelæ genera, & ita actu ipso experiamur, quod dixit non insulse quispiam, majus orbi detrimentum dedisse recens hoc institutum scientias patrio sermone tradendi, quam severam illam Numinis pœnam in Linguarum confusione primis mortalium inflictam.

§. 17.

Et ita, Auditores eruditi, laboramus molimur, vivosque pæne deserimus, ut cum mortuis conversemur, simpliciter & religiose credentes, nos ad literarum ornatum & incrementum pro virili parte esse collaturos, quum re tamen ipsa nihil agamus

mus aliud, quam ut labantes literas impellamus, & ruinæ, quo citius fiat, plurimam materiam importemus.

§. 18.

Videor mihi noſtram imaginem in bombycibus videre, qui fila ſua evolvunt, deducunt, magnoque fervore conglomerant, ideo haud dubie, ut ipſis commodius ſit molliusque, ſed quum probe deſudarunt, vident, ſe labore ſuo ita rem intricaſſe, ut arti pariter atque artifici perniciem contexuerint.

§. 19.

Immo vero ut corpus humanum per partes emori ſolet, ita quidem ut lethale frigus primum extrema membrorum corripiat, dein ſerpat latius latiusque, donec vitales partes petat, & tandem enecet, ita, eloquar an ſileam, eventu jam comprobantur, quæ futura ominatus ſum. Si enim per Europam oculos conjiciamus, videbimus, rariſſimos eſſe, qui in civitate literaria altius capita efferant, videbimus jacere tantum non ſtudia humaniora, & prope eſſe, ut ſuas res ſibi habere communi ſuffragio jubeantur. Conſulite, quæſo, Auditores,

catalogos librorum jam in lucem prodeuntium, & judicate ipſimet, num ad ſuperioris & illud præcedentis ævi excellentiam, quoquam in numero ſint. Conſiderate, quid jam agat orbis eruditus, quidque moliantur ejus antiſtites: num quis in Græcis literis ad Salmaſios, in Ebraicis ad Buxtorffios, in Arabicis ad Golios, in Æthiopicis ad Ludolphos, in criſi Latina ad Gronovios, in hiſtoria civili ad Conringios, in literaria ad Bælios eorumque æquales hodie ſine rubore ſe comparare auſit.

§. 20.

Sed videor mihi animadvertere, mentes veſtras tam pulcrarum ſcientiarum cura ſolicitas, anxie jamdudum cogitare, ullæne deſtinæ labanti huic moli ſupponi poſſint, illiusque adeo ruina prohiberi. Ego vero nimium vereor, ne venerit jam ſtudiorum inevitabile fatum, & prope ſit, ut illa, tanquam cygni & hirundines, poſt peracta ſua æſtiva, ad aliud cælum ſeſe conferant, fruſtraque adeo ſint, quæ pro eorum perenni flore ſuſcipiamus vota. Ut ipſi germini primæque florum gemmæ ſua inſunt deſtructionis ſemina, & ſimplicior quam religioſior foret, qui cuipiam hominum immortale vivendi ſpatium

im-

impetrare vellet; ita ferendum est æquo animo, Auditores, si literis idem accidat, quod rebus omnibus, hoc est, conclamentur aliquando, & esse desinant.

§. 21.

Unum quidem esse posset, quod interitum literarum si minus avertere, at differre tamen posset: sed quum hoc inter ἀδυνατα sit, operæ vix pretium est, ut illud, commemorem. Foret hoc autem, si parcius scriberetur, indoctique severe prohiberentur, ne stilum umquam attingerent, docti vero nil nisi quod eorum nomine dignum, silentioque melius esset, in lucem ederent, sique tandem eruditioni, quod olim fuit, pretium poneretur.

II.

OLAI CELSII,

S. TH. D. ET PROF. &c.

DISSERTATIO

DE

ARABUM IN HISPANIA REGNO

QUAM PRO GRADU

PUBLICAE CENSURAE EXPOSUIT

ERICUS O. BERG

UPLANDUS

a. 1720 d. 12. Dec.

CAPUT PRIMUM.

§. 1.

Res omnes creatas, quæ toto hoc univerſo comprehenduntur, viciſſitudinibus obnoxias eſſe, ac maris inſtar continuo quaſi fluxu labi relabique, ignorare non poteſt, qui earum indolem atque naturam accuratiori ſtudio contempletur. Hanc enim mutationis vim obſervare licet non tantum in rebus *neceſſariis*, ſed etiam in *contingentibus*, & iis, quæ ab hominibus excogitatæ ſunt, atque eorum arbitrio debe-

deberi videntur: imperiis puta, regnis & rebuspublicis. Novimus imperia & regna a parvis ſæpe initiis ſurgere, creſcere, florere, ſenſim deinde decreſcere, atque ad ſummum perducta rurſus ad infimum velocius quidem quam aſcenderunt, recidere; ut unius imminutio alterius ſit incrementum. Si autem in cauſſas harum mutationum inquirere velimus, apparebit non eandem omnium circa hanc rem eſſe eſſe ſententiam. Alii rerum publicarum fatales periodos eſſe ſtatuerunt, alii in aſtrorum influxum cauſſam conjiciunt, alii aliter. Nos, omiſſis reliquorum, utpote a recto tramite diſcedentium opinionibus, Deum O. M., rerum omnium cauſſam, converſiones imperiorum dirigere credimus. Sicut enim ejus providentia ſtant florentque; ita eadem.

- - - omnia vertì
Cernimus, atque alias aſſumere robora gentes,
Concidere has. a)

Sed cum ſint ανεξερευνητα τα κριματα αυτυ, και ανεξιχνιαστοι αι οδοι αυτυ, b) ea admirari conſultius eſſe exiſtimaverim, quam multis ſcrutari. Interim non ita regnorum viciſſitudines adſcribimus providentiæ Divinæ,

a) Ovid. Metamorph. lib. XV. 420. b) Rom. XI, 33.

ut omnis libertas in rebus humanis caussis secundis adimatur. Nam licet provida Dei cura ut circa omnia, ita quoque circa ortum & occasum imperiorum versetur, non tamen adfert nostri arbitrii libertati, vel actionibus humanis necessitatem, ut homo non possit agere, vel non agere: hoc eligere aliud omittere. Unde patet, caussam harum mutationum in homines ipsos demum recidere, quibus ab immutabili Ente datum est, ut rebus suis tum bene, tum male prospicere possint. Dum enim in rebuspublicis virtus primas tenet, & magistratus cum civibus eam sequi annituntur, bene sese habent, & majora in dies incrementa capiunt, donec ad summum potentiæ fastigium adscendant; cum autem omnium generum vitiis indulgere incipiunt, respublica declinare necessum habet: unde etiam sæpenumero ultimum exitium sequi solet. - Verum hoc esse, innumera testantur exempla, quæ per vastissimum historiæ campum eundo colligi possent; verum hæc ab instituto meo aliena & cuivis obvia adducere, supervacaneum duco. Regnum in Hispania Vestrogothorum, ut Hebræorum, Romanorum, aliasque respublicas florentissimas jam præteream, inconstantiæ rerum humanarum nobis certissimum præbet exemplum: nam cum hoc imperium per tria secula, sum-

ſumma cum gentis laude viguiſſet, unius diei fortuna omnem ejus gloriam evertit. Floruit quamdiu virtuti ſtuderent, ſed cum vitiis ſe tradere, bonas & honeſtas artes contemnere, vitamque ſecuram agere cœpiſſent, non tantum debilitatum eſt, ſed etiam ad ultimum plane corruit. Scilicet Arabes ex Africa irrumpentes Hiſpaniam invaſerunt, eamque florentiſſimo Gothorum regno concuſſo primum, & mox delero, imperio ſuo adjecerunt. Mihi de hoc Arabum in *Hiſpania* Regno, utinam feliciter, acturo prima cura erit populi originem & nomen indagare, ut faciliori deinde via ad cetera progrediar.

§. 2.

Populum Arabicum antiquiſſimum eſſe, extra omnem controverſiam poſitum eſt, cum ſacra oracula multis in locis illius mentionem faciant; ut, הערבי *Arabs*, Nehe. 2, 19. והערבים & *Arabum* 2. Paralip. 21. 16. הערביאים 2. Paralip. 17. 11. &c. Sed, quemadmodum non omnes, qui in Arabiam habitatum venerunt, unius ſunt gentis, & ſæpe tamen confunduntur; ita eos a ſe invicem diſtinguere major eſt labor. Omnes Arabiæ incolæ communi nomine Arabes ſunt appellati, cujus nominis originem exponere eo difficilius eſt, quo cer-

tius conſtat, in antiquis monumentis hac de re pauca, eaque obſcura reperiri. Cl. Buxtorfio cenſente, ערב *Arabia*, ſeu patria Arabum, *ſic dicta* eſt ab ערב *mixtura variorum populorum*, qui Arabiam inundarunt. c) De variis illis populis, eorumque in Arabia habitationibus, egit eruditiſſimus Bochartus. d) Joktanis poſteros primo Arabiam, & quidem felicem incoluiſſe volunt; quorum habitationem oſtendit Moſes: e) ויהי מושבם ממשא באכה ספרה הר הקדם *fuitque horum habitatio a Meſcha, qua venis Sepharam ad montes orientis uſque.* Filii יקטן *Joktan* Arabes veri & genuini nominati ſunt; contra autem illi, qui Iſmaëlem ſuæ gentis agnoſcunt auctorem, factitii adpellabantur. Hi, *cum Sabæorum, i. e. Arabum ſermonem didiciſſent, & loquerentur, Arabes quoque ſunt nominati, ſed Hagareni, tanquam ab Hagare oriundi* & ערב מסתערבה *i. e. Arabes facti, cohabitatione videlicet, & converſatione cum veris Arabibus, qui Sabæi* ערב עארבה *i. e. Arabes nati, ſeu naturales appellantur, & cum illis de nobilitate perpetuo certarunt.* f) Et Leo Africanus g) ita loqui-

e) Buxtorf. Lexicon Heb. & Chald. in voce ערב. d) Geogr. Sacra Phaleg e) Gen. X. 30. f) Hotting. Hiſt. Orient. lib. I. cap. 5. p. 139. g) Deſcription. Africæ p. 42. lib. I.

loquitur: Hos Arabiæ ſcilicet felicis incolas "Mahumetici iis poſthabitos volunt, qui ab "Iſmaële Iſmaelitæ ſunt adpellati. Et quia "maxima inter eos fuit diſceptatio, utra pars "nobilitatis primas partes obtineret, hinc "factum eſt, quod utrinque multa fuerint "conſcripta colloquia, & epigrammata, "quibus quisque ſuæ gentis encomia, mo- "res atque ritus decantare ſolitus eſt. Ve- "teres illi Arabes, qui ante Iſmaëlitas fuere, "ab hiſtoriographis Africanis Arabi Araba, h. e. Arabes Arabici (ut ſic dicatur) voci- "tari ſolent; qui ab Iſmaële genus duxiſſe "dicuntur, Arabi muſtaraba, i. e. Arabes, "ut ita loquar, inarabati, vel Arabes per "accidens nominantur, eo quod non ſint "Arabes nativi.„ Ad Συνωνυμιαν quod attinet, variis nominibus inſigniri ſolent: nam non tantum בני ישמעאל *filii Iſmaelis*, & ישמעאלים *Iſmaelitæ*, vocati ſunt, ſed etiam הגרים *Hagareni*, ab Hagare ſcilicet Iſmaëlis matre. Præterea nominantur *Saraceni*; de cujus vocis origine, inter eruditos non ſatis convenit. Nonnullis placet eos ita dici a Sara, Abrahami patriarchæ uxore, quæ ſententia valde infirmis nititur argumentis. Qui hæc paulo accuratius tractaſſe videri volunt, longe nominis analogiæ, & rei ſignificatæ naturæ convenientius eſſe putant, auctoritate Scaligeri Saracenorum

rum nomen derivare a Radice Arab. סרק *furatus eſt;* h) horum enim natura omni ævo proclivis fuit ad bella & latrocinia. Verum b. m. Nobiliſſimus Joh. Peringskiöldius i) exiſtimat Saracenos potius nomen habere ab orientali Arabiæ parte, quæ Arabice *Sharkion* dicitur. Quidquid ſit, verum eſt, ipſos nunquam Saracenorum nomine ſe appellare, ſed a vicinis populis per contemtum ſic vocitari. k)

§. 3.

Quoniam mihi propoſitum eſt, de Regno Arabum in Hiſpania agere, haud abs re fore puto, in anteceſſum nonnulla de imperii Muslimici ortu & conditore proferre. Debet hoc imperium originem ſuam impoſtori *Muhammedi*, circa annum Chriſti DC. in Arabiæ urbe Mecca, ex nobili Koreiſchitarum familia orto. Hic primo agaſonem vel camelarium agere cœpit, & in Syriam abiens Chadigæ fœminæ opulentiſſimæ operam ſuam locavit, cujus deinde amoribus implicatus, ingentibus ſimul opibus ab eadem locupletatus eſt. Quo facto, ut erat verſuti ingenii, immoderato glo-

h) Conf. Hotting. Hiſt. Orient. lib. I. pag. 7. Boch. Phaleg. cap. 2. lib. 4. i) Genealog. Sacra pag. 43. k) Boch. Phaleg. loc. cit.

gloriæ ſtudio incitatus ad nimis alta adſpirabat fortunæ faſtigia, atque Arabiæ imperium affectabat, quod ipſi haud multo poſt ex voto ſucceſſit. Omnium primo, cum Deum non poſſet, ſe miſſum eſſe a Deo prophetam hominibus perſuadere ſtuduit, & novam moliri religionem: in quem finem conſcripſit, aliorum tamen opera, *Alcoranum*, qui ex pluribus conſutus religionibus, adhuc apud Turcas, Perſas aliosque, pro ſacra habetur ſcriptura. Trahebat Muhammedes hoc modo, nonnullos novitatis avidos in partes ſuas; ſed cum videret ſe per ſuaſiones, falſa dogmata propagare non poſſe, & plures haberet contradicentes, aliam procedendi viam excogitabat. Scilicet inſulſas ſuas ſuperſtitiones, & impotentis cerebri ſtolidiſſima figmenta ferro & igne aliis obtrudere conſtituit, a Deo hoc ſe in mandatis habere dicens. Unde quoque eos, qui pro fide Muhammedana pugnare vellent, Deo gratiſſimos fore pronunciavit, poſt hanc vitam paradiſum cœleſtem conſecuturos. "Dixit enim, ut "habetur in libro Boari, ſibi datum a Deo, "ut interficeret ſeu expugnaret homines, "quousque teſtificarentur, quod non eſſet "Deus alius, & quod Machometus eſſet "nuncius Dei, & darent ſibi tributum, ſeu "primitias. Alii fatua ſimplicitate decepti

"a Diabolo, credentes ipſum eſſe bonum "hominem & prophetam Dei; alii, qui in- "venerant parentes ſuos hoc errore dece- "ptos, voluerunt eos ſequi, de quibus com- "pletum eſt illud Evangelii Matth. XV. Si cæ- "cus cæco dux fuerit, ambo in foveam ca- "dent. Alii propter honorem, & multi- "plicationem temporalium ſecuti ſunt Ma- "chometum, & ſic multiplicatus fuit po- "pulus Saracenorum.„ l) Hinc videmus fuiſſe plures, qui caſtra Muhammedis ſe- qui in animum inducerent, nam *acceſſerunt ad eum Chriſtiani, tum Arabes tum alii, eosque in fidem ſuam recepit, ſcripto illis ſe- curitatis ſymbolo. Ita & Judæi, Magi, & Pagani, aliique, qui fidelitatis ei juramen- tum præſtiterunt, fidem ab eo liberam ſunt conſequuti: ea tamen lege, ut tributum & cenſum penderent.* m) Adhæc Saraceni haud parum numerum augebant, qui ab Hera- clio deſciſcentes Muhammedi ſe adjunxe- runt: ſcilicet videbant ſe loco ſtipendiorum, quæ promeruerunt, ab imperatore, vel ejus quæſtoribus, contumelias reportare, eamque ob cauſſam, alium ducem eligere coacti ſunt. n)

§. 4

l) Joan. Galenſis Angli de origine & progreſſu Machom. cap. IV. m) Elmacini Hiſto- ria Saracenica lib. I. c. 1. pag. 3. n) vide Box-

§. 4.

Cum jam Muhammedes manum non contemnendam ſibi comparaſſet, omnem lapidem movit, ut imperium ſuum confirmaret; ſed haud multo poſt vitam cum morte commutavit, quod accidit anno Hegiræ undecimo, ætatis autem ſexageſimo tertio, vel ſexageſimo quinto, ut aliis placet. o) Extincto Muhammede, ſucceſſores, qui Chalifæ appellabantur, tam feliciter hoc imperium dilatarunt, ut poſteritas merito miretur, quod a tam parvis initiis, tamque exiguo temporis ſpatio, ad ſummam creverit potentiam. Quod Florus loquitur de populo Romano: *ſeptingentos per annos tantum operum pace belloque geſſit, ut ſi quis magnitudinem imperii cum annis conferat, ætatem ultra putet:* p) illud profecto potiore jure de populo Saracenico dici poſſe puto, cum minori intervallo plures occupaverit terras. Hoc etiam mecum teſtatur cl. Hottingerus: q) *Imperium Muslimicum ſucceſſus ſtatim incredibiles, & rerum omnium ad nutum & votum eventus feliciſſi-*

Boxhorn. Hiſt. Univerſ p. m. 405; Conf. Sleidanus de Monarchiis l. 2. p. m. 204. Hott. Hiſt. Or. p. 209. o) Elmacin. Hiſt. Saracen. lib. I. cap. 1. p. 10. p) Flor. Rerum Romanarum ipſo initio. q) Hiſtoria Orient. lib. 2. cap. 5.

cissimos habuit, usque adeo, ut vix ulla monarchia latius tam brevi temporis spatio, sua dilatarit pomœria, quam cum ipso imperio Muhammed luem doctrinæ pestiferam: Ab initiis parvis perpetuo secundorum eventuum tenore maximam & florentissimam orbis Christiani partem armis subegit, & fidem infidelitati succumbere coegit. Nam Saraceni doctrinæ suæ venena propagaturi, arma victricia circumtulere per Arabiam, Syriam, Palæstinam, Mesopotamiam, Persidem, Ægyptum, Rhodum, Cyprum. r) Nequa Asia contenti erant, sed Africam quoque invaserunt, immo mare transire, & Hispaniam opprimere non dubitarunt. Qui accuratiorem desiderat Catalogum omnium provinciarum, quas subjugavit secta vel gladius Muhammedis, adeat Rodericum Toletanum s) & alios. *Saracenorum potentiam tum alii, tum Turcæ maxime exceperunt*, ait Grotius, *gens & ipsa pugnacissima, quæ post longa adversum Saracenos certamina, in fœdus invitata facile suscepit religionem suis moribus congruentem, imperiique majestatem in se transtulit.* t) Sed maneamus circa imperii Arabici initia. Inter reli-

r) vide sis Reverend. b. m. Benz. Hist. Eccl. N. T. Sec. 7. § 8. s) Historia Arabum c. 12 t) Hugo Grot. de Verit. Relig. Christ. l. 6. p. m. 377.

reliquos Chalifas, qui Muhammedi in imperio ſucceſſerunt, fortiſſimi principes *Abdolmalecus* Merwani filius An. D. 684. ejusque filius & ſucceſſor *Walidus* An. Ch. 705; quorum alter, *Africa univerſa devicta gentis imperium firmavit maxime: ſibi & poſteris peperit memoriam nominis ſempiternam.* u) alter imperium nactus, ſuam in eodem defendendo & ampliando nec neglexit induſtriam. Unde Elmacinus: *Tempore Walidis magnæ reportatæ ſunt victoriæ.* x) Et de eodem Roder. Tolet.: y) *per quatuor annos bella peragens, Imperium Arabum mirabiliter dilatavit: erat enim vir magnæ prudentiæ, & in diſponendis exercitibus valde cautus: & quia futurus erat virga furoris domini, in populos Hiſpaniæ peſtilentes divino auxilio ferebatur, ut vicinas gentes ſuo imperio ſubjugaret.* Vixit hic Walid, vulgo Vlit, initio ſeculi octavi, z) uti jam dictum, ſub cujus imperio, quomodo Saceni occuparint Hiſpaniam, ſequens caput oſtendet.

CA-

u) J. Marian. Rer. Hiſp. l. 7. c. 5 x) Hiſt. Saracenica p. 70. y) Hiſt. Arab. c. 9. z) Hotting, Hiſt. Eccleſ. Seculo Octavo.

CAPUT SECUNDUM.

§. 1.

Ut Arabes noſtros in ſcenam producere queamus, neceſſe eſt, rem a ſuis principiis deducere, & perverſum regni Veſtrogothici ſtatum ob oculos ponere. Poſtquam regnum Veſtrogothorum in Hiſpania, ſub prudentiſſimis regibus, ad eximiam felicitatem, quæ finis eſt rerumpublicarum verus, provectum eſſet, fatali velut lege in ultimum præcipitari exitium cœpit. Et quum plures eſſe poſſint cauſſæ, cur imperium hocce in perniciem ruerit, cauſſam tamen præcipuam huic mutationi præbuerunt ultimi eorum reges. Hi, ſicut variis vitiis mergebantur ipſi, ita cives, eorum exemplo, omnem diſciplinam excutere paulatim cœperunt. Nam quales in republica principes ſunt, tales ſæpiſſime cives eſſe ſolent, & regis mali vel boni mores haud parum faciunt ad flectendos civium animos. Unde Lipſius a) bene monet *ſubditos probos maxime fieri a Principis exemplo, cujus incredibilis vis in utramvis eſt partem.* Nempe,

com-

a) Polit. lib. 2. c. 9.

- - - componitur orbis
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentis. b)

Et rectè Plato: c) Μηδεις ημας πειθετω, ω̃ φιλοι, αλλη θατ̃ον ηὼ ρᾳον μεταβαλλειν αν ποτε πολιν τοις νομοις, η τη̃ των δυναζευοντων ηγεμονιᾳ. μηδε νυν γε αλλη γιγνεσθαι, μηδ αυθις ποτε γενησεσθαι. Quod itaque ad reges ádtinet, ſummam poteſtatem, quæ apud omnes ſancta ſervari ſolet & debet, factionibus & fratricidio occuparunt, ſucceſſione legitima non obſervata. Vitiza, rex flagitioſus, & omnium ſcelerum genere inquinatiſſimus, ita vitam ſuam inſtituit, ut beſtias potius, quam homines imitatus rempublicam plane perdiderit. Theodofredum regni hæredem oculis privatum in exilium conjecit. Neque illo humanior fuit ultimus Gothorum rex Rodericus: hic enim libidine regnum evertit, quod hoſtes antea armis fruſtra tentarunt. Quo factum eſt, ut non tantum diſcordiæ inter reges & cives ortæ fuerint, ſed etiam otio ſe tradentes ea, quæ ad regnum defendendum requiruntur, plane omiſerint. Omnium malorum, qui-

b) Claudian. ad Honor. IV. conſulat. v. 299. c) Lib. IV. de Legib.

bus respublicæ infeſtari ſolent, pernicioſiſſimum ducimus otium: hoc enim, quam primum admiſſum radices agere cœperit, omnia ſitu & incuria peſſum ire, & collabi patitur. Ex hoc alia ſubnaſcuntur vitia, quæ ipſi ſunt affinia, cujus generis ſunt libido, luxus, & ſimilia, quæ haud aliter, ac rubigo ferrum, cives conſumunt, & hebetiores reddunt, immo maxima ſæpe imperia ſubvertunt;

Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola nocet animis illapſa voluptas. d)

Exemplum hujus rei habemus in exercitu Alexandri M. inter flagitia Babyloniorum per aliquod tempus ſaginato, de quo cenſent Qu. Curtius e) eum haud dubie debiliorem futurum fuiſſe, ad ea quæ ſequebantur diſcrimina, ſi hoſtem habuiſſet: quare Alexandrum deinde militibus judices dediſſe præmiaque certantibus propoſuiſſe commemorat, ne deſides otio demitterent animos. f) Respublica Romana, quæ ad tantum faſtigium aſcenderat, ut omnes mirentur tot fortitudinis & prudentiæ exempla, tot virtutis miracula fidem prope exceden-

d) Sil. Ital. e) Lib. V. cap. 1. v. 39. f) Ibidem cap. 2. v. 2.

cedentia, ex hoc, aliisque malis ita immutata fuit, ut ex imperio optimo, peſſimum factum ſit. g) Præter morbos jam enumeratos, quibus respublica Veſtrogothorum hoc tempore obnoxia erat, etiam ſecuritate, frequentiſſimo initio calamitatis, & contemtu hoſtium laborabat. Itaque ſi teſte Illuſt. Pufendorfio, h) *felix habetur respublica, quæ etiam in pace, de bello cogitat*, nam

Pax eſt interdum, pacis fiducia numquam, i)

quid de noſtra dicendum erit, quæ nihil minus quam bellum metuens hoſtes parvi fecit, aut prorſus contemſit, cum tamen teſtis ſit omnium ſeculorum hiſtoria, nullius hoſtis tam parvas eſſe vires, ut poſſint tuto contemni. Hoc perverſo ſtatu, his vitiis corruptum regnum Veſtrogothorum diutius ſtare non potuit, ſed ab hoſtibus irruentibus inopinato, & uno quaſi impetu deletum & ſubverſum eſt. Cujus mutationis omen ac præſagium in famoſa illa Hiſpanorum *arca fatali* captatum fuiſſe nonnulli ſcriptorum volunt. Rex videlicet Rodericus palatium Toletanum a multorum re-

g) Vell. Paterc. lib. 2. cap. I. Livius in Præf. Hiſt. Rom. h) de officio Hom. & Civ. lib. 2. cap. 1. i) Ovid. Triſt. lib. 5. Eleg. 3.

regum temporibus clausum (apertum enim Hispaniæ exitium portendere existimabant) aperiri fecit, persuadens sibi thesauros ibi occultari; sed arcam tantum invenit, in arca pannum, & in eo facies & vestes armatorum hominum depictas, verbaque Latina adjecta: *A tali gente exitium Hispaniæ imminere.* k) Reliqua, quæ ad hanc rem pertinent, alii fusius explicant, nos memores instituti pergimus.

§. 2.

Minutissimas sæpe res, bellorum magnarumque mutationum caussas esse, satis superque testatur tot seculorum experientia. Occasio belli Trojani, (si modo verum est, quod de Troja traditur) nulla alia fuit, quam raptus mulierculæ; unde Poëta:

Ilias ipsa quid est aliud nisi adultera, de qua
Inter amatorem pugna virumque fuit. l)

Ob hanc fœminam, bellum inter Græcos & Trojanos gestum fuisse tradunt, quod post integrum decennium, non nisi cum ipsius

k) Becman. Hist. Orbis Terrarum P II. cap. 1. §. 6. & ibi cit. Lipsi. Monit. Polit. cap. V. Monit V. n. 6. Rod. Tolet. de Rebus Hisp. lib. III. cap. 18. l) Ovid. Trist. lib. 2.

ipſius Trojæ excidio finitum eſt; ſecundum illud Virgilii: m)

Poſtquam res Aſiæ, Priamique evertere gentem
Immeritam, viſum ſuperis, ceciditque ſuperbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja.

Cum Sextus Tarquinius, Tarquinii ſuperbi filius vim intuliſſet Lucretiæ, fœminæ apud Romanos caſtiſſimæ, quæ nupta erat Collatino, forma regiminis mutata fuit, & imperium regibus abrogatum. n) Sic propter conſtuprationem Dinæ, filiæ patriarchæ Jacobi, vaſtata eſt civitas Sichemitarum. o) Sed quid multis? cauſſa irruptionis Arabum in Hiſpaniam, nulla alia narratur, quam ſtuprum a Rege Roderico puellæ cuidam illatum. Priſco mortalium ævo uſu receptum fuit non tantum apud Græcos, ſed etiam noſtros Gothos, ut liberi principum virorum in aula regia educarentur, *quod velut ſeminarium ducum præfectorumque* apud eos fuit, p) ex quo deinde, eeu ex equo Trojano, prodibant viri, ad quævis reipublicæ munia obeunda aptiſſimi.

m) Æneid. lib. III. v. 1. 2. 3. n) Flor. lib. I. c. 7. & Liv. lib. I. cap. ult. o) Gen. 34. p) Curt. lib. VII. cap. 6.

mi. Hic mos quoque erat V-Gothorum in Hispania. Filii quidem ad custodiam regii corporis adhibebantur, inter epulas ministri erant, comitabanturque regem, & venantem, & in prælio. Filiæ autem in gynæceo reginis a ministerio erant, ubi licebat ipsis eas addiscere artes, quæ muliebrem sexum quam maxime exornant. Inter has virgines illo tempore præstantior habebatur quædam nomine Florinda, quæ كَبَة *Caba* Africanis scriptoribus dicitur, *quod Arabice minus honestam denotans mulierem, significatu forte delusi viri docti proprium ei nomen perperam assignarunt.* q) Formæ præstantia haud multum cedebat Helenæ Trojanæ, sed quemadmodum illa Ilio, ita hæc Hispaniæ exstitit pernitiosa. Pater ejus fuit Julianus, vir nobilis, comes Spathariorum, qui etiam præfuit parti Mauritaniæ, quæ Tingitana appellabatur, eaque tempestate ad regnum Vest-Gothorum pertinebat. r) Contigit autem, Juliano legationis caussa absente, (missus enim erat a rege Roderico in Africam) ut filia aliquando cum æqualibus ludens corpus magna ex parte nudaret, hoc Rodericus ex fenestra

q) Nobiliss. Iserhielm de Regno V. Goth. in Hisp. cap. 5 r) Roderic. Tolet. de Rebus Hisp. lib. 3. c. 21. Grot. Proleg. ad Hist. Procop. pag. 51.

neſtra videns amore ardere cœpit. Quibus cupidinis flammis diu uſtus, in amorem puellæ omni cogitatione converſa

- - ratione furorem
Vincere non poterat. s)

Itaque opportunitatem nactus, virginem, "quam neque gratia flectere, neque blan-"ditiis allicere, neque minis & metu fran-"gere potuit, invitam atque reluctantem "vitiavit. t) En!

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis? u)

Sed pater ſive domum rediens, ſive abſens per literas edoctus, quas filiani ad eum ſcripſiſſe volunt, ut ſtuprum comperit, mala adverſus patriam moliri, opprimendæque Hiſpaniæ conſilia volvere. Quare uxore, cum rebus domeſticis in Africam traducta, in Hiſpaniam reverſus uxorem dixit morbo laborantem nulla re levari poſſe, niſi filiæ aſpectu. Victus Roderici animus magis quam flexus, ("& fortaſſis copia faſtidium "fecerat) patrem & filiam ex aula dimittit. x) Julianus Vitizæ filios adit, quos ſcie-

s) Ovid. Metamorph. lib. 7. t) Joh. Marian. Rer. Hiſp. lib. 6. 21. u) Æneid. Virg. lib. IV. 412. x) Mariana loc. cit. & Rod. Tol. de Rebus Hiſp. lib. 3. cap. 19.

bat Roderico maxime esse infensos. Hi enim jam antea propter gravissimas injurias a rege sibi illatas, consilium proditionis inter se iniverant; itaque occasionem nacti, quod clausum pectore habebant, Juliano aperire non dubitant. His omnibus peractis, Julianus Muzam Africæ præfectum convenit, de Hispaniæ statu edocet, quomodo sine difficultate occupari posset, & injurias, quas Rodericus ei, atque Vitizæ filiis intulisset, enarrans, addit se Hispaniam ipsi traditurum, si modo sibi fidem habere vellet. Muza conditionem quidem accepit, sed quoniam prudentis ducis est, nullum negotium magni momenti sine consilio suscipere, cum deliberandum diu sit, quod semel statuendum est; itaque Christiani hominis fidem suspectam habens, Walidem, Arabum Imperatorem prius consulendum duxit. Hic fidem Juliani in paucorum militum jactura explorandam arbitratus, hoc modo tantæ molis negotium est aggressus.

§. 3.

Jubente itaque Walido, primo C. equites, & CCC. pedites missi sunt, qui quatuor navibus impositi, freto Gaditano seu Herculeo, hodie Estrecho de Gibraltar, trajecto, in Europam, & quidem Hispaniam venerunt A. D. 709. Heic tamen

tamen non diu manſerunt, ſed poſtquam vaſtatione locorum maritimorum, in vicina oppida ingentem intuliſſent terrorem, onuſti præda & ſpoliis in Africam redierunt. Barbarus jam certior redditus de fide Juliani, XII. millia pugnatorum ſub ductu Tarici in mercatorum naves impoſuit, quo res occultior eſſet. Hi urbem occupant in monte ſitam, mons a duce nomen deinde accepit, & جبل طارق *Gebel Taric* (mons Tarici) appellatus eſt, jam vero corrupte Gibraltar vocatur. Poſtquam hoc ad aures Roderici perveniſſet, ſobrinum ſuum Sanctium, aliis Eneconem v) cum exercitu, quanta fieri poterat feſtinatione, collecto, hoſti obviam miſit, qui levibus nonnullis prœliis commiſſis, tandem totis viribus cum hoſte congreſſus eſt. In hoc prœlio ipſe cecidit Sanctius: unde exercitu Gothorum partim fugato, partim occiſo, victores Bæticam cum urbe Hiſpali & Luſitaniam vaſtarunt. Incidit hæc calamitas in an. D. 713. Anno ſequenti Mauri & Saraceni ingenti multitudine in Hiſpaniam irruperunt, quorum audaciam in vaſtanda Luſitania, ut animadvertit rex Rodericus, exercitu ex omnium civium ordinibus congregato, haud longe ab urbe Xeres caſtra po-

y) Saavedra Coron. Goth. pag. 469.

poſuit. Dimicatum eſt per ſeptem dies dubio fere marte, licet Gothi longa pace, otio, & fame, multum de priſtino robore amiſiſſent. Octavo die qui XI. Novemb. & dominicus erat, atque S. Martino pontifici & confeſſori conſecratus, z) ſed idem Gothis fatalis, primo V-Gothi feliciter pugnabant, adeo ut Arabes prope victi viderentur; ſed Oppas quidam, vix credibili ſcelere cum manu, cui præfuit, ad hoſtes tranſiens id effecit, ut V-Gothi victas dare manus cogerentur, plurimis ab utraque parte proſtratis. Rex Rodericus in fugam ſe dedit, ſed quid poſtea ipſi factum ſit, ignoratur, cum nullum illius veſtigium ſuperſuerit, niſi corona aurea, & inſignia, cum equo Orelia, quæ inventa ſunt ad fluvium quendam: unde plurimi eum in aquis periiſſe ſibi perſuaſerunt. Tale vero juxta Portugalliæ urbem Viſcum, ejus reperitur elogium: Hic REQUIESCIT RODERICUS ULTIMUS REX GOTHORUM &c. a) Hunc exitum habuit florentiſſimum V-Gothorum in Hiſpania regnum, hoc fatum fuit populi, quem ſcriptores laudibus in cœlum ferre ſolent, qui prudentia, for-

z) Saaved. Corona Goth. pag. 484. a) Vaſæi Chro. Hiſp. Et Mariana cap. 23. lib. cit. conf. Saaved. Coron. Goth. pag. 480. Peringſkiöld Annot. in vit. Theod. p. 661.

fortitudine, & aliis virtutibus, tantum inter alios caput extulit

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi. b)

Unde rurſus videmus quam breves & mutabiles vices rerum ſint, quamque fortuna nunquam ſimpliciter indulgeat; c) verumque eſſe illud Poetæ:

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu, quæ valuere, ruunt. d)

Contigit hoc excidium, & funeſta clades, ſecundum communem Chronologorum ſententiam, anno Ch. 714. e)

§. 4.

Dum hiſce immoror, rem a propoſito alienam haud me facturum ſpero, ſi nonnulla de impio Juliani facto propoſuero. Quemadmodum memoriam eorum, qui utilitati patriæ ſtuduere, & morte ſua illius commoda promovere, nunquam delere poteſt oblivio; ita infamia eorum, qui patriam ſuam, quam pro viribus defendere omnibus incumbit, armis lacerare haud veriti

b) Virg. Eclog. 1. v. 26. c) Curt. l. IV. c. 14. d) Naſo de Ponto lib. 4. Eleg. 3. e) Vaſæus in Chron. Hiſp.

riti ſunt, tradenda eſt literis, ut ob perfidiam & inhumanitatem ſuam apud ſeram etiam vapulent poſteritatem. Hoc ſi cuiquam, certe comiti Juliano fieri debuit; cujus flagitium ita in omnium eſt memoria, ut omnes execrentur deteſtenturque. Qui videlicet patriam ſuam, pro cujus ſalute nihil non ſuſtinendum, nullum periculum defugiendum, tam immanibus hoſtibus tradiderit. At, inquis, vitiavit rex filiam ejus. Verum fuit hæc privata injuria, quam totius regni ruina ulciſci non modo non licitum, ſed etiam impium habetur. Satius fuiſſet Juliano, vindictam contemnere, quam tantum ſcelus admittere. Dignus itaque erat qui caderet

- *ante diem, mediaque inhumatus arena.* f)

Nonnulli ſcriptorum dicunt eum ſuſpicionis cauſſa ab Arabibus interfectum eſſe. g) Certe Juliani nomen Hiſpanis hodiernis tam deteſtabile eſt, ut Comes de Olivarez tempore Philippi IV. hoc abjecto, aliud nomen filio ſuo dederit. h) Interim obſervan-

f) Virg Æneid. 4. 620. g) videatur Rod. Sanct. Pars II. c. 37. h) Hübner. Introd. ad quæſt. Hiſt. Pol. Tom. II. §. 31. Becman. Hiſt. Orb. Terra. Geogr. & Civil. Pars II. c. 1. §. 6.

vandum, quantum ſit principi malum, non bene audire apud cives ſuos, quorum tamen amor regi arx eſt tutiſſima: Nam,

Non ſic excubiæ, nec circumſtantia tela
Quam tutatur amor. i)

Et imperium nec firmum, nec diu ſtare poteſt, niſi benevolentia, & caritate civium ſit munitum; cum hæc fortiſſimum ejus munimentum, odium vero exitium ſit certiſſimum. Sed quemadmodum Seneca k) eum errare arbitratur, *qui exiſtimat tutum ibi eſſe regem, ubi nihil a rege tutum eſt;* ita ſic vivere convenit principes, ut ſemper de amore civium perſuaſi ac certi eſſe poſſint. Id poterunt autem, ſi pietatem, juſtitiam, clementiam, & continentiam exerceant, oppoſita autem vitia angue pejus fugiant atque averſentur. Nam

Fortior eſt qui ſe, quām qui fortiſſima vincit
Mœnia;

Et multo ſe ipſum, quam hoſtem ſuperare, operoſius eſt, ut loquitur Valerius Maximus l) Præſtat autem ejusmodi principum vitia tolerare, quam ſeditionibus iram Dei &

i) Claud. Honor. Conſul. IV. v. 281 k) de Clement. l. I. c. 19. l) lib. IV, c. 1.

& pœnas graviſſimas provocare. Sed veniendum iterum ad Arabes.

§. 5.

Antequam huic capiti λειψάνον, quod dicitur, χάρα imponamus, inſatiabilem Maurorum crudelitatem in vaſtandis Hiſpaniæ ditionibus, paucis deſcribere lubet. Primo tamen oſtendendum, qui genus, unde domo fuerint? Habitabat hic populus in parte Africæ, quæ Mauritania dicitur, tum autem ab Arabibus devicta; & quoniam conjuncti cum Arabibus Hiſpaniam invaſerint, promiſcue a nobis nominantur Arabes & Mauri, licet diverſæ fuerint originis. Dicti ſunt Mauri, ut exiſtimat Bochartus, m) a מערבין quaſi *poſtremi* vel *occidentales*, ab אחור quod & *poſterius* & occidentem ſonat. Hi tantam victoriam adepti, parta frui non neglexerunt; ſiquidem conſtat, eos in homines non tantum, verum etiam loca ſacris uſibus deſtinata ſæviiſſe; ut nullum ſit tormenti genus, quod ab hiſce barbaris non pertulerint Chriſtiani. Paratus erat ad cædendum gladius, parati "qui cæderentur. Uxores e virorum com- "plexu rapiebantur ad libidinem: liberi de "gremiis parentum: pretioſa veſtis, atque "ornamenta majorum diligentia congeſta impune

m) Geo. S. lib. I. cap. 26.

"pune auferebantur. Cæſa incolarum cor-
"pora paſſim jacebant in urbibus, atque in
"agris; omnia domi foriſque fletu & ge-
"mitu perſonabant. n) Inter reliqua orna-
"menta, quæ in Syriam ad Walidum ave-
"cta ſunt, menſa fuit aurea, de qua Elmaci-
nus o) hoc modo loquitur: *Anno* 93, nem-
pe Hegiræ Muhamm. h. e. an. Ch. 711) *ex-
pugnavit* (*Taric*) *Hiſpaniam & Toletum: at-
tulitque ad Walidem filium Abdolmaleci men-
ſam Salomonis filii Davidis, ex auro factam
atque argento, & tres habentem limbos ex
margaritis.* Rodericus Toletanus p) hanc
menſam aliter deſcripſit. Demum Muza
"veniens in Hiſpaniam civitates plurimas
"occupavit, & infinitas divitias congrega-
"vit, inter quas menſam lapideam, coloris
"viridis, immenſæ magnitudinis, inve-
"nit, quæ habebat trecentos ſexaginta
"quinque pedes, & menſa & pedes ex
"uno lapide erant. Hæc menſa, dici-
"tur inventa in villa quadam, quæ Ara-
"bice dicitur *Medinat almeida:* Latine au-
"tem interpretatur *civitas menſæ;* & erat
juxta montem, qui adhuc hodie dicitur *Gi-
bel Zuleman.* Præterea urbes expugnarunt
alias

n) Joh. Marian. de Rebus Hiſp. lib. 6. c. 27. o) Hiſtoria Saracenica pag. 72. p) Hiſtoria Arabum cap. 9.

alias vi, alias pactis & promiſſis; quæ tamen, occupatis deinde urbibus, non præſtabant. Fuit certe res omnium admiratione digna, quod Arabes, non toto triennio evoluto, ex quo eorum exercitus primum in Hiſpaniam venerat, q) regiones maxima cum difficultate adeundas in ſuam redegerint poteſtatem. Non tamen totam domuerunt Hiſpaniam; nam loca ad Aſturiam, Cantabros & Pyrenæos montes ſita, intacta fuerunt, in quæ Chriſtiani, furentis Bellonæ rabiem effugientes ſe recepere, ubi tuti degebant, magis quia non impugnabantur, ob locorum ſitum, quam quod ad reſiſtendum ſatis animi eſſet: reliquas partes Mauri cum Judæis inſtar torrentis inundaverunt. r) Haud multo tamen poſt Chriſtiani ſuperſtites, diutius non quieſcendum rati, animum capere, & ſuadente Pelagio, Mauris bellum inferre cœperunt, quod tam feliciter geſtum eſt, ut in dies oppida plura recuperando, aliquantulum reſpirare viderentur. Pelagium ex regia familia Gothorum ortum, regem creabant Anno 716, vel ut alii volunt, 718. s) qui novus Hiſpanorum rex (non enim ulterius Gotho-

q) Mariana Rer. Hiſp. cap. 25. lib. 6. r) Pufend. Iſag. ad Stat. Europ. cap. 2. p. m. 38. Pauli. Goth. Hiſt. Arct. lib. III. c. ult. s) Joh. Marian. Rer. Hiſp. lib. 7. cap. 1.

Gothorum reges appellati ſunt) novum in Hiſpania regnum Legionis, Aſturiæ &c. condidit. Fundamenta imperii nacti reges ſequentes, ſuam in eo defendendo, vel ampliando adhibuerunt induſtriam, & manibus pedibusque, quod dicitur, elaborarunt, ut inviſum ipſis Maurorum nomen plane tandem in Hiſpania extirparetur.

CAPUT TERTIUM.

§. 1.

Hiſce leviter, & pro ratione inſtituti præmiſſis, ulterius pedem promoveo, Arabum in Hiſpania regnum; ejusque fata conſideraturus. Arabes tanto regno potiti, quod antea tempore regis Wambæ fruſtra affectaverant, t) illud pro viribus ſtabilire conati ſunt. Et quemādmodum teſte Grotio, u) ad imperii naturam, non tantum requiritur locus, ſed etiam præcipue perſonæ, quibus imperare licet; ita exceptis innumeris fere ejus gentis populis, qui ex Africa advocabantur, multi quoque ſuperſtites ex Veſtrogothis Maurorum imperio

t) Vaſæi Chron. Hiſp. u) De Jure B. ac P. lib. II. cap. III. §. IV.

parebant, licet poſt primam cladem triginta eorum millia in Syriam abducta fuerint. x) His, qui manſerant cum Mauris confuſi & ſub ipſorum imperio viventes, conceſſum erat ab initio, honeſte, & pro gentis more vitam agere, modo nonnulla, quæ ab Arabibus præſcriberentur, ſervarent, & tributa penderent. y) Sed Muza & Taric ante omnia ſoliciti erant de Rectore conſtituendo, quoniam ipſis in Africam transfretandum; itaque Abdulazizium, Muzæ filium, fortitudinis documentis proximo bello editis, de omnibus optime meritum novæ provinciæ præfecerunt. Hic Abdulaziz ſedem imperii elegit Hiſpalim, Bæticæ urbem celeberrimam, quam Hiſpaniæ nomen dediſſe exiſtimat Philippus Cluverius; z) licet Juſtinus eam ita nuncupatam putet ab Hiſpano. Verba ejus ita habent: *Hanc*, ſcilicet Hiſpaniam, *veteres ab Ibero amne primum Iberiam, poſtea ab Hiſpano Hiſpaniam cognominaverunt.* a) Sed hiſce ſuperſedeo, ad ea, quæ de fatis imperii dicenda ſuperſunt, acceſſurus.

§. 2

x) Rod. Tolet: Hiſt. Arabum cap. X. y) Mariana lib. 6. cap. 27. de Rebus Hiſp. z) Introd. ad Geograph. V. & N. lib. 2. c. 2. a) Juſtin. lib. XLIV. cap. 1.

§. 2.

Ratio ordinis ſuſceptique laboris poſtulat, ut in ipſius regni naturam inquiramus, quæ ab initiis ad finem non eadem manſit, ſed varias ſubivit mutationes. Ex dictis, ut opinor, patet Hiſpaniam in formam provinciæ imperii Arabici redactam fuiſſe, quemadmodum reliqua regna, quæ eodem tempore ad Arabum imperium acceſſerant. Hinc quoqne Saraceni, qui in Hiſpania ſedem fixerant, primis temporibus Chalifas in Aſia reſidentes ſummos agnoſcebant imperantes, quamvis proprios habuerint præfectos, qui apud ſcriprores nomine regum venire ſolent. Hos tamen præfectos non admodum magno in honore & pretio habitos fuiſſe, exinde conſtare puto, quod intra viginti annos, in Hiſpania quindecim regnarint: nam cum præfectus omnium votis ſatisfacere non poſſet, populi tumultu vel de medio ſublatus eſt, vel dignitatem depoſuit ipſe, ſubinde in decedentis locum alio evecto. b) Ea ſors quoque fuit primi eorum regis Abdulaziz, de quo vide Rodericum Toletanum. c) Sed quendam nomine Acabat remedium adverſus hoc malum inveniſſe obſervat Rod. San-

b) Michael Ritius Neap. de Regibus Hiſp. l. 2. c) Hiſt. Arabum cap. 9.

ctius. d) Nomina & geſta horum regum, quæ a Johanne Mariana aliisque rerum Hiſpanicarum ſcriptoribus memoriæ prodita ſunt, prætermittere cogimur. Poſtquam Saraceni in Hiſpania, quadraginta circiter annos, ſub imperio Chalifarum Aſiæ vixiſſent, ſeceſſionem ab illis fecerunt, & novum condiderunt regnum, ut propriis regibus, non vero Chalifis obedientiam deinceps præſtarent. De hac re Mariana ſcriptor fide digniſſimus ita loquitur: *Abderrahmani virtute & felicitate novum in Hiſpania Maurorum regnum fundatnm eſt, Corduba ſede, unde reliquæ civitates jura peterent, ſui juris, propriisque viribus nitens, neque Africæ contributum, neque Aſiæ Chalifis dedit.* e) Hoc Cordubenſe regnum ſub viginti regum auſpiciis 257 annos, nempe ad A. C. 998. ſtetiſſe aſſerit Joh. Ludov. Gothofredus. f) De quo quoniam plura nobis addere non licet, B. Lectorem ad harum rerum ſcriptores modeſtia, qua decet, remittimus. Circa annum Chriſti milleſimum Maurorum in Hiſpania regnum per lites & diſcordias in plura regna minora diviſum eſt, quæ tot ferme potuerunt numerari, quot urbes primariæ: quolibet nempe præ-

d) Hiſt. Hiſp. P. 2. c. 37. e) Rer. Hiſp. lib. 7. c. 5. f) Archont Coſm. lib. I. de Regno Hiſp.

præfecto ditionem, cui præerat, & titulum regium ſibi arrogante. g) Cordubenſes ob imperii vetuſtatem, tametſi inteſtinis diſſidiis debilitati erant, proximum auctoritatis locum obtinebant, ſecundum hos Hiſpalenſes, Toletani, Cæſar-Auguſtani, Oſcenſes, alii præterea minuti reges genti imperabant. Verba ſunt Marianæ. h) Hanc autem diviſionem multa incommoda & calamitates ſecum traxiſſe, quemadmodum certum, ita mirum non eſt. Et enim primo, ſicut vis unita semper fortior eſt, quam diſperſa; ita Maurorum reges imbecilliores facti, Chriſtianorum potentiæ reſiſtere non valebant, ſed omnibus fere præliis inferiores diſcedere cogebantur. Hinc factum eſt, ut etiam ſæpenumero pacem a regibus Chriſtianis redimere neceſſum habuerint, immo annuum tributum illis pendere, quibus antea tributa impoſuerant, & eorum legibus vivere, quibus leges antea præſcripſerant. i) Quare facili negotio ex Hiſpania expelli potuiſſent, niſi & ipſi Chriſtianorum reges civilibus diſſidiis & motibus, haud ſemel inter eos ortis, jactati fuiſſent. Poſt hæc tempora circa A. D. 1092 alii Mauri, *Almoravides* dicti, ex Africa

g) Pufend. Introd. ad Hiſt. Europ. c. 2. §. 4. p. m. 41. h) De Rebus Hiſp. lib. 9. cap. 1. i) Ibidem cap. 2.

venerunt, & confuſum Hiſpaniæ regnum illis eripuerunt. h) Horum enim rex Juſephus, civitatibus partim vi, partim deditione occupatis, quæcunque Mauris tenebantur, in ſuam redegit poteſtatem. Hæc tamen Almoravidum poteſtas non diu duravit, ſed per *Almohades* Feſſo-Marocca-nos enervata eſt, qui religionem quaſi correcturi Hiſpaniam invaſerunt circa an. Ch. 1140. De Almoravidum & Almohadum adventu in Hiſpaniam, videri, ſi lubet, plura poſſunt apud Joh. Maria. de Rebus Hiſp. & Rod. Tolet. Hiſtor. Arabum. Victoriæ tandem Alphonſorum & Ferdinandorum Hiſpaniæ regum effecerunt, ut vires Maurorum per infelicia certamina prorſus debilitatæ, ad priſtinum robur aſpirare non potuerint. Cæſa quippe ſunt, commiſſis prœliis, ſæpenumero CC. millia Arabum, quæ inire prœlia haud potuiſſent, niſi ex Africa ſubinde novas copias accepiſſent. Quæ præterea ex hiſtoriis in hanc rem copioſe adferri poſſent, ea, temporis

- - - ſpatiis diſcluſus iniquis,
Prætereo, atque aliis commemoranda relinquo.

§. 3.

k) Hotting. Hiſt. Eccleſ. Secul. XI. p. 453.

§. 3.

Religio tam neceſſaria eſt, ut ſine illa nec firma ſtare, nec ad felicitatem eniti queat respublica. Hinc Plato *religionem propugnaculum magiſtratus, ac legum & honeſtæ diſciplinæ vinculum* vocat; Plutarchus, συνεκτικον απασης κοινωνιας και νομοθεσιας ερεισμα, *coagulum omnis ſocietatis, & fundamentum legislationis;* Philo, *efficaciſſimum amatorium & vinculum indiſſolubile benivolæ amicitiæ.* l) Id probe perſpexere quotquot moderatiores inter homines haberi voluerunt, qui religionis, utpote columnæ totius reipublicæ, præcipuam curam habuere. Inter quos Arabes noſtros equidem ponendos exiſtimaverim, quamvis nubem pro Junone, falſam pro vera amplexi ſunt, ut illis dici poſſit, quod dixit Paulus quondam de Judæis: οτι ζηλον Θεϑ εχϰσιν, αλλ᾽ ου κατ επιγνωσιν. m) Ad religionem itaque eorum quod attinet, ante Muhammedem fuit pagana, quæ *ignorantiæ tempora* illis audiunt; per Muhammedem autem pſeudoprophetam *e ſtatu ignorantiæ* in lucem ſe perveniſſe falſo exiſtimantes, Muhammediſmum, id eſt, religionem ex Chriſtianiſmo, Judaiſmo, & veteri Saraceniſmo

l) Conf. Grot. de Jure B. & P. l. 2. §. 44. c. 20.
m) Rom. 10, 2.

conflatam deinceps fovebant. Fata, quæ Chriſtiani ſub Arabum imperio experti ſunt, paucis heic attingere lubet. Licet eccleſia Dei a primis incunabulis, ad noſtra usque tempora, ſuos ſemper habuerit hoſtes, neſcio tamen, an unquam ſors ejus triſtior fuerit, quam hiſce ſub Muhammedanis, quorum ſævitia, in Chriſtianos tanta fuit, ut vix majorem hiſtoriæ ullæ commemorent. In ſuperioribus breviter oſtenſum eſt, quomodo nonnullis Chriſtianorum fuga ſubductis, ceteris ſub impotenti imperio Saracenorum vivendum fuerit. Horum conditio primis temporibus tolerabilis videbatur, etenim non tantum permiſſum fuit monaſteria & templa retinere, ſed etiam in illis religionem Chriſtianam libere exercere. Interdictum tantum erat ſacris Maurorum intereſſe, & templa frequentare, quæ gens iſta ſuperſtitionibus maxime dedita ibi extruxerat, ne quo modo Muhammedi quicquam detraheretur, quem maledictis publice aut privatim inceſſere capitale erat. n) Hac tamen libertate non diu uſi ſunt Chriſtiani; nam paulo poſt in eos ferro & igne ſævitum eſt. Cum enim viverent ſub gente nomini Chriſtiano infenſiſſima, cui a cæde Chriſticolarum abſtinere difficile fuit, mitiora fata expectare non potuerunt. Poſtquam

n) Joh. Marian. Rerum Hiſp. c. XV. lib. 7.

quam igitur regnum Cordubenſe conditum eſſet, tam multa mala perpeſſi ſunt Chriſtiani, ut ea vel animo aſſequi, vel calamo complecti vix quisquam queat. Variæ ab Abderrahmano, ejusque ſucceſſoribus excitatæ fuerunt perſecutiones, in quibus plurimi ſanguinis ſui pignore Chriſto divinitatis teſtimonium dedere. o) Tributa, quæ initio tolerabilia erant, in immenſum augebantur, quorum finem, aut modum licet peterent Chriſtiani, non tamen conſequuti ſunt. Unde factum, ut multi calamitatibus impares religionem Chriſtianam deſererent, alli in fide perſiſtentes, eandem, ut dictum, ſanguine ſuo obſignarent. p) Ad hæc mala promovenda multum quoque contulerunt Judæi, qui hoc tempore cum Arabibus communia habuere ſtudia, & fraudes in Chriſtianos multiplices exercuere. q) Per has perſecutiones religionem ſuam propagare voluiſſe Saracenos haud dubium eſt; nempe vel vi efficiendum putarunt, ut Chriſtiani Islamiſmum amplecterentur, ut omni diſſidio, quod ex diverſitate religionum in republica oriri ſolet, ſublato, imperium eorum eo magis confirmaretur. Sed ſpes eos in multis fefellit, cum plurimi fuga elapſi

o) Hiſt. Eccleſ. Hotting Seculo 10. p) Arch. E. Benzelii Breviar. Hiſt. Eccleſ. Secul. octav. p. m. 231. q) Ibidem p. 229.

pſi ad Chriſtianos ſe contulerint, ut tempore Almohadum pauci inter Mauros eſſent nomine & profeſſione Chriſtiani. r) Quod attinet ad *Muzarabes*, quorum per eadem tempora frequens in Hiſpanicis hiſtoriis mentio eſt, Chriſtiani & ipſi erant, ſed ſuis propriis ritibus a ceteris diſtincti. Horum & nomen & origo perobſcura eſt. Ex Africa in Hiſpaniam eos traduxiſſe ſcribitur Jacobus Almanzor, Rex Maroccanus, circa A. D. 1170. ut inde corporis ſui haberet cuſtodes. Quibus religionis ſuæ exercitium liberum permiſit, templo illis extructo, in quo Miſſam audire & cetera ad cultum divinum ſpectantia obire poſſent. Conſtitit ſatellitum illa cohors D. maxime viris, quibus ſat lautis ſtipendiis, & eximiis privilegiis erat proſpectum. Hujus ſectæ, ut ita loquar, mentionem facit Eulogius Martyr & Archiep. Tolet. s) his verbis: *Saraceni etiam tactum Moſcharabum vitant.* Et Ordericus Monachus in Hiſt. Eccleſ. ab And. du Cheſnio inter ſcriptores rerum Normannicarum edita: *Muceranii* (ita eos appellat) *fere x millia congregati ſunt, ac regem Hildefonſum humiliter adierunt. Nos, inquiunt, & patres noſtri hactenus inter gentiles educati ſumus, & Baptizati Chriſtianam*

r) vid. Joh. Marian. Rerum Hiſp. lib. XI. c. 1.
s) Memorial. Sanct. Cordub. lib. 1.

nam legem libenter tenemus, ſed perfectum divæ religionis dogma nunquam addiſcere potuimus. Nam neque nos pro ſubjectione infidelium, a quibus jam diu oppreſſi ſumus, Romanos ſeu Gallos expetere doctores auſi fuimus: neque ipſi ad nos pervenerunt propter barbariem paganorum, quibus olim paruimus. Nunc autem aduentu veſtro admodum gaudemus, & natali ſolo relicto migrare cum uxoribus & rebus noſtris optamus. Muceraniis igitur rex, quod petebant annuit. Magna igitur multitudo de finibus ſuis exivit & pro ſanctæ legis amore, ingenti penuria & labore adflicta exulavit. Et paulo poſt. *Porro Cordubenſes aliique Saracenorum populi valde irati ſunt, ut Muceramios cum familiis & rebus ſuis diſceſſiſſe viderunt. Quapropter communi decreto contra reſiduos inſurrexerunt, rebus omnibus eos crudeliter exſpoliarunt, verberibus & vinculis multisque injuriis graviter vexarunt, multos eorum horrendis ſuppliciis interemerunt, & omnes alios in Africam ultra fretum Atlanticum relegaverunt, exilioque truci, pro Chriſtianorum odio, quibus magna pars eorum comitata fuerat, condemnaverunt.* De iisdem J. Pappus Hiſt. Eccleſ. a Bohem. contin. t) "Quamvis & in Arabia, ubi initio habitarunt, & in Africa atque Hiſpania, in quas "re-

t) pag. 935.

"regiones poſtea colonias duxerunt, pauciſ-
"ſimi ſuperſint. Utebantur illi in officiis,
"ut nominantur, divinis, lingua Latina,
"& Romanæ eccleſiæ parebant, atque etiam
"in azymis conficiebant: ſic tamen ut in
"multis ab eccleſia Romana diſſentirent.
"Fuit autem brevior eorum ſucceſſio, hanc
"præcipue, ut ajunt, ob cauſſam, quod
"inter ſuæ tantum gentis, & religionis ho-
"mines conjugia inirent. Toleti, Salman-
ticæ, & aliis Hiſpaniæ locis adhuc quos-
dam ſupereſſe ferunt, qui utantur brevia-
rio & miſſali Mozarabum antiquo, idque
beneficio Cardinalis & Archiepiſc. Tolet.
Franciſci Ximenii, qui cultum eorum re-
ſtauravit, exeunte circiter Seculo XV. conf.
Guil. Cavei Script. Eccleſ. Hiſt. Literar. u)

§. 4.

Sequitur jam, ut nonnulla de mutua familiaritate Chriſtianorum & Arabum proferam. Licet Saraceni Chriſtianos ita, ut dictum eſt, non raro afflixerint, & Chriſtianorum reges quam ſæpiſſime cum Mauris bella geſſerint: x) tanta tamen interdum familiaritate eos coaluiſſe reperimus, ut *nec ab armorum coniunctione, nec ipſo etiam conjugii vinculo abſtinuerint*. y) Nam Chriſtia-

u) pag. 552. x) Puſend. Manud. ad Hiſt. cap. 2. §. 6. y) Hotting. Hiſtoria Eccleſ. cap. XI.

ſtiani reges non tantum auxilium petebant a Mauris, ſed etiam alia occaſione ſuccurrendo illis gratiam referebant. De Mauregato Chriſtianorum rege legitur, quod fœdus cum Mauris, & Abderrahmano eorum rege iniverit pro auxilio obtinendo contra Alphonſum, pactumque fuiſſe, ut quinquaginta virgines nobiles, & parem ex plebe numerum quotannis illis daret. z) Sic quoque principibus Maurorum Suleiman & Almohadio inter ſe certantibus, multi Chriſtiani in utriusque exercitu erant, quibus, finito prœlio, munera pro opera præſtita data ſunt, & venia ad ſuos redeundi conceſſa. a) Notandum etiam eſt, quod epiſcopi quoque huic prælio aliquando interfuerint. Pravus enim mos apud Chriſtianos per illa tempora obtinuit, *ut epiſcopi armati certarent in acie; & quod nefas eſt amplius, pro Arabibus contra Arabes.* b) Neque mutua hæc eorum familiaritas ſolum ſeſe extendebat ad res bellicas, & ad victum & amictum neceſſarias; ſed eousque proceſſit, ut Chriſtiani ex Arabibus duxerint uxores, & Mauri matrimonio ſecum jungerent feminas Chriſtianas. Audiamus Baroni-

z) Michaël Ritius Neap. de Regibus Hiſp. lib. 2. conf. Joh. Marian. a) Rod. Tolet. Hiſt. Arabum cap. 34. b) Hotting. Hiſt. Eccleſ. cap. cit. ex Baronio.

ronium: c) *Eo inſuper deteſtando amicitiæ uſu Chriſtiani Saracenis conjuncti mutua inter ſe fœdera nuptiarum inibant, quod & principes id facere non erubeſcerent. Nam qui regnabat Toleti Abdalla, filius Almahadii, in uxorem accepit Thereſiam virginem a fratre Adelfonſo Legionis rege; invitam. Noluit tamen recutito uniri prius, quam Chriſto nomen dediſſet: quod facturum ſe promiſit, ſed non præſtitit.* Prætérea de Egilone Roderici regis conjuge tradit Mariana, d) quod facta ſit tori ſocia Abdalaziſii, primi Maurorum regis in Hiſpania; & alibi refert Alphonſum Caſtiliæ regem uxorem duxiſſe Benabeti Mauri, Hiſpalenſis regis filiam, ſuperſtitione Maurica prius abjurata, & loco Zaidæ nomine Mariæ ei impoſito. Plura exèmpla non addo; volunt tamen hanc commixtionem ita contaminaſſe plurimas familias Chriſtianorum in Hiſpania, ut Chriſtianis, an Mauris vel Judæis debeant originem, difficile ſit inveſtigatu. Adhæc multa incommoda circa religionem, quæ conjugia cum profanis contracta ſequi ſolent, ex hac confuſione non potuere non oriri. *Nam in illo caſu apparet majus periculum, aut certe plus difficultatis injici veræ*

c) vid. locum antea citatum Hotting. d) De Rebus Hiſp. lib. 6. c. 27.

ræ religionis uſui, e) quam in aliis fœderibus, quæ cum populis alius religionis inire ſolemus. Non quidem illicitum putamus fœdera interdum cum illis inire, qui a Chriſtiana religione alieni ſunt; attamen ſicut in omnibus rebus, ita in hac potiſſimum prudenter agendum eſt, & cavendum, ne aliquid damni ex eorum ſocietate capiatur. His porro Chriſtianorum cum Arabibus commerciis adſcribendum eſt, quod plurima linguæ Arabicæ vocabula in lingua occurrant Hiſpanica, cum *nativum ſermonem commercio aliarum gentium exoleſcere*, f) quotidiana loquatur experientia.

§. 5.

Nam quemadmodum in limine hujus diſſertationis innuimus, nihil firmum & ſtabile manere; ita linguas eadem experiri fata certiſſimum eſt. Nam

Ut ſylvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque. g)

Cauſ-

e) Grotius de Jure Belli & Pacis lib. II. c XV. §. 10 f) Curt. lib. VI. cap. 10. g) Horat. de Arte Poët. v. 60.

Cauſſæ mutationis linguarum variæ eſſe poſſunt, quas heic enumerare licet noſtri non ſit inſtituti, credimus tamen, bella, everſiones imperiorum, inundationes aliorum populorum, commercia, converſationes & connubia ad rem facere plurimum. Itaque, ut Saraceni ex Arabia egreſſi varias occuparunt regiones, & una cum armis Muhammediſmum propagarunt; ita occupatis a ſe terris linguam Arabicam infudiſſe, notius eſt, quam ut multa egeat probatione. Cumque iidem Hiſpaniam diu tenuerint, non mirum eſt, ibi quoque reliquias quasdam ſermonis eorum ſupereſſe. Sunt certe, ut in diſſ. de Ling. & Erud. Arabum h) loquitur Ampl. Dn. præſes, qui velint quartam Hiſpanicæ linguæ partem "eſſe Arabicam, de quo extat apud Hiſpa-"nos libellus, cui titulus: *Vocablos Aravi-"gos introducidos en la lengua Caſtellana, re-"copilados en Granada por el ſanto officio;* "extat item Petri de Alcala *vocabuliſta Ara-"vigo en letra Caſtellana Salam.* 1505. 4. & "Franciſci Lopez *Syllabus corruptarum vo-"cum Arabicarum, quæ in lingua Hiſpanica "uſurpantur.* De illis ipſis vocabulis vide-"ri quoque merentur Joſ. Scaliger in epiſt. "ad Caſaubonum, & Ant. Giggejus in Theſauro Arab. Hinc eruditi inter linguas, ex

b) pag. 111. Vel Biblioth. Brem. Nov. Cl. IV. p. 261.

quibus hodierna lingua Hiſpanica conflata eſt, jure merito numerant Arabicam. *Hiſpania*, verba ſunt Boxhornii, *quæ Romanis, Mauris, Gothis parere jüſſa & habitata, ſermone hodie fere non alio utitur, quam ex tribus diverſarum gentium linguis conflato.* i) Superſunt itaque apud Hiſpanos veſtigia Arabicæ linguæ non ſolum in ſermone, ſed etiam aliis rebus, utpote urbibus & oppidis, montibus, fluminibus, fonti- & ceteris, quibus Barbari ad veterem omnem memoriam confundendam nova nomina impoſuerunt. k) Et ſi credere velimus Becmanno, & aliis: Eſt adhuc linguæ "Arabicæ aliquis uſus in aſperis Granatæ "montibus, quos Alpuxarras dicunt, ac "multis inſuper Andaluſiæ, Valentiæ, Ar-"ragoniæque locis, quæ & incolis Araviga ab Arabibus dicitur. l) Quin & Arabes in Hiſpania literarum excoluiſſe ſtudia, loquuntur opera ab illis erudite conſcripta, quæ jam in Latinam linguam verſa habentur. Inter viros eorum eruditos longe plurimos *Averroës* Cordubenſis memorandus venit, cujus philoſophica ſcripta in pretio fuere etiam apud Chriſtianos. Neque diffiten-

i) Boxhor. Origines Gallicæ cap. VI. pag. 88. k) Joh. Mariana lib. 6. cap. 27. l) Becm. Hiſt. Orbis Terrar. Geogr. & Civ. c. IX. S. III. §. VI.

dum eſt hac occaſione ab Arabibus varias ſcientias accepiſſe tam Judæos, qui in Mauritania & Hiſpania cum illis habitabant, quam occidentales Chriſtianos, apud quos per hæc tempora ſpiſſa regnavit barbaries; qui hoc etiam Arabibus debent, quod Græcos philoſophos & ſcriptores in Arabicam linguam converſos ab illis acceperint, quos in Latinam noſtri orbis homines deinde transtulerunt. His verſionibus utebantur Europæi per multos annos, donec poſt expugnatam Anno 1453 a Turcarum imperatore, Muhammede II. Conſtantinopolim, ex Græcia viri doctiſſimi, atque variarum diſciplinarum Magiſtri, fuga inde dilapſi langueſcentibus in Europa ſtudiis ſubvenerint. Præclara quædam in hanc rem habet Joſ. Scaliger Epiſt. ad Stephanum Uberum: m) *Florentibus Arabum rebus, ſumma meliorum literarum imperitia in tota eccleſia Latina erat: quam bonæ diſciplinæ inter Muhammedanos maxime vigerent. Et profecto quicquid Latini ſcripſerint, poſtquam illos inſcitiæ ſuæ monuit Arabum induſtria, id totum Arabibus acceptum debent, Philoſophiam, Medicinam & Mathematica. Nam nullum Græcum ſcriptorem habuerunt, quem non ex Arabica in Latinam translatum legerint.*

m) citante adm. Rev. Præſid. in Hiſt. Ling. & Erudit. Arab. p. 145.

rint. Ptolemæi magnam Syntaxin prius ex Græca Arabicam, ex Arabica Latinam factam tractare cœperunt. Sic Euclides Arabice, deinde Latine converſus, tamdiu inter nos obtinuit, donec capta Conſtantinopoli exules Græci nos relictis lacunis ad ipſos fontes convertere docuerunt.

CAPUT QUARTUM.

§. 1.

Quandoquidem *nihil poteſt eſſe diuturnum, cui non ſubeſt ratio*; n) manebit verum, illam poſſeſſionem non eſſe certam ac perpetuam, quæ violenta manu, & malis artibus acquiritur. Nam ut Supremum Numen τας οροθεσιας της κατοικιας o) generi humano conſtituens, oſtendere voluit, quam ingrata & inviſa ei ſit tumore cum nimio dominandi cupido; ita illi, qui ſua ſorte non contenti, *prava* duntaxat *libidine habendi, ambitione & ardore quærendi famam ex aliorum oppreſſione*, p) vicinos ſine juſta bellandi cauſſa oppugnant, & eorum

n) Curt. lib. IV. cap. 14. o) Act. 17. 26 p) Pufend. de Jure Nat. & Gent. lib. VII. cap. VI. §. 5.

terras occupant, infelicem ſortiri ſolent exitum. Hinc, cum Saraceni illicitis & ſceleſtit artibus Hiſpaniam occupaſſent, non perpetuo eorum potentia integra permanere potuit, ſed tandem ad interitum vergere neceſſe habuit. Quippe Chriſtiani, Deo pro meliore ſtante cauſſa, unam provinciam poſt alteram receperunt, & hos viciſſim religionis Chriſtianæ hoſtes graviter adeo infeſtarunt, ut illi, qui Hiſpania non contenti Galliam affectarant. q) jam in Granatæ angulum compulſi paucitate ſuorum erubeſcere cogerentur, quam in Chriſtianis contemſerant. Hoc poſt Divinam providentiam, adſcribendum eſt fortitudini gentis Gothicæ, cui Maurorum virtus nullo modo comparari potuit, licet fuerint bellis & rapinis deditiſſimi. Gothi namque, ex quibus nobiliſſima pars populi Hiſpanici conſtabat, tanta fortitudine animi ſemper fuerunt, ut cauſſas bellandi nacti, victoriam quam ſæpiſſime reportarint. Unde Carolum V. Imperatorem, materna origine genus ad Veſtro Gothos referentem *ſibi ſuisque Hiſpanis honori habuiſſe a Gothis originem ducere, teſtatur* Hornius. r) Et Hugo Grotius s) vere eum dixiſſe adfirmat,

q) vid. Puf. Iſag. ad Hiſt. Europ. cap. V. §. 3.
r) Orbis Imper. pag. 162. s) In Proleg. ad Hiſt. Proc. pag. 61.

mat, *nobiliſſimarum per Europam familiarum origines ex Gothia, aut aliis Scanziæ partibus derivatas eſſe.* Præterea ipſos Mauros ad excidium ſuum haud parum contuliſſe, vel exinde conſtare puto, quod diſcordiæ civiles, aliaque vitia apud eos viguerint, quæ, principatuum, omniumque ſocietatum ruinam accelerare ſolent. His itaque & aliis malis per imprudentiam & temeritatem ſuorum, licet Arabes attriti fuerint, non tamen demiſerunt animos, quamdiu Africani illis ſuccurrere vellent. Poſtquam autem inde & ex Aſia auxilium diu fruſtra expectaſſent, de imperio ſuo in Hiſpania defendendo, deſperare viſi ſunt. Occupatos fuiſſe Saracenos in bello cum Chriſtianis gerendo, eamque ob cauſſam ſociis ſuis in Hiſpania periclitantibus ſubſidio venire non potuiſſe, obſervat Joh. Hübner. t)

§. 2.

Hactenus Hiſpania in plura regna diviſa fuerat; eaque propter ob bella inteſtina minus apta ad expellendum Arabes. Cum vero conjugium Ferdinandi V. dicti Catholici cum Iſabella totam junxiſſet Hiſpaniam, venit demum tempus, quo poteſtas Maurica communem rerum humana-

t) Polit. Quæſt. Tom. II. §. 37. de Hiſpania.

rum vicem experiretur. Hi quippe Principes, ſicut nati credebantur, ut rebus Hiſpaniæ ſubvenirent, & illud regnum ad ſummum eveherent faſtigium; ita Mauros, Chriſtianæ religionis hoſtes, fortius aggreſſi eos expellere, locaque ab illis occupata recuperare nitebantur. Anſam belli dederunt Mauri ipſi Granatenſes, qui ſemper fallaces, fœdus pacis, quod Chriſtiani cum rege Luſitaniæ bellaturi, ad certum tempus cum ipſis iniverant, ante ſtatutum diem violarunt, & Zaharam Chriſtianorum oppidum occuparunt. In quo oppido, nocturno tempore capto, tanta ſævitia uſi ſunt, ut Chriſtianos, qui propter inducias cum ipſis pactas ſine ullis excubiis ſecuri nudique dormiebant, crudeliter trucidarint, neque mulieribus parcentes neque pueris. u) Quo comperto Ferdinandus & Iſabella bellum in Mauros parare cœperunt, quod decem annis geſtum, cum internecione tandem Maurorum finitum fuit. Hi ſcilicet Principes freti cauſſa meliori, quæ

- - *jubet ſuperos ſperare ſecundos.* x)

tanta felicitate uſi ſunt, ut multis urbibus devictis ac recuperatis, ad Granatam, quæ caput erat regni, exercitum 50000 peditum,

u) Lucii Marin. Siculi de Rebus Hiſp. lib. XX.
x) Luc. Mar. VII. 349.

tum, equitum 12000 admoverint. y) Regnabat in ea Muhammed Boabdiles, ultimus Maurorum rex, qui ab omni ſpe ſubſidii deſtitutus, conſilio cum ſuis habito, deditionem facere coactus eſt, cum intra Granatæ muros hominum ferme ducenta millia ſine commeatu alere, & propter multitudinis tumultum obſidionem diutius ferre non poſſet. z) Facta eſt hæc deditio circa annum Ch. milleſimum quadringenteſimum nonageſimum ſecundum, cum Arabes ultra ſeptingentos annos hanc urbem tenuiſſent. Hoc modo finitum eſt imperium Arabum in Hiſpania, poſtquam ſeptingentos ſeptuaginta octo annos, puta a clade V-Gothorum ad urbem Xeritium Anno DCCXIV, ad annum MCCCCXCII. numerandos, ſummis cum Chriſtianorum incommodis ibi regnaſſent. Atque ſic ad Chriſtianos rediit Hiſpania, quæ ante eorum fuerat. Hoc etiam quidam ex conſiliariis Boabdilis faſſus eſt, cum regi deditionem ſuaderet: quod ſi, inquiens, tibi "regium nomen & inſignia deponere mo-"leſtum eſt multumque difficile, te tamen "una vel maxima ratio conſolabitur, pro-"pterea quod hoc regnum, quod ut ſcimus,

y) Pufend. Introd. ad Hiſt. Hiſp. c. 2. §. 9. z) Confer. Luc. Mari. Sicul. antea cit. de Bello Granatenſi.

"olim Christianorum fuit, & a majoribus "tuis usurpatum, ipse nunc injuste possi- "des, non amittes quidem, sed, quibus "jure debetur. restitues &c. a) Liquet hinc, eos male sibi consulere, qui in multitudine provinciarum suam ponunt felicitatem & varias occupant terras, quas tamen deinde nec apte regere, nec tueri possunt. Nam verum est, facilius esse provinciam facere. quam obtinere:

Nec minor est virtus, quam quærere, parta tueri:
Casus inest illis: hic erit artis opus. b)

§. 3.

Vidimus breviter, & pro modulo ingenii, initia, incrementa, imminutionem, & finem imperii Arabum in Hispania. Superest, ut de eorum expulsione verbo agamus. Postquam Ferdinandus Catholicus hoc modo universam Hispaniam in suam redegisset potestatem, 170000. familias Maurorum & Judæorum regno abire jussit, sanctæ, quam vocant, inquisitionis tribunali antea A. 1478. propter eos erecto. c) Soboles autem eorum, quæ Christianam reli-

a) loco cit. b) Ovid. de Arte Amandi lib. 2. v. 13. 14. c) Puf. de Stat. Hisp. §. 9. cap. 2.

religionem ſuſceperat, ſub Hiſpanico imperio ad tempora Philippi III. manſit. Hic ante omnia ſolicitus erat, quomodo terræ Hiſpanicæ a Maurica purgarentur colluvie; itaque edicto dat. die 19. Decemb. A. 1609 omnes Maranos proſcripſit. Triginta tantum dies illis conceſſi ſunt, quibus res ſuas componerent; his autem finitis, tutum locum in Hiſpania invenire non potuerunt, cum Maranum aut hoſpitaliter excipere, aut occultare prohibitum eſſet. d) Itaque 90000 homines ſenibus & juvenibus computatis, Hiſpaniam relinquere coacti ſunt. Allegatur ab Hipanis zelus religionis, Maurosque reli-
"gionem Chriſtianam dicunt tantum obtentui
"ſumſiſſe ad perficiendas animo conceptas
"fraudes ſuas, veluti & juſtitiam expulſionis
"Maurorum peculiari ſcripto perſecutus eſt
"J. Bleda Valent. e) Alii tamen aliter de
"hac expulſione ſentiunt; nec defuerunt, qui
"ingentes Judæorum & Maurorum opes,
"ſimiliave ita quæſita eſſe ſuſpicarentur. f) Nos cuivis facile conſtare putamus, Hiſpaniam exinde ſummum cepiſſe detrimentum, vicina regna autem incrementa luculentiſſima. Manifeſtum enim eſt, Hiſpaniæ regnum, per hanc Maurorum expulſionem, ut

d) vide Archon. Coſm. Gothofredi lib. I. de Hiſp.
e) Becman. Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civilis Pars II. cap. I. §. IV. f) Ibidem.

ut & per tot in novas provincias miſſos exercitus, ac colonias, ad magnam paucitatem hominum redactam fuiſſe; ut exſucca & exſanguis tot cives non haberet ſuperſtites, quot ſufficere poſſent ad bene beateque in regno vivendum. Nam ſicuti nimia civium multitudo civitati nocet; ita ſi juſto pauciores ſint, varia inde damna in rempublicam redundare neceſſum eſt. g) Et licet Hiſpani inviti idem fateri cogantur; unitatem tamen religionis, quæ quam maxime illis curæ eſt, & quam per ejusmodi heterodoxorum exſtirpationem quærunt, pluris faciendam eſſe exiſtimant. h)

§. 4.

Sed Arabes & Mauri ex Portugaliæ & Hiſpaniæ ſolo ejecti in Africam ſe receperunt, & omnia Barbariæ littora impleverunt, nunquam ut ſperamus, inde retro laturi pedem. Verum ut inter hos & Chriſtianos

- - vetus, atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus

Ardet adhuc; i)

ita non tantum Hiſpanos, ſed etiam deprehen-

g) Libenthal Colleg. Polit. pag. 245. h) videſis Hübner. Quæſt. Polit. & alios. i) Juvenalis Satyr. XV. v. 33.

hènſos e Chriſtianis alios variis damnis afficere ſolent. Quippe hi homines, (ſi modo homines ſint nominandi, & non potius leones & lupi) rapto vivere aſſueti, rem omnium fœdiſſimam, latrocinia exercent, & homines in mari navigantes, haud aliter ac vēnatores feras, excipiunt, captos duriſſimis laboribus crudeliter vexant. De his conſule, ſi lubet Dapperum, k) & reliquos earum rerum ſcriptores. Quod ſupereſt memor illius Satyrici.

Tecum habita; & noris, quam ſit tibi curta ſupellex. l)

cymbam meam vaſtiſſimo huic oceano porro committere non audeo; itaque jam contractis velis, portum ſubire, & litori puppim adplicare conſultum duco.

k) Deſcript. Africæ. l) Perſius Satyra IV. v. ult.

III.

DE VERBO

הרשיע

PAUCIS COMMENTATUR

JO. HENR. PRATJE.*)

Præeunte concilio Tridentino a) Pontificiæ eccleſiæ doctores voci JUSTIFICARE ſenſum phyſicum tribuunt. Putant nimirum, juſtificationem eſſe internam cordis mutationem, per quam inhærens, pie ſancteque vivendi habitus hominibus conferatur. Nos quidem haud inficiamur, hominem juſtificandum eatenus mutari debere,

*) Commentatio hæc Reverendiſſimi Conſiliarii Eccleſiaſtici Regii & Ducatum Bremenſis & Verdenſis Superadtendentis Generalis, Theologum loquitur. cujus ſumma cura eſt puriorem Proteſtantium doctrinam in momentoſiſſimo dogmate omni modo ſtabiliendi. Loca S. S., ubi הרשיע occurrit, heic aptiſſime digeſta, & enuncleata locum de Juſtificatione in Syſtemate Proteſtan-

a) Vid. Seſſ. VI. cap. 7.

rè, ut peccati dominium infringatur & imminuatur, carnisque concupiſcentiæ ſupprimantur & exſtinguantur. Neque etiam negamus, hominem jam juſtificatum, veræ pietati ſerio ſtudere & inhærentem quandam juſtitiam ſibi comparare debere. Quando autem de ipſa juſtificationis indole & ratione formali quæritur, tantum abeſt, ut in Pontificiorum, regenerationem, juſtificationem & renovationem permiſcentium,

ſtantium tam mirifice illuſtrant, ut nihil ſupra. Sequens autem Meditatio in 2 Cor. IV. 6. conſtructionem verborum Pauli juxta ſolidioris Exegeſeos rationes ita evincit, ut nullus de ea amplius vel Ipſi *Heumanno* dubitandi locus ſupereſſe potuiſſe. Gratias itaque publice Viro Reverendiſſimo perſolvo ſummas, quod pro favore & amicitia, qua me dignatur, ſpontaneo motu Bibliothecam meam doctiſſimis his Scriptis promotam & exornatam cupiverit, hoc magis, cum ſimili inſtituto, ut olim, ſic nunc ejusdem fere indolis collectione, das theologiſche Magazin dicta, reip. Litterariæ & Chriſtianæ inſerviat. Benedicat Clementiſſimus Deus laboribus Viri Optimi indefeſſis, qui eruditionem Theologicam ſolidam ſpirant & ſingularem ardorem Paſtoribus, Inſpectioni Ejus commiſſis, inſtillandi eruditæ pietatis ſtudium, fidelemque animarum curam. Favere ut perget benigne & mihi, & Bibliothecæ huic ſummopere in votis habeo. N. B.

um, ſententiam ſecedere, vocibusque צדיק & δικαιος phyſicum ſignificatum tribuere poſſimus, ut potius, præeunte Sacra ſcriptura, docere coacti ſimus, juſtificationem ſenſu forenſi gaudere, eamque Dei eſſe actionem vel ſententiam, qua hominem peccatorem pro juſto declaret, & a peccatorum poena abſoluat.

Argumenta autem, quæ pro ſententia noſtra in medium proferre ſolemus in primis hæc ſunt:

1. Nullus Sacræ ſcripturæ locus, de juſtificatione hominis peccatoris coram Deo agens, indicari poteſt, qui ſignificatum forenſem admittere & ferre nequeat.

2. In negotio juſtificationis omnia ea occurrunt, quæ alias in foro occurrere ſolent: accuſator, reus, teſtis, judex, advocatus, ſententia.

3. Juſtificatio condemnationi opponitur: non tantum in foro humano, ſed etiam divino. Rom. V, 18. VIII, 33. Quemadmodum autem CONDEMNATIO actum forenſem denotat; ita etiam illius oppoſitum, JUSTIFICATIO. Bina hæc vocabula: JUSTIFICATIO & CONDEMNATIO ſe invicem vehementer illuſtrant.

Ex illis autem vocabulis, quibus Sacra veteris teſtamenti ſcriptura condemnationem indicare ſolet, notatu maxime dignum eſt

eſt verbum הרשיע, quod a רשע (*improbus fuit*) ſicut הצדיק (*juſtificavit*) a צדק (*juſtus fuit*) in conjugatione Hiphil formatur. At enim vero הרשיע non ſignificat, aliquem, per infuſionem novarum, earumque malarum qualitatum impium reddere, id quod de Deo, qui homines ſæpe הרשיע dicitur, vel cogitare nefas foret Pſ. V, 5. ſeq. ſed *pro impio declarare & tractare*. Ita etiam ex oppoſitionis legibus הצדיק ſignificare non poteſt, aliquem per infuſionem novarum, earumque ſanctarum qualitatum juſtum conſtituere, ſed *juſtum aliquem declarare, habere, tractare*.

Frequens verbi hujus in ſacris litteris uſus eſt: frequens etiam in locis, ubi occurrit, verbi הצדיק oppoſitio deprehenditur. Adhibetur autem

I. De HOMINIBUS condemnantibus.

א SEMET IPSOS, dum inique ſe egiſſe, pœnamque meruiſſe judicant atque fatentur. Ita

(1) Hiobus cap. IX. 20. in hæc erumpit verba: אם אצדק פי ירשיעני. *Si juſtificavero me, os meum condemnabit me*. Et

(2) Eliphas, Themanita ad Hiobum, cap. XV. 6. *Os*, inquit, *tuum*, ירשיעך *te condemnabit*, vel impium te eſſe declarabit. Quaſi dixerit: Opus non eſt, ut ego te condemnem, aut iniquitatis tuæ te con-

vincam: Tua ipsius labia & verba illud præstare tenentur.

ב ALIOS, & quidem

A. EXTRA JUDICIUM in vita & consuetudine vulgari, dum eos & criminum & poenarum reos arbitrantur. Ita Elihu, filius Barachaelis, Busita, Hiob. XXXII. 3. sociis suis succensuisse legitur, quod Hiobum redarguere & refutare non solentes, tamen condemnarent. וירשיעו. Nequaquam enim cum illis facimus, qui verbum hoc ad Deum respicere putant, Deique nomen reverentiæ causa omissum esse. b) Perinde cæterum est, utrum το Vau h. l. per *tamen;* an vero per *sed,* quod SEB. SCHMIDIO c) magis placet, vertamus.

B. IN JUDICIO secundum regulas juris & ex auctoritate publica. Ita.

(1) Exod. XXII. 9. *Quemcunque condemnaverit* אלהים, *restituet duplum socio suo.* Voce אלהים magistratus in Sacra scriptura nonnunquam insigniri certum, & ex Ps. LXXXII. 6. liquidum est, adeo, ut negari omni-

b) Vid. COCCEJUS in Comment. ad h. l. Tom. Opp. I. p. 582.

c) in Comment. in Hiob. ad h. l. p. 1218.

omnino nequeat. Eadem autem ſignificatione hoc loco adhibetur. Hinc Lutherus recte per Richter; Anglus per *Judge*; Martinius per *les Juges* tranſtulerunt. Agitur de depoſito: qua in cauſa quidem *depoſitarius*, ſi dolum commiſerit, depoſitor autem, ſi injuſtam inſtituerit actionem ad duplum, alteri ſolvendum per judices condemnator.

(2) Deut. XXV. 1. Ex hoc loco intelligimus, cives, quos inter lis exorta eſt, judicio ſiſtendos, juſtos quidem juſtificandos, (הצדיק) impios autem condemnandos (הרשיע) eſſe. Hic liquido & e diametro ſibi opponuntur verba הצדיק & הרשיע. Idem etiam Prov. XVII. 15. factum obſervabis.

(3) Pſ. XCIV. 21. hæc leguntur verba: ודם נקי ירשיעו. *Sanguinem innocentem condemnant.* Quodſi forte de ſubjecto, cui condemnandi actus tribuitur, ſollicitus fueris, ex toto Pſalmo facile animadvertes, judices ſuperiores in populo Judaico, ſed impios, ſed iniquos, ſed injuſtos intelligendos eſſe. Ad vocem ירשיעו canon ille philologorum ſacrorum applicari poteſt, quem b. GLASSIUS in philol. ſacr. p. 768. edit. Lipſ.

1725. ita retulit: *Verbum, quod actionem seu effectum denotat, de consuetudine agendi quandoque intelligendum, & per* Soleo *cum proprio infinitivo* exponendum est. Sermo enim non est, de uno & simplici actu, sed de re, quæ in consuetudinem ex longo jam tempore abierat. *Condemnare solent.* Denique.

(4) Jes. LIV. 17. legitur: *Et omnem linguam, (quæ) surget tecum in judicium, condemnabis.* תרשיע. Alloquitur Propheta ecclesiam, vi atque convitiis agitatam, eamque consolatur, dum futurum affirmat, ut superior semper ex omni discrimine discedat. *Quodsi*, id enim sibi vult, *in judicium cum adversariis tuis vocaberis & eorum iniquitatem & tuam innocentiam ita dabis comprobatam, ut, qui judices vobis sedent, eos ad adversarios tuos condemnandos facile commoveris.*

ב IPSUM DEUM, quamvis innocentem & sanctissimum. Dabimus nonnulla hujus rei exempla.

(1) Hiob. XXXIV, 17. hæc leguntur verba: ואתם צדיק כביר תרשיע quæ ita transtulit b. LUTHERUS: Und daß du stolz bist, solltest du darum den Gerech-

rechten verdammen? LXX. interpretes: και τον αλλυντα της πονηρας ουτω αιωνιον δικαιον; BATAVUS: *Ende ſoudt gy den ſeer rechtveerdigen verdoemen?* ANGLUS: *and wilt thou judge him wicked that is moſt juſt?* VULGATA: *quomodo tu eum, qui juſtus eſt, in tantum condemnas?* SEB. SCHMIDIUS: *Num juſtum* (atque) *potentem condemnabis?* Eodem fere ſenſu TREMELLIUS: *Imo an juſtum validum condemnares?* MARTINIUS: *Et condammeras tu, comme mechant celui, qui eſt ſouverainement juſte?* Ad has verſiones, non parum a ſe invicem diſcrepantes, dijudicandas ante omnia notandum eſt, Elihu in vindicanda Dei juſtitia contra Jobi aſſerta occupatum eſſe: id quod ex v. 5. 6. 9. 10. & 12. conſtat. Conſequitur exinde, ut per צריק Deus optimus maximus intelligendus ſit. Sed nunc de conjunctione hujus vocis cum voce כביר diſpiciendum eſt. Non pauci interpretes cum s. SCHMIDIO ασυνδετον h. l. dari, & צריק כביר pro וכביר צריק poſitum eſſe ſtatuunt. MERCERUS & PISCATOR כביר adverbialiter pro מאוד adhibitum contendunt. מאוד poſitivo additum

ſuperlativum efficit. צדיק מאוד itaque eſt: *Juſtiſſimus.* Idem etiam צדיק כביר denotare poſſe, & totius hemiſtichii hunc eſſe dicunt ſenſum: *Tune eum, qui illimitata juſtitia gaudet,* Deum, *condemnares?* d) B. BAUMGARTENIO צדיק & כביר pro ſubſtantivo cum ſuo adjectivo habet & ita reddit: Solteſt du den Gerechten mächtigen verdammen? e) Sed repugnat ubivis accentuationis ratio, per quam כביר non cum voce צדיק, ſed cum voce תרשיע cohæret. Si ad *v.* 34. reſpicias, כביר eos etiam ſignificare videtur, qui potentiæ ſuæ confidunt. Quid itaque, ſi ita reddideris? *Tune juſtiſſimum Deum confidenter damnares?* Solteſt du den gerechten Gott ſo zuverſichtlich verdammen? Sin vero *Confidentiæ* notio forte diſplicuerit, per me, quod minus habebit difficultatis, כביר adverbialiter per *Vehementer* tranferre licebit.

(2)

d) Quanam ratione celeb. BOYSEN illuſtrat. critic. in V. T. Part. IV. p. 442. verſio: Und willt du, o du Stolzer! einen Gottloſen vor gerecht erklären? vindicari poſſit, ego quidem haud video.

e) Vid. Engliſches Bibelwerk. Part. V. p. 757.

(2) Addamus huic loco alium, illum explicantem, & vocem הרשיע denuo exhibentem. Legitur is cap. XL. 30. ubi Deus ad Jobum: תרשיעני למען תצדק. *Numquid me condemnares, tu ut sis justus?*

II. De DEO, homines condemnante.

(1) 1 Reg. VIII. 32. Hic Salomon rex supplicibus DEUM implorat precibus, *ut impium*, eo, quo par est, tempore & modo, *condemnet*. להרשיע רשע. *justum vero absolvat* & gratiose habeat. להצדיק צדיק? Quam eleganter hic quoque רשע & צדיק? quam eleganter הרשיע & הצדיק sibi invicem opponuntur?

(2) Hiob. Cap. X. 2. indignabundus quasi Deum alloquitur: אל תרשיעני *Noli me condemnare*, & tanquam injustum tractare! Nam verbum, quod condemnandi actum denotat, sæpe etiam sententiæ condemnatricis executionem, seu ipsam punitionem includit.

(3) Cap. XXXIV. 12. Elihu divinam vindicaturus justitiam, אל, inquit, לא-תרשוע. Verba hæc S. SCHMIDIUS quidem reddit: *Deus non agit impie*. LXX. Οτι δε τον κυριον ατοπα ποιησαι. ANGLUS: *God will not doe*

wickedly; BELGA: *Godt en handelt niet godlooslyck.* At enim vero ex Exergaſias indole το ירשיע reſpondet τω יעות משפט. Ex quo conſequitur, ut vox ירשיע h. l. recte ab illis intellecta ſit, qui condemnandi actionem illi tribuunt. Hinc bene omnino LUTHERUS: Gott verdammet niemand. Voces, mit Unrecht, in textu quidem non exſtant: ab ipſo tamen argumento ſuppeditantur. Eadem ratione VULGATA, quam LUTHERUS fortaſſe ſecutus eſt: DEUS *non condemnabit fruſtra*: & TREMELLIUS: *Deus non condemnat probum;* & MARTINIUS: *Dieu fort ne declare point mechant l'homme de bien.*

(4) Pſ. XXXVII. 33. Pſaltes loquitur de homine juſto ac ſancto (Vide ſis *v.* 28. 29. 30. 31. 32.) quem impii quidem judicant, Deus tamen non condemnat, i. e. Deus illum non condemnabit, etiamſi impius ſecundum juris ſpeciem & prætextum contra eum agere, eumque improbum ſiſtere velit.

(5) Salomon Prov. XII. 2. dicit: *Virum malarum cogitationum* ירשיע *condemnabit Deus.* VULGATA quidem ver-

verbum ירשיע intranſitive reddidit: *Qui confidit in cogitationibus ſuis, impie agit.* f) Sed perperam, & contra oppoſitionis in vocibus antecedentis hemiſtichii רצון יהוה leges. Recte itaque LUTHERUS notionem condemnandi adhibuit; Nolim tamen: Aber ein Gottloſer verdammt ſich ſelbſt; Sed: Aber den Gottloſen verdammt er, nimirum Deus, idem ille, cujus in priori hemiſtichio mentio facta. Ad hunc modum MARTINIUS: *Mais l'Eternel condammera l'homme, qui machine du mal.* ANGLUS: *But the man of wicked imaginations will he* (the Lord) *condemne:* & BELGA: *Maar eenen Man van ſchendelicke Verdichtſelen ſal Hy* (de Heere) *verdoemen.*

f) In verſione LXX. redditur per: παραδοθησεται, *oblivioni tradetur.*

IV.

MEDITATIO EXEGETICA IN 2 COR. IV, 6.

CONSCRIPTA A JO. HENR. PRATJE.

§. I.

In priori commatis hujus hemiſtichio: οτι ο Θεος ο ειπων εκ σκοτους φως λαμψαι ος ελαμψεν εν ταις καρδιαις ημων ellipſin verbi, quod Subſtantivum audit, εσι, adſumendam eſſe, nemo eſt, qui negat. Id tamen obtinere a me non poſſum, ut hanc voculam recte poſt vocem Θεος poni credam. Ita quidem venerandus quondam ſenex, D. HEUMANNUS, in verſione ſua: denn Gott iſt der, ſo dem Licht befahl, aus der Finſternis hervorzuleuchten, und der auch in unſern Herzen ein Licht hat aufgehen laſſen. a) Plane omnino &

a) Addas velim Ejusd. Erklär. des N. T. Part. XI. p. 201.

& eleganter ſenſus verborum Paulinorum hac ratione exprimitur: Sed enunciandi tamen forma, qua divus apoſtolus uſus eſt, negligitur. Quodſi enim verba: ὁ εἰπων ἐκ σκοτους φως λαμψαι, prædicati vicem ſubire voluiſſet, ſine dubio in ſequentibus dixiſſet ὁ καὶ λαμπων, ſive λαμψας, vel etiam, ſi participium porro adhibere noluiſſet: ος καὶ ελαμψεν. Ita ſane 2 Cor. I, 21. ὁ δε βεβαιων ἡμας συν ὑμιν εις χριστον καὶ χρισας ἡμας Θεος, ὁ καὶ σφραγισαμενος &c. Et 2 Cor. V. 5. ὁ δε κατεργασαμενος ἡμας εις αυτο τουτο Θεος, ὁ καὶ δους ἡμιν &c. Referenda itaque potius ſunt ad ſubjectum, poſt quod demum ellipſis per voculam ἐστι explenda eſt.

§. 2.

In eadem ſententia non BENGELIUM tantum fuiſſe ex Gnomone illius, libro, ad novum teſtamentum recte intelligendum, apprime facto, intelligo: ſiquidem ibi ad h. l. ſcribit: "*Deus - ſplendere* ſubjectum. "Deinde ſubaudito *eſt* (uti Act. IV. 24. 25.) "prædicatum ſequitur: *qui ſplenduit.*„ & CHR. SIGISM. GEORGIUM, qui in annotationibus ſuis ad hunc locum: "Ος deno- "tat *idem ille eſt, qui* &c „ nec non CHRIST. STOCKIUM, qui in novo teſtamento, obſervationibus philologicis criticis & exegeticis illuſtrato ad h. l. "Locutio, inquit, eſt elliptica pro ὁ αυ-

"τος

„τος, ος, *idem ille est, qui* &c.„ Sed omnes etiam, quos consulere licuit versiones, eam tueri novi. Ne quid enim de b. LUTHERI nostri, neque etiam de Casp. ULENBERGII, HIER. EMSERI, HIER. FELBINGERI, IO. HENR. REITZII, CASP. ERN. TRILLERI, aut JO. PISCATORIS versionibus germanicis dicam, satis sit Latinam, quæ Vulgata dicitur, Belgicam, Anglicam & Gallicam adduxisse. VULGATA: *Quoniam Deus, qui dixit, de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit* &c. BELGICA: *Want Godt, die geseght heeft, dat het Licht uit de Duysternisse soude schynen, is degene, die in onse herten geschenen heeft &c.* ANGLICA: *For God that commanded the light to shine out of datknes is he which hath shined in our hearts.* GALLICA, quæ MARTINI est: *Car Dieu, qui a dit, que la lumiere resplendit des tenebres, est celui, qui a relui dans nos cœurs;* quæ vero Monte Hanoniæ edita est: *Parceque le meme Dieu qui a commandé, que la lumiere sortist des tenebres, est celuy, qui a fait luire sa clarte dans nos cœurs.* Quid? quod ex omnibus auctoribus, quos in subsidium sibi vocavit HEUMANNUS, ne unus quidem est, qui verbum εστι post vocem Θεος interserendum, & quæ sequuntur: ο επωι -- λαμψαι, pro prædicato habenda esse contendat.

§. 3.

§. 3.

Ceterum b. HEUMANNUS cum b. LUTHERO noſtro, & verſionibus nonnullis, nimirum ANGLICANA & GALLICA MONTENSI *imperandi* notionem verbo ειπειν recte tribuit. Reſpicit enim PAULUS ad creationis hiſtoriam, in qua Deus, cum *dixiſſe* legitur, *voluiſſe* & *juſſiſſe* cenſendus eſt. Pari ratione DAVID, cum Pſ. XXXIII; 9. cecinit:

כי הוא אמר ויהי
הוא צוה ויעמר

ex exergaſiæ, qua in Pſalmis nihil eſt frequentius, b) legibus eandem verbo אמר, quæ verbo צוה competit, poteſtatem tribuit.

§. 4.

Circa vocem ελαμψεν in duas claſſes Metaphraſtæ & Commentatores ſcinduntur. Altera eorum eſt, qui eam *active* & *tranſitive*, quod dicunt, ſumendum eſſe arbitrantur. Ita maxime HEUMANNUS in explicat. biblic. Tom. XI. p. 202. ad h. l. ſcribit: Dieſes Wort ελαμψε bedeutet etwas anders, als das vorhergehende λαμψαι. Et in verſione ſua: Er hat ein Licht in unſern Herzen aufgehen laſſen. Eadem ratione CHR. STOCKIUS in annotationibus ſuis ad N. T. ελαμ-

b) De exergaſia ſacra elegantem vide CHR. SCHÖTTGENII diſſertationem in Tom. I. Horar. hebr. & talmud. in N. T. p. 1249.

ελαμψεν, inquit, tranſitive accipitur. Altera autem eos comprehendit, qui eam *neutraliter*, & *intranſitive* vertendam eſſe contendunt, adeoque vocibus: *Splenduit*, *Luxit*, *Illuxit*, utuntur. Et tantus eſt eorum qui ad hanc claſſem referendi ſunt, exercitus, ut priorem numero longe ſuperet. Opus non eſt, ut BEZAM, ut HEIDEGGERUM, ut ZEGERUM, ut BENGELIUM, c) nominem, cum verſiones tantum non omnes huic ſententiæ patrocinentur. VULGATA enim: *Qui illuxit*; BELGICA: *Hy heeft in onſe harten geſchenen*; ANGLICANA: *Which hath ſchined in our hearts*; MARTINI GALLICA: *il a relui dans nos coeurs.*

§. 5.

At enim vero numero pugnandum eruditis non eſt, ſed argumentis eorumque pondere. Conſideratis itaque, quæ conſideranda erant, omnibus, illud quidem concedo, quoad rem ipſam nihil referre, quacunque ratione verbum ελαμψεν reddideris. Utraque enim reddendi ratio indicat, corda Apoſtolorum luce divinitus ſuppeditata extra ordinem colluſtrata & illuminata fuiſſe. Ex legibus tamen Grammatices poſterio-

c) Hic quidem in Gnomone ſuo ad vocem ελαμψε diſerte ſcribit: Ipſe lux noſtra eſt: luminis non ſolum auctor, ſed etiam fons & Sol.

ſteriorem vertendi rationem priori anteferre cogor. Nimirum cum verbum λαμπω a ſcriptoribus ſacris in novi fœderis libris, præter hunc locum ſæpius adhibitum ſit, ſemper tamen neutrali & intranſitiva *lucendi*, *ſplendendi* & *fulgendi* notione adhibitum deprehendimus: nunc proprie de luce primigenia 2 Cor. IV. de luce per domum ſplendente, Act. XII. 7. de fulgure coruſcante, Luc. XVII. 24. & candela, in domo omnibus lucente, Matth. V. 15. nunc improprie de luce fidei & ſanctitatis. Matth. V. 16. Eadem eſt ratio verborum compoſitorum, quæ in S. S. occurrunt: επιλαμπω, Matth. XIII. 43. & περιλαμπω. Luc. II. 9. Act. XXVI, 13. Quid? quod, ſi PASOREM, ſi STEPHANUM etiam, in Lexicis conſulas & audias, ſcriptoribus profanis alia verbi hujus ſignificatio cognita non eſt.

§. 6.

Non ignoro quidem, qua ratione GROTIUS, vocem ελαμψεν ita reddens: *Qui lucem accendit in cordibus noſtris*; hanc verſionem communire & defendere anniſus fuerit. Ελαμψεν, inquit, hic eſt pro Hiphil, ut ſupra (cap. II. 14.) θριαμβευειν. Verum enim vero, ut de voce θριαμβευειν ſpeciatim nihil nunc dicam, circa conſuetudinem Philologorum nonnullorum, qui græcam lin-

linguam ad ebraicæ linguæ indolem refingere non dubitant, monendum omnino est, ad Ebraismos, sine urgente necessitate, quæ hic tamen nulla est, recurrendum non esse. Quid enim? Deus, qui toties in hominum cordibus *habitare* legitur, nonne etiam, cum essentialis lux sit, Jo. I. 5. Jac. I. 17. Ps. XXVII. 1. in illis *lucere*, *splendere fulgere* dici potest? Ecquid itaque impedit, quo minus verba Pauli: ελαμψεν εν ταις καρδιαις ημων ita transferamus? *Luxit* (splenduit, fulsit) *in cordibus nostris.*

§. 7.

Nihil saltim impedimenti est a voce sequenti φωτισμον. Neque enim video, quid b. HEUMANNUS his verbis: dieſe Ueberſetzung (Deus fulgorem dedit, *vel:* lucem accendit in cordibus nostris) beſtätiget das folgende Wort φωτισμον, welches Wort nicht auf Gott ſelbſt, ſondern auf die Lehrer gehet, d) sibi voluerit. Ipsi enim φωτισμον de illuminatione, per Apostolos cum aliis communicanda, interpretamur. Scilicet, cum Deus in cordibus apostolorum luceret, ipsi illuminabantur προς φωτισμον, h. est: eum in finem illuminabantur, ut aliis postea illuminationem quoque impertirent. Nonne corda illuminentur necesse est, cum Deus, lucis ad instar, in eis splendet?

V.

d) Bibl. Erkl. Tom. XI. p. 203.

V.

CAROLI SEGAAR

V. D. M. TRAJECTINI

OBSERVATIONES CRITICO-THEOLOGICÆ *IN CAPUT PRIMUM* EPISTOLÆ ad ROMANOS.

Quanquam omnes N. T. Codices nondum ſint inſpecti & examinati, ut inter alios monuit Cl. *Harenbergius Bibl.* hujus *Claſſe Secunda* p. 429. tantum tamen operæ hac in parte collocatum eſt a Viris eruditiſſimis, ut, ſi non in omnibus, at in plurimis tamen locis, genuina lectio, adhibita ſanioris critices ope, aut certo aut probabiliter ſaltem conſtitui queat. Adoranda ſane Summi Numinis Providentia! qua factum, ut variantes, quæ alicujus ſint momenti, non adeo multæ reperiantur. Has autem obſervare, & quæ vera ſit lectio ſcripti divino munere ad nos delati, rite diſcernere quemadmodum ad partes Theologi ſive Sacrarum literarum Interpretis omnino pertinet; ita & homini cœleſte depoſitum exo-

ſculanti perquam gratum accidit & jucundum. Huïc operi aliquo abhinc tempore & ego horas nonnullas ſubſecivas dedi. Cujus ſtudii aliquod ſpecimen his & in ſequentibus tuis oculis, benevole Lector, ſubjicio. Sunt obſervatiunculæ *Criticæ* in Epiſtolam *Pauli* ad *Romanos*: quibus tamen & alias, *theologicas* quoque, hic illic breviter adſpergam.

Συν Θεω igitur initium faciamus.

CAP. I. v. 5.

Color dictionis N. T. paſſim eſt Hebraicus. Scriptores ſacri de rebus, quarum nullam prorſus notitiam habebant gentiles, verba facientes, non potuerunt non novas ſubinde quoque formare phraſes, quibus illas exprimerent. Hinc & diverſitas locutionum, quin & ſtili ſacri ac profani. Talia in Epiſtolis Paulinis reperies quam plurima. Habemus & in hac Epiſtola numero non pauca. Jam in præcedentibus occurrerunt. Dantur & in hoc Com. Attendamus modo illud ὑπερ τȣ ὀνοματος ἀυτȣ. Non male forſan, ut primo ſaltem adſpectu videtur, ita explices, ut idem ſit, ac ὑπερ αυτȣ. Et ſimile quid apud Græcos & Latinos. Sic v. c. Θηβαιων ὀνομα pro *Thebanis* & plura alia, ut ſummus docuit *Caſaubonus* ad *Athenæum*. *Nomen Carthaginis, nomen Romanum*

num eodem ſenſu tritum. *Juſtinus L. 2. c. 4. Thaleſtris reverſa in regnum, brevi cum omni Amazonum nomine intercidit.* Plura dabunt Comm. ad *Petronium*. Verum, ſi rem penitius inſpicias, diſcrimen mox perſentiſces. Noſtra phraſis omnino Hebraiſmum ſapit. Nec ſimpliciter dicit *pro ipſo*. שם apud Hebræos ſæpius pro *majeſtate, dignitate*. *Nomen Chriſti* in ſcriptis Novi Inſtrumenti frequenter notat gloriam & majeſtatem illam, quam poſt peractum magnum redemtionis opus quam luculentiſſimam conſecutus eſt Dominus. Quia vero illa in Evangelio clariſſime ob oculos ponitur, hinc *Nomen Ejus* pro *Doctrina ſalutari* promulgata. Locum egregium, ad quem Apoſtolus mihi digitum intendiſſe videtur, habemus *Act. IX. 15.* ubi ita de Noſtro optimus Sofer. *Vas electum mihi hic eſt* τȣ βασαι τo ὀνομα μȣ ἐνωπιον ἐθνων κ. τ. λ. *ut nomen meum*, id eſt, doctrinam meam; *portet* (adluditur ad το σκηνος) *coram gentibus* &c. Sic illud ὑπερ τȣ ὀνοματος ἀυτȣ refertur ad priora hujus Com. Eum in finem nempe acceperat gratiam munusque Apoſtolorum, auctore Domino, ut ejus gloriam quaquaverſum circumferret, εἰς ὑπακοην κ. τ. λ. Pertinet tamen, ut puto, etiam ad την ὑπακοην πιστεως. Habuit Paulus & in mente, ut videtur, phraſin Sacræ ſcripturæ privam, eam-

que frequenter obviam, πίστευειν εἰς ονομα χριστ.

v. 9. 10.

Nescio, an Interpretes satis percepe-rint elegantiam & pulcritudinem hujus loci. Specto maxime verba ὡ λατρευω ἐν τω πνευματι μου ἐν τω Ευαγγελιω κ. τ. λ. Nihil hic dico de verbo λατρευω. Adi sis Cl. *Valckenarii An. ad Ammon. p. 98. seq.* Observetur tantum, apud Judæos græce loquentes & τὰς ο propria ratione adhiberi de cultu, qui Deo in tabernaculo & templo a Levitis & Sacerdotibus præstabatur. Christiani jam a sacris scriptoribus egregie considerantur tanquam cœlestes sacerdotes, qui spiritualem cultum in sanctuario Dei obeunt. Præprimis tamen ecclesiæ Doctores ita veniunt. Vid. insignis locus, hic omnino conferendus in in eadem hac Epist. *cap. XV, 16.* Qui Deo olim ita inserviebant, præ ceteris omnibus Illi erant sacri, & ad Ipsum pertinebant. Hinc perquam adposite noster Apostolus *Act. XXVII, 23. Adstitit mihi hac nocte Angelus Dei*, οὗ εἰμι, ὡ καὶ λατρευω. Idea nec gentilibus ignota! Sic οἱ ὀντες Απολλωνος & similia. Unde vides, quam apta sit illi loco. Idem adspectus & hic tenendus. Testis meus est Deus, *cui ego sacer sum, & ad quem totus pertineo.* Sed præcipue notanda

da phrasis electa sane: *Servire Deo* (λατρευειν τω Θεω) ἐν τω εὐαγγελιω. Ad eam probe intelligendam, in memoriam revocanda phrasis: *Servire Deo* ἐν τω ναω, *in templo.* Evangelium Jesu Christi, præstantissimum illud Evangelium, gentium doctori veluti sanctuarium erat, in quo soli Deo vacabat remque divinam continuo faciebat. Hic omnia erant πνευματικα, & ἐν τω πνευματι peragebantur. Hinc, cui *servio in Evang.* ἐν τω πνευματι μου. Πνευμα scilicet hic non tantum dicit nobiliorem mentis partem, a τη ψυχη omnino distinctam (quod alibi grata luce perfudit Cl. *Vitringa*) sed quam maxime mentem lucidissimis Spiritus sancti radiis collustratam, Ejusque sacratissimo adflatu a peccati fæcibus purgatam. Ita πνευμα sæpe apud sacros Auctores, imprimis Paulum nostrum. Talis jam mens, tota quanta Deo dicata, Deo unice litat. Illustrissimum sane Paulus omnibus Dei administris imitandum exemplar!

Ceterum habemus hic *v.* 9. αδιαλειπτως & *v.* 10. παντοτε. Ultimum hoc expungendum censet *Beza* noster, ortum quippe putans ex glossa marginali. Non satis cogitate. Optime ἀδιαλειπτως & παντοτε jungutur; quin & completior oratio, si legas, quam si omittas. Amat & Apostolus illud παντοτε, cum vel de gratiis a se Deo pro ecclesiis actis, vel precibus fusis sermonem in-

stituit. Conf. *1 Cor. 1, 4. 2. Thess. 1, 3. n. Col. 1, 3. Philem. v. 4.* Imo παντοτε & αδιαλειπτως ut h. l. conjuncta reperimus *1 Thess. 1, 2. 3.*

v. 13. 14. 15.

Loco ἐ θελω in uno & altero codice habetur ἐκ οἰμαι. Sic & Patres nonnulli legerunt. Percommode! Apostolus *v.* 11 dixerat. *Admodum desidero vos videre, ut vobiscum communicem aliquod spirituale donum* εἰς το στηριχθηναι ὑμας, metaphora ducta a *fundamento* Id durius dictum videri posset. Emollit igitur *v.* 12. *hoc autem est* συμπαρακληθηναι ἐν ὑμιν κ. τ. λ. *ut mutuam inter vos lætitiam percipiamus* &c. (ita enim explicandum). Eadem jam sermonis lenitudine pergit, subjungens: ἐκ οἰμαι δε *non puto autem* &c. Vulgata tamen lectio bene quoque quadrat. Unde perinde est, utram sequaris. Verba καὶ ἐκωλυθην ἀχρι τȣ δευρο in pluribus Edit. parenthesi includuntur: in nonnullis tamen, ut *Genevenses*, parenthesis omissa, ita ut proxime cum præcedentibus cohæreant. Hoc præstare puto. Non multum autem refert, an καὶ vertas per &, an per *sed*. Posterius *Beza* præfert. Et sæpe ita sumitur. Variis locis id monuit insignis ille Interpres. Si exempla desideres, consule hic *Wolf.* aliosque, & Ill. quoque *H. Grotium* ad *Matth. XI, XIX.* Res non est

tanti;

tanti; alias pluribus illum usum comprobare possem. Latine optime hic verteres per *atque*, quod & *vim copulativam* & *adversativam* habet, unde plus semel confusum cum *atqui*: ut Viri docti passim monuerunt. Vid. si lubet, *Obs. Misc. Vol. 4. p. 316.*

Quæ jam hoc & duobus sequentibus Commatibus habentur, quoad verborum virtutem nec non structuram, paulo adtentius considerari merentur. In censum maxime venit *v.* 15. ὅτω το κατ' ἐμε προθυμον καὶ ὑμιν τοις ἐν Ρωμη εὐαγγελισασθαι.

Illud ὅτω referendum videtur ad το καθως, quod præcessit *v.* 13. Voces enim καθως & ὅτω passim sibi respondent; ut apud latinos *quemadmodum* & *ita*. Sed tum oboritur difficultas. Verba sic non cohærent, nec limpide fluunt. Lege, si placet, uno tenore *v.* 13. 14. 15. prout exstant in nostris Edit. & ipse mox senties. Quid ergo? Statuendum itaque ὅτω ad καθως non respicere. Sic videtur. Sed age aliam faciamus distinctionem, textumque, Codd præeuntibus, paulo aliter legamus: & omnia erunt expedita. Videamus. Prætereo, quod το καὶ post χω *v.* 13. expungendum sit, ut bene judicavit *Millius*. Verum pone sis majorem distinctionem post ἐν ὑμιν, & incipe novam periodum a voce καθως. Post ἔθνεσιν autem pone distinctionem minorem. Parenthesi

include *v. 14.* & prius illud τε expone per & vel per *nam.* (Ut enim verba eum ſenſum fundant, non neceſſe cum *Battierio* τε in δε mutare. conf. Cl. *Abreſch Dilucid. Thucyd. p. 33, 34.*) Tandem *v. 15.* pro καὶ ὑμῖν lege (nec id ſine auctoritate) καὶ ΕΝ ὑμῖν τοις ἐν Ρωμη & *inter* vos, qui eſtis Romæ. Sic igitur jam textus ſeſe habet. Καθως καὶ ἐν τοις λοιποις ἐθνεσιν; (Ἑλλησι τε καὶ βαρβαροις, σοφοις τε καὶ ἀνοητοις ὀφειλετης εἰμι:) ὅτω το κατ ἐμε προθυμον καὶ ἐν ὑμιν τοις ἐν Ρωμη εὐαγγελισασθαι. Nonne jam oratio Apoſtoli bene decurrit? Si tamen hæc minus tibi placeant, potes ὅτω cum *Beza* explicare per *itaque*, vel ſi mavis per *adeo.* Quando Paulus ad priora reſpiciens dicit: *Adeo promta ſum voluntate* ad vobis &c.

Jam manum de tabula. Sed verbulo adhuc de alia varia lectione *v. 15.*

Patres ſcilicet nonnulli προθυμος legerunt pro προθυμον. Sic ergo diſtingue & lege: ὅτω, το κατ ἐμε, προθυμος κ. τ. λ. Senſus inde emergit egregius, ac nexui convenientiſſimus. Το κατ ἐμε ſignificat, *quantum in meis viribus eſt ſitum.* Vid. Vir Cl. ac de Academia & Eccleſia noſtra meritiſſimus *G. M. Elsnerus* in luculento, quem non ita pridem in hanc Epiſt. edere cœpit, commentario belg. & cel. *Kypke.* Poſt προθυμος ſubintelligendum ειμι, quod ſexcenties omit-

omittitur. Ait itaque Paulus. *Adeo quantum in me est, promtus paratusque sum ad vobis* &c. Dixerat Apostolus *v. 11 & 13*, se magno teneri desiderio videndi Romanos, atque sæpe consilium cepisse ad eos veniendi (& eo equidem scopo, quem ibi indicat.) Hinc jam liquido constabat, quam promtus esset ad Evangelium ipsis quoque adnunciandum. Sed addiderat, se huc usque prohibitum fuisse. Hinc jam illud το κατ ἐμε hoc loco. Vulgata tamen lectio etiam proba. Ad quam illustrandam plures Viri docti jam operam suam contulerunt.

v. 16.

Τε χριστε recte hic retinendum docet Cl. *Wetstenius*. Idem sensi de vocula πρωτον, quam male expungendam censent *Millius* & *Bengelius*. Præterquam enim, quod vocula πρωτον suum locum auctoritate Codicum satis tueri queat; ad jus suum probandum provocare quoque potest ad stilum & scopum Apostoli. Ita omnino arbitror. Novi, quod in *Gnomone* aliter plane judicet Vir egregius; sed rationibus non bene subductis. Hoc vero longiorem discussionem postulat, quam alii occasioni reservo.

v. 29. 30. 31.

Locus hic eximius, in quo Apostolus, æstu quodam divino abreptus, fœdam omnium vitiorum, quæ in proximum committuntur, colluviem tam admirabiliter conglomerat, ut aculeos animo infigat, & plus, quam dicat, contemplandum relinquat. In hisce tribus Comm. illustrandis plures eruditi homines omne suum studium, omnemque operam collocarunt.

Restant tamen, quæ probe notasse, ere esse, nemo non facile concesserit.

Ampla mox subnascitur materia, si mentem convertas ad ordinem, quo Apostolus omnia hic disposuit, idque, dum ejus hic, ut alias, negligentior fuisse videatur. Verum hunc campum jam non ingredior. Adire potes, si lubet, præter alios cll. Duumviros *Elsnerum* l. c. & *Bengelium* in *Gnomone*. Genuinam nonnullarum vocum indolem repræsentare, & hodiernam lectionem defendere pro virili adnitar.

v. 29.

Non admodum tranquilla sede gaudent duæ voces πορνεια & πονηρια. Alii illam, alii hanc expellendam censent. Si locum concedas, elegans hic est παρονομασια, qua figura Apostolus delectatur, ut *Piscator* aliique bene observarunt. Ita mox φθονε & φονε,

v. 31.

v. 31. ἀσυνετους & ἀσυνθετους, si modo sint proba, de quo deinceps.

Cl. *Bengelius*, cum N. T. editionem pararet, in ea versabatur opinione, vocem πορνεια esse omittendam; sed mutavit sententiam. Ita scribit in *Gnomone* "Retinendum "esse hoc verbum jam diu agnovi." Recte! Non sat est auctoritatis ad illud loco movendum. Similitudo cum voce πονηρια facile in causa esse potuit, quod omitteretur. Apostolus in ejusmodi vitiorum enumeratione πορνειας etiam passim meminit, vid. *Gal. V*, 19-21. *Eph. V*, 3-5. *Col. III*, 5.

Eruditissime inter alios de voce πορνειας disputavit cl. *Seldenus in Ux. Hebr. L. 3. c.* 23 & 27. In omnibus equidem, ut videtur, rem acu non tetigit Vir magnus; sed id jam non agimus. Vox πορνεια apud profanos non adeo frequens ac apud Hellenistas & Ecclesiasticos scriptores. Reperitur tamen, ut l. c. Vir doctus monuit, apud Demosthenem aliosque, qui pro *nefaria venere* non semel usi. Ex origine proxime notat *scortationem*: est quippe a πορνευω, idque a πορνος, πορνη, quod a περνω. Quid περνω significet, discimus ex περναω, περνημι, quæ inde formata. Hinc jam πορνος, qui quæstum facit corpore suo, & πορνη *meretrix*, quod a *merendo*, ut notum. Verum πορνεια dein pro *cujusvis* generis *libidine* & *impuritate*: unde & πορνος pro quo-

vis

vis *ſceleſto*, ut apud Latinos *impurus*. Vid. *Anton. Imper. de rebus ſuis L. 5. §. 10. 28.* Latiori ſenſu in ſ. litteris ſæpius. Ita *Col. III. 5.* ubi *Scortationem* & *adulterium* ſimul complectitur. conf. *Apoc. II, 20. 22.* Pro *adulterio* ſpeciatim, ut cum plurimis cenſeo, *Matth V, 32.* & *XIX, 9.* Verbo ἐκπορνευεσθαι de Sodoma & civitatibus vicinis uſus *Judas v. 7.* Παιδοφθοριαν cum μοιχεια & πορνεια arcte jungit *Clemens in Conſt. Apoſt.* itemque *Clemens Alex. in Pædagogo.* Hic, ut verbulo hoc addam, *Strom. L. 7. p. m. 534.* tres πορνειας ponit differentias: φιληδονιαν, φιλαργυριαν, ειδωλολατρειαν. Quod ad hunc locum attinet, latius ſumendum; & cum *ſcortatione* aliam *quamvis illicitam venerem* includit. Ceterum hic alio adſpectu venit, quam in præcedd. ut ſpecies nimirum ἀδικιας. Jure ſane. Sic apud veteres paſſim conſideratur. Notum, quid *furta* ſint apud Ovidium aliosque. ὑβρις apud Græcos ſæpe de *adulterio* & *ſtupro*. Vide ſis *Ind. Att. Lyſiæ Cl. Taylori.* Ita apud *Iſocr.* in Panegyrico παιδων υβρεις. Inſignis locus Clem. *Alex.* in *Pædagogo L. 2. p. m. 141.* ἐπιθυμια γαρ κακη ὀνομα ὑβρις κ. τ. λ.

Jam ad vocem πονηρια, omiſſam forte, quia ſequitur κακια: ut non male conjecit Millius. Sed bene jam obſervatum Viris doctis, Apoſtolum *1 Cor. V, 8.* has voces etiam

etiam conjunxisse. Est quoque inter eas aliquod significationis discrimen: quod mihi hoc esse videtur. Πονηρια scilicet ista est malitia, qua aliis noceas. Κακια pravitas insita, unde ista πονηρια profluat. Πονηρος (ex origine notans, qui aliis laborem & dolorem creat) eum dicit, qui alteri nocet, illiusque in perniciem tendit. *Aristoph.* in *Pluto* non procul ab initio jungit ἱεροσυλοι, ῥητορες, και συκοφαντται, και πονηροι. De re quoque, unde πονηρα δειπνα *noxia* fercula apud *Ael. V. H. 3. XI.* Hinc quoque explicandum ὀφθαλμος πονηρος *malus* pro *invido Matth. XX, 15.* Putabant quippe veteres, oculum invidum illi multum noxæ adferre, quem invidia prosequebatur, eumque quadam tabe adficere, quæ & propria notio τ῀ φθειω, unde φθονος. Κακος autem est natura malus. Inde illud ἀκακος explicandum, quod habemus in loco illustri *Hebr. VII, 26.* quo de forte alias. Eadem hæc, ut puto, distinctio observanda loco cit. *2 Cor. V, 8.* Ceterum & hæc πονηρια est ἀδικιας species: quemadmodum & quæ sequitur.

Πλεονεξια, quam vel principe loco hic collocarunt Philosophi. Multa de hac voce ejusque varia significatione hic in medium proferre possem; sed excursus evito. Sufficit monuisse, pluribus de hoc vocabulo actum a magno Viro Cl. *Salmasio* de *foenore trapezitico.*

Ver-

Verbulum adhuc ſuo loco de κακια. *Beza* ei aliam ſedem adſignavit: poſuit ſcilicet ſecundo loco. Non probo. Obſtat plurimum Codd. auctoritas. In ſequenti vitiorum ſerie, quæ eodem numero conſtant, ac in quibus illuſtrandis cum maxime verſamur, κακοηθεια extremum locum obtinet: at iſta non multum differt a κακια: unde admodum probabile, & hanc ultimo loco fuiſſe poſitam: ut adeo hæc duo membra egregie ad ſe invicem referantur.

Pergamus, ſi placet, jam ad iſtud ſecundum colon. Primum hic eſt φθονος. Ap. *Tit. III*, 3. κακιαν & φθονον junxit. Illam & heic ſequitur. Bene autem cum ſono tum re ſe inter ſe connexa & apta φθονω, φονω. φονος non ſemper *homicidium* notat; ſed & ſæpe *vulnus* & *ſanguinem* ex ipſo profluentem, ſive mors ſequatur, ſive non: eodem modo ac latine *cædem* dixerunt. Quod pluribus docuit Cl. *Burm. ad Phædrum* 2, 7, 8. Generaliori ſenſu φονευειν quoque venit. *Jac. IV*, 2. ubi male nonnullæ Edd. φθονειτε, quod & variæ ſequuntur verſiones, in quibus & noſtra. φονευειν και ζηλουν ibi per *hendiadyn* juncta: & ea quidem via homines graſſari ſolent ad id, in quod vehementiori impetu feruntur, ſibi adipiſcendum, ut in contextu venit. De voce κακοηθεια, cujus paulo ante mentionem injiciebam, hic aliquid

aliquid addendum. Non ſemper dextre explicata. Diſtinguendum omnino inter ἦθος & ἔθος. Prius notat *indolem* & *mores internos*. Ita plus ſemel apud *Iſocratem* in Orat. περι της ἀντιδοσεως. Εθη vero ſunt *mores publici* & *recepti*. Inde ἔθος & ἔθη pro *lege Moſis Act. XV*, 1. & *XXI*, 21. Hinc jam κακοηθης, *qui prava eſt indole*: & κακοηθεια *mala indoles*, quam & latini voce *malitiæ* expreſſerunt. Vides verum eſſe, quod dixi. Specialem tamen illum adſpectum, quem *Beza* & *Kypkius* hic notarunt, ſimul teneri, lubens patior.

v. 30.

Prætereo, quod in uno alterove Cod. pro καταλαλους, ſcribatur κακολαλους, vitio certe exſcriptoris, qui quod paulo ante habuiſſet κακοηθειας, hic erravit. Propero ad vocabulum, quod ſummos etiam Viros exercitos habuit, Θεοσυγεις puta. Primo loco controvertitur, an active accipiendum *Dei oſores*, an vero paſſive *Deo exoſi*. Prius ſtatuunt *Erasmus*, *Beza*, *Grotius*, quanta nomina! noſtri etiam *Belgae*. Poſterius malunt Viri, fama quoque inclyti, inter quos de *Dieu*, & *Alberti*, qui in *Gloſſario p. 91 ſeq.* omnino videndus. Ratio eſt, quod τὸ θεοσυγὴς ſignificatio *paſſiva* ſit apud Græcos. Addidit vero Vir cl. ſi active capias, omnino ſcribendum θεοσύγεις, quod

quod *Beza* & *Grotius* voluerunt. Quid jam dicemus? Si auctoritates ſequeris, animus tibi pendebit: verum ſi absque præjudicio utramque ſententiam rite examines, priori utique calculum adjicies. Si ego ſaltem judex hic ſederem, hoc modo negotium deciderem. α) Significatio paſſiva huic loco minus convenit, cum Apoſtolus totus ſit in recenſendis graviſſimis hominum vitiis. Vide quæ hic notavit Cl. *Elsnerus* noſter. β) Nec tamen vel ſic neceſſe, accentu mutato ſcribere θεοσύγεις. θεοσυγεῖς hoc ſenſu omnino probum eſt. Hoc vero paucis demonſtrandum, quia, ut dictum, ſummi Viri aliter ſciſcunt 1) in genere notetur, omne illud diſcrimen per accentus introductum, recentiorum auctoritate tantum niti, nequaquam veterum. 2) Plura dantur adjectiva, quæ *activam* ſimul & *paſſivam* habent ſignificationem. Ita ἄνοητος, ἀναίδητος ἄπειρατος, unde ἐυπείρατος quo Apoſtolus uſus *Hebr.* XII, 1. & plura alia. Quin, quod rem propius tangit, ſunt exempla vocum ejusdem, ac noſtra, indolis, quæ activa notione pollent. ut ἱεροσύλος, θεοσυλὴς, θεοσεβὴς. Θεοφιλὴς autem utraque poteſtate gaudet. 3) Denique: dantur & loca, ubi θεοσυγὴς eum notas, *qui Deum odit*: quemadmodum probarunt Eruditiſſimi Viri *Horreus Miſc. Crit. L. 1. c. 3.* ubi plura, &

Kypke

Kypke in h. l. Conſtat igitur, θεοστυγεῖς vertendum eſſe *oſores Dei.*

Verum ſecundo loco quæritur, quid hoc inter tot vitia proximum ſpectantia? Ill. *Grotius* deſignari putat tales, qui ſimul atque aliquid ipſis eveniſſet adverſi, Deos incuſabant, aut qui negabant providentiam. Ita ſi ſentias, rem optime hoc modo concipies: Apoſtolum nimirum hoc addidiſſe, ut doceret, eo usque hominum, de quibus agit, maledicentiam proceſſiſſe, ut ne Diis quidem parcerent. Peſſimum ſane vitium eſt proximum conviciis proſcindere, falſisque ſermonibus traducere; ſed Deos criminari multo adhuc nequius. Verum quidni ita cogitemus? Peccata, in quibus notandis verſatur hic Apoſtolus, ejusmodi ſunt, ut in iis quam maxime ſupremi Numinis odium ſeſe oculis ingerat, & ipſa Satanæ, qui omnium calumniatorum utique alpha eſt, imago clariſſime conſpiciatur. Ita res Paulo obverſabatur & ad tam fœdum ſpectaculum ſanctiſſima mens tota cohorreſcebat. Hinc jam additum illud θεοστυγεις. At, inquies forte, obſtat, quod modo monebas, hic de vitiis ad proximum pertinentibus ſermonem eſſe. Non video. Si tamen omnino id urgeas, nulla ſententia majori ſe probabilitate commendat, quam quæ a Cl. de *Brais* propoſita, & ab *Elsnero* noſtro adoptata & exor-

nata eſt. A qua non multum abit, quod mihi quoque in mentem venit. Chriſtianæ ſcilicet religionis vere ea eſt præſtantia, ſummum illud decus, quod unius ſummi Numinis cultum in orbe terrarum reſtituerit. Ad illam inter omnes gentes propagandam, Deus T. O. M. pro ſumma ſua ſapientia opera uſus eſt hominum ad id cœleſti virtute mirabiliter inſtructorum. Hos autem iſti, de quibus Apoſtolus hic agit, ludibrio habebant, inſectabantur, & plusquam Vatiniano odio proſequebantur. Quid vero hoc erat, niſi Deum odio habere? Quid, niſi Dei χρηστοτητα & φιλανθρωπιαν a ſe repellere, & proterve conculcare?

Sequitur, ὑβρισας. Vox ſignata. ὑβριζειν dicitur de omnibus rebus, quæ modum excedunt. Hinc de *vino*, *mari*, *equo*, qui ὑβρισης audit, cum compeſci non poſſit, ſuumque ſeſſorem excutit: item de aliis. *Veſtis ſupra modum elegans* & *ambitioſa* eſt ἱματιον, σολη ὑβρισμενη: ut bene monuit Cl. *Bos Obſ. Crit. p. 17.* Vocis indolem & uſum non ſatis ſæpe attenderunt Viri docti. Exemplo a Viro eximio notato ex *Ael. V. H. L. 1. c. 31*, ubi Interpres male, alterum addo ex *c. 19.* ubi de Colophoniis: και τραπεζης ακοσμια και υπερ την χρειαν χρωμενοι ὑβριζον. Verſio male: & intemperantia menſæ ſupra modum abutentes, *ad injurias contumeliasque*

liasque proclives erant. Subſtitue: & intemperantia menſæ, & ſupra uſum cibum capientes *immoderate ſe gerebant.* Hinc jam translatum ad talem notandam *injuriam*, quæ alicui per petulantiam & proterviam quaſi exuberantem infertur, verbis quidem primo, ſed dein & rebus. Unde jam ὑβριςαι protervi homines, qui omni injuriarum genere, ſine modo, alios afficiunt & onerant.

Scholiaſtes Eurip. ad *Phoeniſſ. v. mſ.* σημεια ὑβρισμενα exponit per σημεια ὑπερηφανα καὶ μετ' ἀλαζονειας: ὑβριςας ſequuntur & hic ὑπερηφανοι καὶ ἀλαζονες. *Clemens Conſtit. Ap.* 7. 6. μη γινε κενοδοξος, μηδε μετεωρος, μηδε ὑψηλοφρων: ἐκ γαρ τετων ἁπαντων ἀλαζονιαι γινονται. Hos excipiunt ἐφευρεται κακων: quod ſummus *J. Scaliger* vertit *concinnatores malorum. Clemens* ib. μηγινε ἐπιθυμητης κακων.

v. 31.

Ασυνετους, ἀσυνθετους. Ill. *Grotius* ita ad hæc verba ſcribit. "Videri poteſt eſſe παρονομασια, at non eſt: ſed ex una voce varie ſcripta duæ factæ ſunt. Syrus non niſi unam legit ἀσυνθετους, quæ vera eſt. Non de intellectus ſed de voluntatis vitiis hic agitur, & quidem maximis: inter quæ eſt *perfidia* &c. Maximum Virum plures ſecuti. Conſtat certe, ἀσυνετους & ἀσυνθετους

ſimilesque voces ſæpe confundi. A pluribus eruditis Viris id monitum. Auctoritatem Syri nemo temere ſpreverit: tanta tamen non eſt, ut eum tuto ſequaris ducem. Vid. quæ hic notarunt Clariſſimi Viri *Wolfius* in *Curis* & *Elsnerus* in *Comm.* Vox ἀσυνετος absque dubio ad *intellectum* proxime pertinet, nec tamen tam arctis limitibus eſt circumſcripta. Verba ad intellectum ſpectantia paſſim latius adhibentur, quod multis probare eſſet oleum atque operam perdere. Sume modo exemplum ex V. ανοητος, quæ noſtræ plane ſimilis. Notatne illa tantum *inſipientem*, *dementem?* Nequaquam. Notat & eum, qui omnia monita & præcepta reſpuit, qui imprudens nulla honeſtæ vitæ ratione habita in omnia vitia præceps ruit. Locus hic adprime notandus *Tit. III.* 3. ubi notio *imprudentis* maxime obtinet. Junguntur ibi ἀνοητοι & ἀπειθεις, ut hic γονευσιν απειθεις & ἀσυνετοι. Ανοητος quoque eſt homo profligatæ audaciæ & callidi ad quamvis rem agendam conſilii. Ita *Iſocrates* in *Panegyrico* de Meliis οἱ τυς μεν ἀνοητατυς σοφωτατυς ἐνομιζον. Ibi oppoſitum ἀνοητατοι & σοφωτατοι, hic junctum ἀσυνετοι & ἀσυνθετοι. Απονοια ſæpius quoque pro projecta & præcipiti *audacia*. Vid. Cl. *A. Dounæus* ad Chryſ. T. 8. Ed. Pariſ. p. 559. Sic jam & ἀσυνετος. Ασυνετοι adeo ſunt homines imprudentes, qui velut mente capti nihil

hil non audent, & tanquam vesani in omnia vitia ruunt. Sic apud *Anton. de rebus suis*; sed locus jam non succurrit.

Optime ita hic locatum, idque inter γονευσιν ἀπειθεις & ασυνθετους. Retinendum ergo omnino vocabulum ἀσυνετους, quod Codices tantum non omnes agnoscunt. Verbulo adhuc monendum, quod fere exciderat, *Suidam* nostrum ἀσυνετους explicare per ἀσυνειδητους *conscientia carentes:* ad quam sententiam nonnihil inclinare videtur Vir Cl. *H. Venema* in notis ad St. de *Brais p. 234.*

Ad vocem sequentem ἀσυνθετους nihil jam noto, uti nec ad το ἀσπονδους, quod nonnulli male suppositicium volunt. Plura hic habent Cll. Viri *Wolf.*, *Elsnerus* noster, & *J. Alberti* ad *Glossar. p. 94.* Addo tantum, ad v. ἀσυνθετους consulendum quoque esse *Harpocrationem*, (ex quo descripsit *Suidas*) cum notis *Maussaci* & magni *H. Valesii p. 12.* ubi & videbis, quod paulo ante dixi, apud *Demosth.* ἀσυνθετωτατον & ἀσυνετωτατον esse confusa, & alterum pro altero positum.

v. 32.

Insignis varia lectio h. l. quam Viri eruditissimi hic omnino adsumendam putant; dum alii vulgatam tenent. Quae utraque pars pro causa sua in medium producit, videri possunt apud Cl. *Wolf.* & illos, quos

laudat; maxime autem apud inſignes Duumviros *H. Venema* ad St. de *Brais*, & *Elsner.* in *Comm.* Hodierna lectio utique, ut mihi videtur, defendi poteſt, & ſi dextre explicetur, ſeriei & ſcopo non male convenit; planior autem eſt altera, quam proinde præferrem, niſi plurimorum Codicum auctoritas, obſtaret. Dico igitur: *Non liquet.**)

*) Movit mihi ſpecimine hoc Doctiſſimo ſalivam *pl. Rev. & Eruditiſſimus Auctor*, movebitque eandem omnibus, qui norunt quid diſtent æra lupinis, ceteras Ejus lucubrationes ad illuſtrationem hujus Epiſtolæ legendi. Medium optime tenuit diffolutam inter & ſuperſtitioſam Criſin. Ut eas Bibliothecæ huic ad ornatum & S. Literarum penitiorem enucleationem mihi porro mittat, eſt quod enixe rogo. N. B.



VI.

VI.

JOHANNIS MEDHURST

V. D. M.

OBSERVATIO

IN

PSALM. LXII.

§. 5.

Pſalmus hicce ad illos pertinet, quibus pientiſſimus ille Regum David fideles probosque ſubditos ſuos docuit, quid faciendum ipſis eſſet, ſi ſtabili, & optata beatitate frui vellent. Reſpexit autem Vates ſanctus certum rerum ſtatum, in quo ipſe fuit, qui ſane aliqua ratione dubius & incertus erat, ita ut nemo ſine extraordinario Dei omnipotentis auxilio ſalutem reipublicæ, atque Regis ſartam & tectam conſervare poſſet. Carmen igitur hocce attenta conſideratione noſtra digniſſimum eſt, non ſolum quod David in eo præcepta ſapientiæ atque prudentiæ utiliſſima dederit, ſed etiam quod ex eo nonnulla ad vitam, regnumque Davidis pertinentia addiſcere poſſumus, quorum nulla in hiſtoria Sacra mentio facta eſt, quæ nobis lucem accendere poſſunt, ut clarius,

& perfectius intelligamus qualis fuerit populus Iſraelis. Hanc ob cauſam attentiore animo contenta Pſalmi hujus ponderavimus, & quae ad illuſtrandum illum a nobis obſervata ſunt, hac diſputatione complecti apud animum conſtituimus.

§. 2.

Ante omnia autem de fine, quem ſibi Vates egregius propoſuit, cum Pſalmum hunc non ſine cœleſti mentis inſtinctu funderet, erit agendum, cum ex hoc imprimis intelligi poterit, quomodo hæc vel illa ſint explicanda. Interpetes eruditiſſimos evolvens, quo illorum pernoſcerem de hoc Pſalmo ſententiam, vidi illos a ſe invicem diſſentire, & quosdam negligentius hoc præclarum carmen tractaſſe. Omnium minime audiendos eſſe puto, qui Davidem de regno Meſſiæ agere, & regem hunc ſupremum loquentem introducere opinantur. Tam clara in Pſalmo temporis illius, quo David regnabat, ſigna occurrunt, ut ſatis mirari non poſſim, qui fieri potuerit ut Viri eruditiſſimi, ingenio præſtantes, in explicando Pſalmo hocce ab illo tempore recederé potuerint. Imprimis autem notandum principem illum, qui hic loquitur, gloria quidem, & opibus conſpicuum eſſe, & firmam in Deo ſuo ſpem poſuiſſe, ſed eum

tamen

tamen ab omni metu liberum non fuiſſe, cum diceret: *non dimovebor multum* com. 3. Qui ſane virtutem horum verborum intelligit, ille facile cognoſcet, non congruere cum ſumma gloria, & poteſtate cœleſtis Regis illius, cui omnia, quæ cœlum & terra complectitur, ſubjecta ſunt, ita loqui, poſtquam thronum majeſtatis divinæ conſcendiſſet. Alii interpretes eruditiſſimi, qui Davidem tempora ſua reſpexiſſe putant, dubii & incerti ſunt, quo carmen hocce ſit referendum, quod etiam miror. Namque ſi omnia, quæ David heic loci tetigit, attenta mente conſideremus, & inter ſe conferamus, facile detegere poſſumus, qua occaſione oblata Pſalmum hunc fecerit. Quidam putant Vatem ſanctum ad canendum illum permotum eſſe, cum Sauli iram experiretur, alii rebellionem Abſalomi ipſi anſam ſeſe & populum ſuum in ſpem ſalutis erigendi præbuiſſe opinantur. Poſteriores proxime abſunt a rei veritate. Contra priorum enim ſententiam pugnat, quod David hic ita loquatur, ut dubitare non poſſimus, eum jam ad regiam dignitatem evectum fuiſſe, id quod TILLIUS quoque obſervavit. Pſalmum autem non compoſitum editumve eſſe, cum ſeditio Abſolomi jam exarſiſſet, manifeſtum eſt, cum David ita locutus ſit, ut ſatis clare oſtendat ſe non de præſen-

tibus, ſed de futuris potius, quæ animo prævideratt, periculis ſermonem feciſſe. Hocce cuivis Pſalmum ipſum inſpicienti, atque conſideranti, quæ de hoſtibus illis Regis dicta ſunt, ſole meridiano clarius patebit, & nosmet illud ſtatim probaturi ſumus.

Cum itaque præſtantiſſimi interpretes mentem ſatis attentam non adhibuerint ad ſigna temporis, quo Pſalmus noſter referendus eſt, & hanc ob cauſam in explicando erraverint, perſcrutemur nosmet ſigna illa, quæ minime obſcura ſunt, ſed quæ nosmet potius, luminis clariſſimi inſtar, ad cognitionem propoſiti Vatis noſtri perducere poſſunt. Quæ David ſibi ipſi aſſignavit, ſatis oſtendunt eum jam regnum adeptum eſſe, cum Pſalmum hunc ſcriberet; ſcil. ille ſibi tribuit *elationem* com 5, *gloriam*, *atque robur*, com. 8. quæ in eo inprimis conſpicua fuere, poſtquam domum Sauli, aliosque hoſtes potentiores ſuperaſſet, ſibique ſubjeciſſet. Hoſtes ſuos redarguit ob prava conſilia, quæ agitabant contra ſemet ipſum, quo ſe de throno ſuo deturbarent, atque perderent, & accuſat illos, quod ſibi adularentur fictis verbis com. 5. Hoc ultimum imprimis heic loci notandum, id quod David hiſce verbis complectitur: *ore ſuo benedicunt*, *in medio ſui maledicunt*, cum ex eo ſequa-

sequatur, hostes Davidis rebellionem nondum cœptasse, licet rebus novis jam studuerint, & amicorum suorum animos ad seditionem clam incitaverint. Cum enim insurgerent imperio Regis sui, & Absolomo sese adjungerent, non amplius adsentabantur regi, sed tecta antea in corde suo consilia sine metu, aut pudore aperiebant. Ex contentis commatis quarti, si illa cum reliquis conferas, manifestum est, Regem, licet opibus & copiis adflueret, gloriaque floreret, consilia tamen hostium suorum eorumque ficta mendacia extimuisse. Hoc ipsum nobis in memoriam revocat tempora illa funesta, quæ rebellionem Absolomi præcesserunt. Turbæ illæ per sceleſtum hunc, & degenerem Davidis filium concitatæ probant in Israele non defuisse tales, qui inimico in Davidem animo essent, & ejus perniciem optarent. Superbia gentis Ephraimiticæ, quæ Jehudæ invidebat, ferre non potuisse videtur regem ex hac tribu ortum, & licet Absolomo regi, filio Davidis, se submitterent, hoc eos sincero animo feciſſe cogitandum non est, sed potius illos id egisse, ut res perturbarent, & tandem regnum in tribum suam transferrent. Potentissima tribus erat Efraim, nec sine livore conspiciebat sibi prælatum esse Jehudam, ut ex Propheta notum est, qui vaticinabatur

tur Efraimi invidiam ceſſaturam eſſe. Jeſ. cap. IX. com. 13. Præter Efraimitas, eorumque amicos erat domus Saulis, in qua inveniebantur, qui Davidi non favebant, inter quos erat Simei, qui Regem fugientem maledictis perſequebatur.

Putandum autem non eſt tales Regis hoſtes quietos manſiſſe, aut eorum conſilia, & molimina Davidem latuiſſe. Prudens atque ſagax ad perſpicienda, & præſentienda pericula erat Princeps hicce, ita ut facile perſentiſceret, quomodo in ſe animati eſſent hoſtes ſui, imprimis cum mendacia excogitarent, quorum finis nullus alius poterat eſſe, niſi ut ſeditionem commoverent. Accedebant illa, quæ Deus per Nathanem prophetam Davidi, poſtquam ipſum graviſſimis læſiſſet ctiminibus, comminatus erat. Cum itaque prævideret rex tempus inſtare vindictæ divinæ, & hoſtes ſuos in ſe conjurationem facturos eſſe, Pſalmum hunc compoſuiſſe videtur, quo fidelium ſubditorum animos confirmaret, atque oſtenderet quo fundamento ſalus tam regis, quam regni nixa eſſet; quid igitur ipſis eſſet faciendum, quo conſilia hoſtium irrita redderentur.

§. 3.

Oſtenſo ſic Pſalmi ſcopo progredi poſſumus ad ponderandas ſingulas ejus partes, quas,

quas ubi opus erit, illuſtraturi ſumus. David quo eo facilius efficeret quod ſibi propoſuerat, in componendo carmine hocce hanc normam ſecutus eſt, juxta quam plures loquentes introducuntur. Obſervat hoc etiam TILLIUS, cui hac in parte pollicem premendum eſſe arbitramur. Loquitur hic imprimis Rex ipſe, qui ratione ſalutis atque vitæ maximo in periculo verſabatur; loquitur etiam fidelis quidam regis ſervus, hoſtibus illius infenſus. Rex populum ſuum hortatur, & excitat ad officia pro temporum imprimis ratione obſervanda; qui autem præterea loquitur, hoſtes Davidis incuſat, quod famam regis lacerarent, quo eum opprimerent, quod & compoſito ad fallendum vultu ad eum accederent. Dubitandum non eſt amicos Davidis, fidosque ejus ſervos inimicis ejus hanc ob cauſam ſuccenſuiſſe, quare poeta Sanctus illis quoque talem ſermonem in carmine ſuo tribuere potuit. Hoc autem faciens egit prudentiſſime, cum verba hoc pacto longe majorem vim haberent, quam ſi ipſe malitiam & perfidiam hominum illorum ſceleratorum corripuiſſet. Simul autem oſtendebat etiam non deeſſe in populo, qui præclare ſentirent de rege ſuo, & ad eum omni ratione defendendum eſſent parati.

§. 4.

§. 4.

De titulo Pſalmi nihil monendum habeo, niſi quod dictio illa על ידותון omnium optime accipi poſſit de certa quadam melodia, juxta quam Pſalmus canendus erat, id quod præpoſitio על ſignificare videtur Pſ. LXXXIV, ut alio loco docuimus. Quod ordinem rerum in Pſalmo ipſo attinet, ille ita ſplendidus eſt, ut animos auditorum rapere, & commovere aptus natus ſit. Primo loco ſe conſpiciendum præbet Rex ipſe, qui non modo pietatem in Deum, reverentia adverſus Eum & nominis divini timore conſpicuam præ ſe ferebat, ſed & animum oſtendebat intrepidum, Deoque fidentem, licet turbæ haud exiguæ eſſent metuendæ. com. 2. & 3. Qui Regem ſic fantem audiebant, iis animi, metu hoſtium regis dejecti, erigi ſtatim, & præparari poterant ut docentem, atque hortantem principem ſuum, ita magnanimum piumque, audirent, & præclarum illius exemplum ſequerentur. Cumque David non aliam ob cauſam talem ſermonem fundere poterat, manifeſtum eſt illum ſtatim in initio Pſalmi non ſine arte indigitaſſe, qua mente carmen illud ſcripſerit, quod in Pluribus pſalmis factum, id quod obſervaſſe interpreti haud exiguam utilitatem adferre poterit.

Prius-

Priusquam autem Vates egregius plura adjungat ad propoſitum ſuum pertinentia, prodit in ſcenam, cui perſonam dedit conquerentis de perfidia, de conſiliis, atque conaminibus eorum, qui inimico in regem animo erant, quo pateret quænam pericula eſſent timenda. com. 4. 5. Denique Rex ipſe iterum loquitur & docet ſe, licet illud audiverit, impavido tamen animo eſſe, & ſpem ſuam in Deo repoſitam tenere; quibus tandem adhortationes ad rem pertinentes ſubjunguntur. com. 6 -- 13.

In prima igitur Pſalmi parte de ſe ipſo ſermonem facit vates Sanctus, iis mentem ſuam exprimens verbis, quæ ab interpretibus doctiſſimis varie redduntur. Septuaginta illa ſic vertunt: Ουχι τω Θεω υποταγησεται η ψυχη μου, παρ αυτου γαρ το σωτηριον μου. Και γαρ αυτος Θεος μου, και σωτηρ μου, αντιλημπτωρ μου, ου μη σαλευθω επι πλειον. Et hoſce quidem ſecuta eſt vulgata. Qui autem verſionem illam confert cum textu Hebraico, ille ſtatim videbit Interpretes illos ſenſum verborum Davidis illuſtrare voluiſſe, & proprium eorum ſenſum minus curaſſe. Recte quidem illud fieri interdum poteſt, ſed cavendum tamen eſt interpreti, ne vim verborum in textu originali comminuat, & infringat, quod hoc loco feciſſe dictos illos interpretes manifeſtum eſt. Non enim ſolum dixit

David

David Deum eſſe *Deum ſuum*, ſed potius *petram ſuam*, quemadmodum & reliqua verba in ſermone Hebraico longe uberiora ſunt, quam in verſione illa, id quod tamen heic loci commode evitari potuiſſet.

Cæterum verba vatis ulteriori non egent illuſtratione, cum per ſe clara, & intellectu facilia ſint, ſi excipias illud רומיה, quod ſeptuaginta, noſtrique ævi Interpretes eruditiſſimi, minus recte intellexiſſe videntur, licet nonnulli eorum radicem vocis in lingua Arabum quæſiverint. Vocis illius ſignificatio obſcura & dubia eſt, quod illa raro in ſacris litteris occurrit; Namque illam præter Pſalmum noſtrum, non niſi tria habent loca, quæ ita comparata ſunt, ut ſenſus illius ex nexu ſermonis non facile elici poſſit. Operæ pretium autem erit verum dictæ vocis ſenſum indagare, quod certa illius cognitio efficiet, ut præter noſtrum tria ſcripturæ ſ. loca, rectius, quam hactenus factum, intelligamus.

Ex Verſione 70 Interpretum, quam ſupra exhibuimus, manifeſtum eſt eos illud רומיה de anima Deo ſe ſubmittente accepiſſe, & ad veritatem propenſius eſſe videtur, illos vocem hancce ad Arabicum verbum رَمَّ, quod inter alia *vicit & ſubjecit* ſignificat, retuliſſe. Nemo ignorat alios voci רומיה ſilen-

ſilentium ſignificandi virtutem tribuiſſe, & nota omnibus eſt radix, ex qua illam ortam eſſe opinantur.

Aliam explicationem ex Arabia petit in doctiſſimo Pſalmi XXII. Commentario celeberrimus VENEMA, qui autem voci in Pſalmo XXXIX occurrenti ſolitum ſilentii ſenſum reliquit. In Pſalmo XXII. juxta egregii illius Interpretis ſententiam denotat דומיה *ſedationem æſtuantis animi*, cum radix ejus eſſe dicatur, דמה, דמם, דום, quæ proprie ſonat, *complanare linendo*, unde transfertur ad animum & ſedationem æſtus, & doloris ſævientis exprimit. Vide illum ad Pſ. XXII, 3. p. 17.

Non autem idem ſentire poſſumus cum interpretibus hiſce præſtantiſſimis, quod illud non permittit forma nominis דומיה, quæ noſmet dubitare non ſinit, quin id referendum ſit ad radicem alicujus verbi in Jod (י exeuntis. Si originem traheret a דום ملم, vel a דמם تمّ, efferetur דומה, ut טובה a טוב & זלה a זלל ortum eſt; & ſic in lingua Arabica a صَابَ eſt صَابٌ &c. Longe aliter vero ſe res habet cum verbis iis, quæ in Jod exeunt. A רוי eſt רויה *Irriguum*, *irrigua* terra, a חזי eſt חזיון, & ſic in lingua Arabica a طلى ult. ي deſcen-

dit طلى. De verbis autem in Jod deſinentibus egit celeberrimus SCHULTENSIUS *in Inſtitut. ad Fundam. L. H. p. 385.* Hiſce obſervatis intelligimus vocem רומיה natam non eſſe ex radicibus רמה, רמם, vel רוממ. Sed potius ex verbo, quod in fine nactum eſt Jod quieſcens. Occurrit tale verbum Eſai XLVI, 5. & quidem in Pihel תְּרַמְּיוּ ut laudatus SCHULTENSIUS l. c. p. 386. notavit, idque reddidit *aſſimilabitis.* Adinvenitur radix hæcce etiam in lingua Arabica, ubi in forma ſecunda aliam obtinet ſignificationem, & nobis quidem ad explicandum vocem רומיה utiliorem, & accommodatiorem. Indigitat enim *viam fecit, & aperuit, facilemque aditum dedit*, quare רומיה *facilem aditum alicui datum* ſonare poteſt, poſito רומיה pro רַמְּיָה formæ Pyhal. Namque Hebræis inuſitatum non eſt in Pyhal ſonum molliorem reddituris dagesh forte litteræ mediæ ejicere & inſerendo shurek compenſare. Vid. SCHULTENS. l. c. p. 284. Sic patet dictum voci ſenſum aſſignari poſſe, ſi ad originem ejus reſpicere velis; ſi autem ponderemus loca, ubi legitur, videbimus illum iis omnibus ſatis accommodatum & aptiorem eſſe, quam ſignificationem ſilentii ab Interpretibus excogitatam.

Pſalmo

Pſalmo LXV, 2. dicitur לך דומיה תהלה אלוהים בציון. Redduntur hæc verba: *Tibi eſt ſilentium laudis Deus in Zione.* Sed hæc verſio pugnat contra Grammaticam, cum דומיה formam conſtructam non habeat; & propterea etiam cum voce ſequente copulari non poſſit. Et adhuc minus conſpirant & in una ſede morantur res illæ, quæ in verſione infeliciter junguntur ſc. תהלה *Laus* & *ſilentium*, imprimis cum תהלה laudem virtutum & viarum Dei deſignet, qualis eſt alta voce canentium opera Divina, imprimis Levitarum, vel aliorum, qui nomen Divinum celebrabant, & beneficia a Deo ſibi tributa enarrabant. Omnium minime ſilentium in Zione, ubi voces eorum audiebantur, qui Deum ſuum dignis laudibus extollebant. Qui autem faciebant hocce, de iis affirmari poterat, quod ad Deum accederent ſalutem ſuam ipſis oſtenſurum. Sumamus igitur דמיה denotare facilem *aditum alicui datum*, hic erit ſenſus loci: *Tibi eſt aditus facilis*, id eſt, datus a te eſt facilis aditus, *Laus in Zione.* Notandum autem eſt heic loci legi דְמִיָה loco דומיה, quod tribus aliis adinvenitur. Pſ. XXXIX, 3. hæc leguntur, נאלמתי דומיה החשיתי מטוב, quæ redduntur, *obmutui ſilentio, ſilui a bono.* Negari non poteſt dici poſſe *obmuteſcere ſilen-*

tio, ut dicimus *gaudere gaudium*, & *gaudio* &c. Sed ſi hic eſt verborum illorum ſenſus, quid ſibi voluit Vates, ſubjungens *a bono ſilui?* Omnia optime congruunt, ſi vocem רומיה de aditu omnibus conceſſo accipias, & recorderis in Pſalmo hoc loqui Regem Davidem, ad quem omnibus patebat aditus, ita ut impedire non poſſet quo minus & impii, quorum inſidias metuendi cauſam habebat, ad ipſum accederent. Et hoc pacto obmuteſcendi cauſa Davidi fuit quod facile adiri poſſet, imprimis ab iis, qui miniſtri ipſius erant, quos inter & impios fuiſſe ex nexu ſermonis manifeſtum eſt. Commate enim præcedente affirmat: *Dixi, cuſtodiam vias meas a peccando lingua mea, cuſtodiam os meum freno, dum adhuc* IMPIUS CORAM ME. Nonne cum hiſce optime conſpirant verba regis, ſi ſtatim poſt ea dixit *obmutui* רומיה *aditu patente, & a me dato.* Sane aditum dederat ſervis ſuis, quorum officium poſtulabat, ut coram Rege eſſent. Et ſic reliqua ſenſum congruum & nervoſum habent, dum addidit: *ſilui a bono*, i. e. ne quidem, bono præſente, omnia cordis mei conſilia expoſui, ne ſcil. ille imprudenter divulgaret, vel cum impio communicaret, quid ageret, vel quæreret Rex David.

Pſal-

Pſalmo XXII, com. 3. conquéritur Meſſias de afflictionibus Suis, & dicit inter alia אקרא יומם ולא תענה, & dein ſubjungit hæc ולילה ולא דומיה לי Hæc habenda ſunt pro duabus partibus verſiculi, quales apud Hebræos ſolent ſibi invicem reſpondere, ita ut pars poſterior priorem illuſtret. Hæc regula poëſeos Hebraicæ jam nobis oſtendere poteſt probabilem non eſſe interpretationem illorum, qui illud דומיה reddunt *ſilentium*, vel *ceſſationem* a clamore. Tunc enim in poſteriori parte nihil eſſet, quod verbis hiſce congrueret: ולא תענה *& non reſpondes*. Omnia autem cum poëſi ſacra melius conſpirant, ſi דומיה de aditu ad Deum preces exaudientem interpreteris. Hoc ut eo clarius perſpiciatur, verſum illum ita appingere volumus, ut partem ejus poſteriorem priori ſubjiciamus:

אקרא יומם – ולא תענה
ולילה – ולא דומיה לי
Clamo interdiu, -- ſed non reſpondes,
Et noctu, -- ſed non eſt aditus mihi.
(ad Te)

Illa etiam, quæ in nexu ſermonis occurrunt, majorem ſententiæ noſtræ addunt probabilitatem. Antea enim querula voce dixerat Meſſias: *Deus mi! Deus mi! quare me dereliquiſti, procul abes a ſalute mea,*

(a) *verbis clamoris mei.* Certo igitur reſpectu Chriſto, a cujus verbis Deus procul erat, aditus non erat ad Deum, ſcil. non dabatur ipſi ita ad Deum accedere, ut preces Ipſius exaudiret. Recordemur jam Pſalmo LXV. laudem Dei in Zione תהלה, eſſe דומיה viam, vel aditum ad Deum, & patebit nobis, quare Meſſias, poſtquam dixerat: *Non mihi eſt* דומיה, ſubjungat com. 4. *Tu es ſanctus, habitans* תהלות ישראל (*in*) *laudibus Iſraelis.*

Non minus accommodatus eſt verbis noſtris ſenſus ille, quem voci דומיה aſſignavimus, idquod de ſignificatione ab interpretibus eruditiſſimis illi tributa affirmari non poteſt. Obſervandum enim eſt verba Vatis vel affirmationem continere, quod certum eſt, vel exhortationem, quod contra genium linguæ ſanctæ vulgo ſtatuitur. Si Affirmatio hic locum habeat, diceret David: voce דומיה ſenſum vulgo creditum retinente: *Certe anima mea, eſt ſilentium erga Deum.* Sed Oedipus ſit oportet, qui ſanum & cum nexu ſermonis convenientem ex iis verbis ſenſum elicere poteſt. Cujus enim diceretur ſilentium, & quale illud eſſet? Quare & doctiſſimi interpretes verbis Davidis adhortationem ineſſe ſtatuerunt. *Eſto ſilentium erga Deum.* At vero valde dubito, num דומיה cum אל conſtrui poſſit, ſi illud

lud ſilentium denotaret; præterea ſi omittatur verbum הוה, ſermoni ineſt teſtimonium, cujus dicendi rationis exempla millia in S. litteris occurrunt. Non recordor autem loci alicujus, ubi adhortatio fiat, ſola adhibita voce, actionem quandam deſignante, & verbo ſuo orbata, Omnis autem difficultas evaneſcit ſi verba reddas: *Ad Deum facilis eſt aditus, o anima mea!* Cum hiſce quoque reliqua conſpirant. *Ab Illo eſt ſalus mea. Utique Ille eſt petra mea* &c. Conſolari nempe poterat animam, tacita cura incenſam, quod ad Deum pateret aditus, cujus ſub umbra vel maximis in periclis tuta eſſe, a quo etiam ſalutem petere poterat. Oſtendebant conſilia, atque calumniæ hoſtium, quo animo in regem eſſent, & quid agerent, erant copiæ eorum Davidi extimeſcendæ; ſed animum erigere poterat, cogitando quanta ſit Divina potentia, quanta Ipſius gratia, quam facile Deus conſilia hoſtium ſuorum confundere, & irrita reddere, atque vires eorum frangere poſſit. Firmam quoque ſpem conceperat id futurum eſſe, cum ipſi ad Deum pateret aditus; quin imo facilis aditus ipſi erat datus ad Illum ſe recipiendi, *a quo ſalutem* ſuam expectabat, qui *ſibi Petra & ſalus, & refugium* vel *arx alta* eſſet *v. 2. 3.* Hæc omnia, credo, nunc ita clara ſunt, ut ulteriori explicatione non indigeant.

Ponderanda autem ſunt illa, quæ ex dictis illis fluunt, ſcil. poſtquam David docuiſſet ſe certiſſimum a Deo auxilium contra molimina hoſtium ſuorum expectare, ſubjungit hæcce: *Non dimovebor*, vel rectius, *movebor multum*. Verum quidem eſt verba hæcce aliquam lucem accipere, ſi illa conferat cum verbis Pſ. XXXVII, com. 24. ut monuere interpretes præſtantiſſimi, ſententiam autem, quæ iis inhæret, adhuc clarius perſpiciemus, ſi rerum circumſtantias conſideremus, in quas delatus erat rex David, cum carmen hocce componeret, ſc. cum recordaretur Princeps ille, queis peccatis ira divina a ſe incenſa eſſet, & quænam Deus ſibi ratione alicujus natorum ſuorum eſſet comminatus, facile præſentire poterat, quo conſilia hoſtium, falſa in ſe crimina ſerentium, tenderent, & quid ſibi ab iis, Deo permittente eſſet metuendum. Dicit igitur, *non movebor multum*. Verbum, quo David uſus eſt, alio loco deſignat motum fundamentorum, quæ cum nimis quatiuntur, una cum ſuperſtructis ædibus in terram dejecta cadunt. Sic dicitur Pſ. LXXXII, com. 5. ימטו מוסדי ארץ, *nutant*, *moventur omnia terræ fundamenta*. Hoc nobis non modo virtutem verborum Davidis, ſed & eorum elegantiam conſpiciendam præbere poteſt. Oſtenditur enim hic nobis metaphora, de

qua

qua interpretes eruditiſſimi non cogitaverunt, qua fundamentum ædificii alicujus eſt imago regis, ſtatum populi ſapientia, juſtitia, atque potentia ſua ſuſtentantis, qua imagine nihil elegantius, nec clarius eſſe poteſt. Simili metaphora uſus eſt Jeſaias, dum Meſſiam lapidem angularem appellat c. XXVIII, com 16. David igitur hic loci indigitat ſe fundamenti inſtar terræ motu, id eſt bello civili, eſſe quatiendum, Deum autem ſibi affuturum eſſe, ne multum moveatur & de loco ſuo deturbetur. Notum eſt fundamenta magnæ domus imprimis terræ motu moveri, atque nutare, & hunc in ſcriptura Sacra imaginem belli eſſe, ita ut David haud obſcure indigiret ſibi bellum civile metuendum eſſe, quo dejici in terram poſſet, ſi a Deo relinqueretur. Nunc contrarium ſperabat, cum ſibi, piisque ſubditis ſuis aditus ad Deum pateret. Tacite autem monet fideles ſervos ſuos, ruinam ſtatus Regni Iſraeliti-ſecuturam eſſe interitum ſuum, id quod illos excitare & permovere poterat, ut ante omnia ad Deum accederent auxilium Ipſius periculoſo illo tempore quærentes.

§. 5.

Qui omnes illas rerum circumſtantias ponderat, ille videbit Davidem docti vatis munere functum eſſe, & fideles ſubditos

ſuos ad omnia, quæ voluit, permovere potuiſſe, cum ita ſcriberet. Iis ſane animum firmare debuit, qui multitudine, & opibus hoſtium Regis ſui territi, & tantum non ad deſperationem adacti erant. Hoc autem fieri melius non poterat quam docendo, ſibi & omnibus piis facilem aditum datum eſſe ad Deum illum, qui ipſos tueri, & e manibus & e faucibus hoſtium eripere poſſit. Non ignorabant pii, vel maximas hoſtium copias potentiæ divinæ reſiſtere non poſſe, haud aliter de ſumma Dei ſapientia & potentia cogitantes, quam ipſe Rex David. Sæpiſſime viderat Iſrael hoſtes Jehovæ ſuosque coram facie Dei ſui eſſe inſtar leviſſimæ paleæ, quam ventus diſturbat, quæ flammas ignis perferre non poteſt.

Sane ad perſuadendum aptiſſimus erat ſermo regis cum diceret, *non movebor multum*, nempe non ita, ut mecum ſtatus regni corruat. Notum ipſis erat Deum adeſſe omnibus, qui ſpem in Ipſo ponerent. Deus quoque Davidi pollicitus erat ſe ei regnum confirmaturum eſſe. Et licet Rex, ſi Deus cum ipſo juxta rigorem legis atque juſtitiæ agere voluiſſet, nihil aliud a prævisis in populo turbis, niſi interitum expectare poſſet, non tamen ignorabant miſericordem, ac gratioſum eſſe Deum, magnumque benignitate, atque veritate. Et David ſinceram

pecca-

peccatorum pœnitentiam egerat, & ad frugem redierat, ita ut ipſi ad Deum nunc iterum aditus pateret. Sic quoque Davide fiduciam ſuam in Deo repoſitam fatente, omnes, qui furorem hoſtium Regis extimeſcebant, animum recipere & ad ſequendum Regis exemplum perſuaderi poterant.

§. 6.

Quo illos autem eo magis ad explendum officium illud excitaret, introducit quendam ita loquentem, ut hoſtium regis malitiam corriperet, & refutaret. Obſcuriora autem verba ſunt, quibus uſus eſt David, ita ut accuratius inſpicienda, & ponderanda ſint, quæ eruditiſſimi interpretes ad ea illuſtranda obſervaverunt. Primo loco hoſtibus regis dicitur: עד אנה תהותתו על איש. Cum verbum התת vel הות. ſemel tantummodo, &, & quidem hoc loco occurrat, ſenſus illius detegi & demonſtrari non poterit, niſi verſiones veteres, & linguas Orientales Hebrææ affines conſulamus. Fecit hoc quidem HAMMONDUS, ſed ejus exemplo docemur, quam caute & circumſpecte hic agendum ſit, cum lumine, quod nobis præbent verſiones illæ, minus recte uſus ſit ad perſcrutandum ſignificationem, quam verbum illud in lingua Arabica nactum eſt. Chaldæus interpres verbum reddi-

reddidit מתרגשון a רגש *tumultum excitare & hanc ob cauſam convenire*, cum quo conſpirat Syrus, cujus in verſione verbum legitur a גרן ortum, quod *incitare provocare* denotat. Minus recte autem de Verſione Græca judicabat Vir eruditiſſimus HAMMONDUS, dum ſentiebat illam cum præcedentibus conſpirare. Namque Græci verterunt dictum verbum, επιτιθεσθε *irruitis*, ut in verſione Latina græcum illud explicatum eſt. Hoc autem exſecutionem conſiliorum, & ipſam vim Davidi illatam denotat, cum interpretatio Chaldæa & Syriaca animo noſtro conſilia & molimina hoſtium Regis ſubjiciant. Hanc ob cauſam idem ſentire etiam non poſſumus cum HAMMONDO, exiſtimante verbum Hebraicum in lingua Arabica a GOLIO redditum eſſe, *valide conculcavit*, *injuſtus fuit*, *violentum imperium exercuit*, & hoc ipſum illud eſſe, quod dictæ verſiones exprimunt. Non quidem adjunxit vir eruditiſſimus verbum Arabicum, Hebraico reſpondens, ad quod oculos directos tenuit; ſed illud eſt رَغَثَ. At vero ſignificatio conculcandi non convenit cum nexu ſermonis, neque cum fine, quem ſibi Vates ſanctus Pſalmum noſtrum ſcribendo propoſuerat. Comm. enim 3. tribuitur hoſtibus Regis, quod conſilia ineant de perdendo ipſo, quod ipſi blandiantur, benedicendo ore ſuo, cum

ei

ei tamen in corde ſuo maledicerent. ex quo, ut ſupra oſtenſum eſt, ſequitur Davidem id egiſſe, ut animos fidelium ſubditorum ſuorum contra futuras, quas moliebantur ſeditioſi, turbas muniret. Non itaque de hoſtibus Davidis affirmari poterat, quod Regem jam conculcent, & proterant. Poſtea obſervat HAMMONDUS locum hic habere ſignificationem Arab. *mentiendi*, ſed comm. 5. exprobratur hoſtibus Davidis, quod mendacio delectentur. Adhuc minus cum nexu conſpirat ſignificatio *clamoris*, vel *promtæ lingvæ*, quam celeb. CLODIUS in Lexico ſelecto huic verbo dari poſſe ſtatuit, dum putat radicem in lingua Arabica eſſe هون vel هنون. Non enim clamabant hoſtes, qui ore ſuo benedicebant, & conſilia ſua blandis verbis tegebant, nec lingua promta & volubilis ſine adjuncta ulteriori deſcriptione, ſatis clare indigitat, quales illi ſint, de quibus eſt ſermo, quemadmodum illa quoque non blandientibus eſt propria, vel communis. Hoſtibus Davidis, ut a Vate deſcribuntur, longe tribuitur rectius, quod illud הות ſignificat, ſi illi aſſignes virtutem Arabici هاط, quod in ſexta Conjug. denotat, *congregati fuerunt inter ſe, ac convenerunt ad concinnandas res ſuas, convenerunt ad turbandas res.* Quid facilius de iis, qui regi in corde ſuo maledicebant, cogitari poterat,

poterat, quam conveniſſe illos ad turbandas res, quo thronum Regis everterent eumque de loco ſuo dejicerent? הותת igitur, quod eſt formæ Pihel, ſignificare poteſt conventus facere clandeſtinos ac ſeditioſos, quales imprimis nocturni eſſe ſolent. Ipſe HAMMONDUS etiam fuit in hac ſententia, Davidem hoc loco reſpexiſſe ſubditos ſeditioſos, id quod & illa, quæ poſtea de hoſtibus Regis dicta ſunt, ſatis clare oſtendunt, Quando dicitur על איש, hoc pro dictione poëtica habet HAMMONDUS, & illud idem ſignificare putat, ac ſi dixiſſet vates, *contra me*, quo ſenſu Chriſtus Se ipſum ſæpius reſpexit, dicens *Filius hominis*. Sed aliter ſenſiſſet Vir præſtantiſſimus, ſi obſervaſſet diverſas in Pſalmo noſtro perſonas loqui, & verba illa, de quibus jam agimus, inprimis cuidam Iſraelitarum, qui Regi firma fide erat, eſſe tribuenda.

Hic itaque dicebat illis ſeditioſis, qui infenſo in regem erant animo: *Quousque conventus facitis ad res turbandas contra Virum?* Sed quisnam eſt ille Vir? Quo pacto hoc intelligi, aut erui poteſt? Si dicendum quod res eſt, nimis abruptus mihi videtur ſermo, & abhorrens a ratione dicendi ſcriptoribus orientis uſitata, ſi viri mentionem fecit Vates, absque ullo adjecto charactere, quo ille dignoſci poſſit. Quare nullus dubito, quin

ad

ad deſcribendum, & ab aliis diſtingendum Virum illum pertineat illud, quod ſequitur תרצחו, id quod nosmet docere aptum natum eſt, quomodo verbum hocce, quod alias dubiæ ſignificationis eſt, explicandum ſit. In codicibus impreſſis legitur תִּרְצְחוּ, & tum verbum eſſet conjugationis pual; ſed verior eſt lectio, quæ nobis verbum illud exhibet, forma piel veſtitum תִּרְצַחוּ. Hic conſentientem habemus nobis laudatum HAMMONDUM, qui ut probaret ita legendum eſſe, variis uſus eſt, ſed non ejusdem ponderis argumentis. Primo loco obſervat ſufficiens hujus ſententiæ argumentum eſſe, quod Judæi orientales verbum illud habeant, ac legant patach inſtructum, ita ut apud illos ſit formæ pihel. Hoc argumentum non omnino contemnendum fortius, & ad perſuadendum accommodatius fuiſſet, ſi adiiſſet HAMMONDUS codices manuſcriptos, & ex iis qui bonæ notæ ſint, docuiſſet, illos verbum id haud aliter exhibere. Olim autem illud ita in quibusdam codicibus lectum fuiſſe ſtatim patebit. HAMMONDUS, quo adhuc magis confirmaret illam ſententiam, docet etiam illam cum nexu ſermonis ſatis bene conſpirare. Hoc ut demonſtret, illi תהותתו tribuit ſenſum *excitandi tumultum vel bellum contra illum*, quod ſane eo tendebat ut illum interficerent. Hoc argumentum noſtrum facere poſſu-

poſſumus, quatenus in hac explicatione HAMMONDI, nihil contra ſententiam noſtram de verbo תהותתו pugnat. Non autem putarem illa, quæ in Pſalmo ſequuntur, oſtendere, ut doctiſſimus hic interpres opinatur, quo pacto hoſtes Davidis, ipſum eſſent necaturi. Nam licet de illis recte affirmetur & accipiatur, quod ſint paries inclinatus, dici tamen non poteſt, quod id agant, ut tanquam talis paries Davidi irruentes, eum opprimant, & vita privent. Nemo enim id operam dat, ut ſit quaſi paries inclinatus, nemo ſuam ipſius quærit ruinam, quo affligere alios & ſubvertere poſſit, niſi ad deſperationem adducatur. Nullum autem deſperationis hoſtium veſtigium, vel in Pſalmo noſtro, vel in hiſtoria Davidis invenitur, ut mirum ſit præter HAMMONDUM & alios fuiſſe interpretes eruditiſſimos, qui verba Davidis, hoſtes ſuos cum inclinato pariete comparantis, dicta ratione explicarent.

Præcipuum autem, & maximi momenti argumentum pro HAMMONDI ſententia, de ſpecie Pihel illi תרצחו aſſignanda, eſt illud, quod petitur a verſionibus veterum, de quibus exiſtimandum, quod verbum illud haud aliter legerint, aut acceperint. Chaldæus habet Interpres התעברון קטולין. *An fieri vultis homicidæ?* Septuaginta reddunt

dunt φονευετε, quod Latinæ vulgatæ verſionis auctor interpretatus eſt, *interficitis?* Quocum &, quod ſignificationem dicti verbi attinet, Syrus conſentit. Inprimis autem hiſce interpretibus pollicem premendum eſſe putamus, quod alias nulla eſſet deſcriptio Viri, de quo hic agitur, ut ſupra jam monuimus: ſatis vero diſtinguitur ille ab aliis, & ita pingitur, ut nexus ſermonis, & finis ejus poſtulat, ſi ſtatuas verbum illud in ſpecie pihel poſitum indigitare, quid hoſtes Davidis inprimis quærerent, contra Virum hunc clandeſtinos ad res turbandas conventus facientes. Ita autem de nexu verborum judico, ut opiner ante illud תרצחו omiſſum eſſe relativum אשר, *qui*, qualis ellipſis orientalibus ita frequens eſt, ut illud neminem latere poſſit, niſi qui in linguis eorum plane hoſpes eſt. Hic itaque erit ſenſus verborum Davidis: *Quousque conventus facitis ad res turbandas contra Virum* (quem) *occidere vultis*, vel *vita privaturi eſtis?* Sic patet, quisnam ſit Vir ille, contra quem conſilia & molimina peſſimorum hominum erant directa, id quod adhuc clarius intelligetur ex iis, quæ ſequuntur, ſcil. eum eſſe Regem Davidem.

Hic igitur indigitatur hoſtes Davidis dudum jam deliberaſſe, & conſultaſſe de trucidando Rege, id quod docere poterat

fidos Regis ſubditos, quam turpes & facinoroſi eſſent ipſius hoſtes, quam nefanda iniiſſent conſilia, quanto in periculo Rex verſaretur, quo cognoſcerent quam neceſſarium ſit Regis exemplum ſequi, & ſalubria ejus perficere præcepta, ut ſcil. auxilium Divinum ante omnia digno modo quærerent, Deoque ſoli ſalutem ſuam concrederent.

§. 7.

Sequuntur autem verba, quibus oſtenditur, falli opinione ſua hoſtes Davidis, cum ſperarent ſeſe Regem inſtar fundamenti minus firmi commoturos, & de medio ſublaturos eſſe: dicitur enim illis: *vos omnes* eſtis *ſicut paries inclinatus*, *ſicut murus impulſus*. Hæc iis, qui non expertes ſunt litterarum Orientis, ita clara ſunt ut non opus ſit ſenſum illorum multis illuſtrare aut demonſtrare, veram eſſe hanc, quam dedimus, verſionem. Superſedere quoque poſſumus opera illos, qui aliter ſentiunt, refutandi. Quo autem plenam vim verborum intelligamus, attendendum eſt ad propriam ſignificationem vocis גדר, & ad acumen quod imaginibus ineſt, quibus utitur heic loquens, ad incutiendum hoſtibus Davidis pudorem. Verbum גדר aliena non eget ope ex aliis linguis præter Hebræam ipſam petenda, cum illa, quæ in S. litteris de Hebræa ſuperſunt, nobis virtutem

ejus

ejus detegere possint, imprimis si inspiciamus locum in vaticiniis Ezechielis cap. XIII, 5. לוא עליתם בפרצות ותגדרו גדר על בית ישראל לעמוד במלחמה ביום יהוה *Non ascendistis in rupturas, nec extruxistis domui Israelis murum, ut die Jehovæ in bello staretis.* Ex hisce verbis intelligimus גדר imprimis esse *murum*, post quem stantes pugnare possunt. Nulla sane, quam hæc ipsa, loco nostro aptior potest esse significatio, cum de hostibus regis agitur, qui illi erant hanc ob causam metuendi, quod opibus valebant, nec sine singulari auxilio divino superari & everti poterant. Viri præpotentes, quique plurimum virtute valebant, muri a veteribus, eleganti metaphora, appellabantur. Sic AJAX ille TELAMONIUS ab HOMERO dicitur Ερκος Αχαιων. *Murus Achivorum* Il. l. VI, *v.* 5. ut & Il. lib. VII. *v.* 211. Aculeus igitur inest verbis illis, quibus hostibus Davidis significatur, quod *sint sicut paries inclinatus, & murus impulsus.* Sine dubio tam arrogantis animi fuerunt, ut opinarentur se esse parietem domus Israëlis, namque ad Israelem imprimis pertinebant hostes Davidis, & sese murum esse ad defendendum Israelem, & ad secludendum hostes ejus, murum, post quem pugnari possit. Ruborem igitur iis suffundere poterat cum iis exprobaretur, quod sint sicut paries inclinatus

& murus impulſus, quod tales ſint omnes, ne potentiſſimis quidem exceptis. Hoc ipſo enim oſtendebatur, illos cum alios protegere & Iſraëlem ſartum tectum conſervare vellent, in ruinam pronos, & perituros eſſe.

Notandum eſt etiam hoſtes hoſce Davidis Regi ipſi opponi: cum enim hic haud multum commovendus, ſed fundamenti firmiſſimi inſtar locum ſuum tuiturus eſſet, illi ut paries inclinatus, & ut murus impulſus ruinam facturi erant.

§. 8.

Quam infenſo autem illi eſſent in Regem animo, & quam ſceleſto, manifeſtum faciunt, quæ iis com. 5. objiciuntur. Quæ huc pertinent, haud minus clara & perſpicua ſunt, quam præcedentia, exceptis illis, quæ de conſultatione hoſtium dicta ſunts. SCHMIDIUS illa ſic reddidit: *Utique præ elatione ſua conſultant ad impellendum* (eum). Hujus verſionis ſenſus, licet obſcurus ſit, videtur tamen eſſe, quod perditi illi homines, quia elato ſint animo, & Davidem ac fideles ejus ſervos ſpernant & pro nihilo ducant, contra Regem conſultent, ut eum dejiciant atque perdant. At vero num opus erat, ut hoc aſſeveraret qui hic loquitur, dicendo UTIQUE *præ elatione ſua conſultant* &c., ac ſi quis hoc ignoraret, vel in dubium vocaret? Alii aliter

ter verba hæc interpretati ſunt, ſed eis ſenſum etiam minus commodum dederunt. Omnia melius fluent & conſentient, ſi illud משאתו accipiamus de tempore, quo elatus eſt David, ita ut heic loci ſignificetur, hoſtes ejus ab illo jam tempore de ipſo impellendo conſilia cepiſſe. Sane particula illa, מ, ſæpius in S. S. hanc vim habet, ut tempus denotet, quo aliquid fieri cœpit. Inter alia hoc docent & confirmant verba Jeſaiæ: *Quis eſt ſicut ego, qui vocavit hoc (& diſponat illud mihi)* משומי עם עולם, *ex quo poſui*, ſive *ab eo tempore, quo poſui*, vel *conſtitui populum æternum?* Jeſ. LXIV, 7. Sic dicitur Pſ. LXXIII, 20. כחלום מהקיץ *ſicut ſomnium ab eo tempore, quo evigilamus.* In libro Jobi imprimis illud משתו omiſſo א, dicto ſenſu occurrit cap. XLI, 17. Deſcribitur ibi monſtrum marinum, & dicitur conſpectum ejus vel ipſis fortis animi Viris terrorem incutere; משתו יגורו אילים *ab elatione ejus*, id eſt, a momento elationis ipſius, ſive quo ſe tollit, atque e mari partem corporis ſui exſerit & oſtendit, *timent potentes.* Antequam monſtrum illud dicto modo ſe conſpiciendum præbet, homines metu adficere non poteſt; quod enim ſub mari latet, illud metum nobis injicere non valet.

Nemo facile in dubium vocaverit verba Davidis ſenſum congruum & hoſtibus illius accommodatum fundere, ſi nobis ſignificent hoſtes Regis ab illo tempore, quo caput ſuum extulit, & univerſus Iſraël ipſi ſubjectus eſt, conſultaſſe, qua ratione eum poſſeſſione Regni depellant. Superbia tribus Efraim atque invidia, qua in Judam æſtuabat, nec non odium, quod in Davidem habebant, qui cum domo Saulis cognatione conjuncti erant, hac de re noſmet dubitare non ſinunt; imprimis cum illi data occaſione oſtenderint, quanto deſiderio vires & auctoritatem Judæ imminuendi, & imprimis Davidi perniciem comparandi flagrarent. Quæ itaque com. 5. continentur, docent quales fuerint hoſtes Davidis, quantopere timendi, ut & quam injuſti & impii in Regem, atque in Deum ipſum, qui Davidem in principem populi ſui elegerat, & ex hoc ipſo manifeſtum erat piis omnibus, quam neceſſarium eſſet ad exemplum Regis ſine mora auxilium Divinum quærere.

Singulari ſane, ac deteſtanda malitia & nequitia præditi erant hoſtes, cum illi ficto ore ad Regem accederent eique blandirentur, & poſtea falſa in eum crimina jacerent, eique in corde ſuo maledicerent. *Delectabantur* enim *mendacio, ore ſuo benedicebant, in medio ſui maledicebant.* Cum inter

ſe

ſe conſultarent de impellendo Davide, facile intelligi poteſt, quam ob cauſam mendacia de ipſo confinxerint, & falſos in populo rumores diſſeminaverint, ſcil. quo ſubditorum animos a Rege averterent, & ad partes ſuas traducerent. Quam abominanda autem imprimis ipſorum in Regem ſuum fuerit injuſtitia, cum ipſi ore ſuo benedicerent, & maledicerent in medio ſui, quivis videt, cui in pretio virtus, & integritas eſt. Rectiſſime enim CICERO affirmat: *Cum duobus modis, id eſt, aut vi, aut fraude fiat injuria, fraus quaſi vulpeculæ, vis leonis videtur: Utrumque alieniſſimum ab homine eſt; ſed fraus odio digna majore. Totius autem injuſtitiæ nulla capitalior eſt, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut Viri boni eſſe videantur, de Offic. lib. 1.* Mutatis verbis de hoſtibus Davidis, benedicendo pietatem fidelium ſubditorum ſimulantibus, dici poteſt, quod TACITUS de SORANO notavit: *Auctoritatem pietatis præferebant, habitu & ore ad exprimendam imaginem honeſti exercitati, cæterum animo perfidioſi, & ſubdoli, avaritiam ac libidinem occultantes. Annal.* l. 16. p. m. 713. *edit. Gron.* Exemplo peſſimorum illorum hominum confirmari poteſt, quod obſervavit LUCIANUS, maximam adulationem ſororem eſſe calumniæ, *dial. de Calumniat. non teme-*

re credend. §. 20. Tom. III. pag. 151. *edit. Reitz.*

Notandus autem eſt etiam nitor ſermonis, qui affectus loquentis elegantiſſime & clariſſime exprimit. Primo loco per apoſtrophen affatur impios atque ſceleratos Regis hoſtes, illos duris verbis corripiens: poſtea autem ab iis ut indignis quos amplius alloquatur, ſermonem ſuum ad alios convertit, illorum clarius exponens impietatem.

§. 9.

Hiſce propoſitis David iterum loquitur, & poſtquam ſignificaſſet neque malitiam neque aſturiam hoſtium, conſilia de ſe tollendo conferentium, fiduciam ſibi ac ſpem in Deo poſitam frangere, ſalutaria piis ſubditis ſuis dedit præcepta. *Veruntamen*, dicit, *Anima mea ſile Deo, quia ab Eo eſt ſpes mea*, &c. Nihil ſane ad commovendum animos auditorum, & ad perſuadendum iis, quo monenti aures præberent, aprius & accommodatius eſſe poterat, quam ſi Regem exponentem animi ſui fiduciam atque ſpem inconcuſſam audirent, poſtquam fideles ejus ſubditi de conſiliis ac moliminibus infenſiſſimorum atque crudeliſſimorum Regis hoſtium conqueſti erant. Quo autem verba ipſius eo majorem vim haberent, ſe ipſum alloquitur, & quidem excitat ſeſe ad ſilendum

dum Deo. Animum nempe ſuum vult revocare a perturbationibus, quæ efficere poſſent, ut cum Deo expoſtularet de injuria ab hoſtibus ſibi illata, quam Ille permiſerit. Propter hoc ipſum in memoriam ſibi revocat ſpem, in quam a Deo clementiſſimo adductus eſſet: *Ab Eo eſt ſpes mea.* Non opus eſt ut pluribus verbis utamur ad explicandam ſpem Davidis; cui non incognitum eſt quid Davidi a Deo promiſſum ſit, ille non ignorabit quid ille ſperaverit. Monendum autem eſt Davidem indigitare voluiſſe, quam firma ſit ſpes ſua & expectatio, & quare ſibi cum Deo non ſit litigandum: ſcil. quæ ſperabat, illa non ab hominibus, inter quos ſunt quorum minus firma eſt fides, vel quibus deſunt vires ad perſolvendum promiſſa, ſed a Deo ipſo, qui magnus eſt benignitate & fide, expectabat. Cumque Deus ipſi ſpem certam, magnamque præbuerat, hoc animum ejus tranquillum reddere poterat, ut verba non loqueretur, quæ Deo minus placerent, & gloriam Ejus obſcurarent. Quam patienter etiam duriſſima perferre, omnesque calamitates tolerare poſſemus, ſi, premente noſmet adverſa fortuna, conſideraremus, quænam a benigniſſimo & clementiſſimo Numine, cujus amor in noſmet vere paternus eſt, expectare queamus. Cujus patientiæ exempla, præter Davidem aliosque

ſanctos, ſunt Apoſtoli Chriſti, 2 Cor. IV. & V.

Quæ ſequuntur verba, docent quam firma ſit ſpes illa, quam in Deo poſuerat David; *utique Ille eſt petra mea, & ſalus mea, refugium meum: Non movebor.* Solitis utitur imaginibus Vates ſanctus, & huic ſermoni ejus nihil ineſt obſcuri, modo notetur ultimum illud, *non movebor*, conferendum eſſe cum illis, quæ dicta erant comm. 3. *non movebor multum.* Sic nempe patebit, Davidem hoc loco noſtro intellexiſſe commotionem, quæ ruinam poſt ſe trahat. Recte ſe habent, quæ ad h. l. obſervavit doctiſſimus GEIERUS: *Repetitur*, dicit, *vs. 3. ad indicandam ſpei, fiduciæque in Deo locatæ indeſinentem ac inſuperabilem conſtantiam, quam unam tot tantisque repetitis ærumnis obvertere, continuoque repetere non verecundatur Pſaltes.* David enim affirmans: *utique Ille eſt petra mea*, &c. indigitat, licet hoſtes opibus & copiis affluentes, contra quos ſtare non poſſit, peſſima de exitio ſuo ineant conſilia, ſe tamen Deo confidere, & auxilio Ejus ab interitu tutum futurum eſſe.

Facile intelligi poſſunt, quæ ſubjunxit Vates: *ſuper Deo eſt ſalus, & gloria mea*, ſi ad nexum verborum, & ad perſonam loquentem attendas. Illud עַל quod *ſuper* verti-

vertimus non ab omnibus interpretibus eodem modo explicatur. Nobis placet laudati GEIERI ſententia, qui ad hunc locum habet ſequentia: על *ſuper Deo ſalus mea: ſcil. fundata eſt, vel ei innititur.* Hanc fuiſſe mentem Davidis manifeſtum eſt ex iis, quæ præmiſſa erant, ubi oſtenderat Deum non modo eſſe petram ſuam, ſed etiam ſe motum non iri. Cum Deus eſſet petra Davidis, cogitandum erat ſuper Deo ſtructam eſſe illius ſalutem, eamque huic petræ inniti. Et hoc ipſum pro cauſa firmitatis Davidis erat habendum, qui ad interitum non erat commovendus.

Dum autem *gloriæ ſuæ* mentionem facit, hæc mihi quidem omnium optime intelligi videtur non de nominis fama, ſed potius de ſplendore dignitatis Regiæ ipſi a Deo datæ, & conſervandæ.

Obſcuriora ſunt verba ſequentia, ob inſolitam dictionem, qua uſus eſt David, affirmans *in Deo eſſe petram roboris ſui*; præterea non facile determinari poteſt, quid ſignificet hoc loco מחסה, & quo illud referendum ſit. Quod dictionem iſtam attinet, illam alii generaliori interpretatione illuſtrare ſatagunt, non explicantes vim verborum, nec attendentes ad illorum compoſitionem, quos inter ſunt eruditiſſimi Interpretes Anglicani. Præſtantiſſimus GEIERUS rectius intellexit virtu-

virtutem verborum, licet omnem eorum vim & elegantiam non inſpexiſſe videatur, ſed in via ad illam detegendam fuerit. Ita enim ille: *ſicut verſ. 3. Deus appellabatur petra, ſalus Davidis in caſu recto, ita nunc eadem de ipſo enunciantur, in caſu obliquo:* PETRA ROBORIS EST IN DEO, *quanquam ſenſus utrobique ſit idem.* Qui hæc egregii Interpretis ſolummodo legeret, ille facile in opinionem adduceretur, illum minus recte de ſermone Davidis ſenſiſſe. Sed ſine dubio docere voluit, Davidem, quod caput cauſæ attinet, heic loci repetiiſſe, deque Deo affirmaſſe, quod antea jam dixerat. Alias negandum non eſt non quoadomnia nunc eadem dici, quæ antea jam fuerant propoſita: ſed David potius illud, quod antea dixerat, hoc loco clarius explicat & extollit, alia tribuendo petræ ſuæ, & oſtendendo, quo pacto Deum petram poſſit appellare, nec non tacite removendo a ſeſe ſtultitiam & impietatem hominum mundanorum. GEIERUM in via fuiſſe ad hoc cognoſcendum patet, dum addit verbis allatis: *Nimirum pii præſidium extra Deum ſciunt nullum.* Gratus agnoſco & ingenue fateor, me lectis & ponderatis hiſce, permotum eſſe ut accuratius inſpicerem & perſcrutarer ponderoſiſſima illa Davidis verba.

Eruditiſſimus TILLIUS putabat Rupem

pem roboris Davidis, de qua affirmat Rex quod in Deo ſit, eſſe Filium Dei; ſed cum Deus ipſe antea appellatus eſſet petra, non videtur ſanctus Vates nunc ad Filium Dei reſpexiſſe, vel de eo affirmaſſe quod ſit *petra roboris in Deo*: licet alias negari nequeat de Filio Dei dici poſſe, quod ſit petra roboris, & quod ſit in Deo. Accedit Davidem in hoc ipſo etiam commate Deum ut petram conſideraſſe, dum dicit: *Super Deo eſt ſalus, & gloria mea*, ut antea vidimus. Et tandem ſubditos ſuos quoque hortatur, ut ad Deum ſeſe converterent, qui ipſorum eſſet refugium, com. 9.

Quo igitur mentem vatis noſtri rectius intelligamus, conſideranda ſunt ante omnia, quæ Deo aſſignat, quæve Ei ineſſe gloriatur, deinde videndum, quo pacto illa ſint in Deo, & quare David illud hoc loco de Deo affirmaverit. Inter illa primum locum obtinet *petra roboris*. Senſu proprio ita dici poteſt petra, ad quam ſe recipit qui copiis hoſtium eſt territus, & cui vires deſunt prœlium cum iis conſerendi: dicitur autem petra roboris, quod vires auget fugienti ad eam, ut hoſtibus reſiſtere, eosque tandem ad dandum receptui ſignum cogere poſſit. Quid igitur eſt in Deo, cujus imago talis petra poteſt eſſe? Niſi me omnia fallunt, huc pertinent omnes Dei virtutes, quibus

pii

pii proteguntur & corroborantur, quæ & arcent eorum hoſtes ipſis potentiores, ne ad illos aſcendere, eosque proterere & conculcare poſſint.

Illud מחסי poteſt denotare refugium, aut *fiduciam* Davidis, ſed poſteriorem ſignificationem hoc loco SCHMIDIUS, nec ſine omni veritatis ſpecie, præfert, quod Rex, qui exemplum ſuum piis ad imitationem in Pſalmo noſtro proponit, ſtatim comm. ſequente illos hortatur ut Deo confidant. Sed cum petra roboris iis, qui opibus hoſtium in timorem dati ſunt, hunc uſum præſtet imprimis, ut eo ſe recipiant, magis congrua eſt nexui ſermonis ſignificatio refugii. Accedit, quod illud מחסה, com. 9. nihil aliud niſi refugium commode ſignificare poſſit. Conjungi poſſet illud מחסי cum verbis præcedentibus, & ſic diceret David, *petra roboris mei*, & *refugii mei*; at vero plus majeſtatis & nitoris habet ſermo, ſi illud caſu recto capiatur, *Petra roboris mei*, *refugium meum eſt in Deo.* Petra igitur illa, ſeu Virtutum divinarum ſumma perfectio, & firma ſtabilitas erat refugium Davidis, vel id quo confugere poterat, ne in manus incideret inimicorum. Si itaque virtutes Divinas pingit David imagine petræ roboris, atque refugii, ſane utitur metaphora, qualem celeberrimus LOWTH *in præl. de S. Poeſ. Hebr.*

Hebr. præl. VI. vatibus Hebræis tribuit. *In carminibus*, dicit, *ſaltem, quæ grandius quiddam ſpirant & ad majeſtatis ſpeciem compoſita ſunt, ubique dominatur perpetua fere, ac ſibi inſtans metaphora, ſæpe audacter illata, ſæpe etiam cum periculo irruens* &c.

Ne autem quis putet ab uſu abhorrere, ut petra, quo confugere poſſumus, virtutes divinas, quibus contra hoſtes protegimur, ſignificet, recordemur Salomonem de Nomine divino affirmaſſe, *Turris roboris eſt nomen Jehovæ, ad illam decurrit juſtus & exaltabitur.* Proverb. cap. XVIII. com. 10. Nihil autem nomen Divinum ibi denotare poteſt aliud niſi nomen illud, quod virtutes divinas complectitur & explicat. Sententia noſtra haud parum illuſtrari poteſt verbis Jeſaiæ, quibus jubentur fideles confidere nomine Jehovæ, Jeſ. L, 10. Ad hoc nomen ſive ad virtutes, quæ per illud exponuntur, confugiunt pii, quando Deum ſupplices orant & precantur, ut ſibi adſit, pro miſericordia, gratia, longanimitate, & pro magnitudine benignitatis atque veritatis, quibus fulget, & ut hoc faciat ad augendam nominis Sui gloriam. Hoc pacto piis atque credentibus nomen Dei, vel virtutes Ejus per illud revelatæ, ſunt arcis & petræ inſtar, quæ ab incurſu & impetu iratorum hoſtium, & ab omni periculo tuti redduntur.

Cum

Cum David com. 3 & 7. dixiſſet, Deum eſſe petram ſuam, nunc audacter mutat illam metaphoram, & gloriatur petram roboris ſui in Deo eſſe, & ſic clarius mentem ſuam explicat, piisque ſimul in mentem revocat, Deo ineſſe virtutes, quibus credentes proteguntur, & eorum hoſtes ita debilitantur, ut illos opprimere non poſſint. Qui autem virtutum illarum recordabantur easque animo ſuo ſubjiciebant, clarius videre & intelligere poterant, qua ratione Deus ſit petra regis, omniumque piorum, quod illa, quæ in Deo ſunt, ipſe ſunt Deus. Imprimis autem ſignificare voluit extra Deum nihil eſſe, quo confugiat, vel quod ſeſe contra hoſtium copias protegere poſſit, & ſufficere ſibi quæ in Deo ſint virtutes, ad repellendam vim illorum, licet ſint præpotentes. Quæ in Deo ſunt, ſuperant omnia, & ſic etiam hoſtes piorum, & ſatis firmo præſidio ſunt omnibus ad hanc petram confugientibus.

Hic loci merito quæritur, qui factum ſit, ut David imagine petræ vario modo uteretur, cum Deus ipſi petra eſſet ſalutis, cui arx eſſet ſuperſtructa, cui inniteretur ipſe exiſtens fundamentum ſtatus Regni, com. 3. petra, quæ portaret & ſuſtentaret majeſtatem ipſius atque ſalutem com. 8. & poſtea de Deo affirmet, quod in Eo ſit petra, ad quam confugere

fugere poſſit, com. 8. Hujus varietatis, in exornanda hac imagine conſpicuæ, cauſa poteſt eſſe concitatio, quam græci ενθουσιασμον, & Romani furorem appellaverunt, ſine quo poeta carmen ingenio ſuo dignum componere non poteſt. Vere autem de Vatibus ſacris dici poteſt, quod CICERO de poetis notavit. *Illa*, dicit, *Concitatio declarat vim in animis eſſe Divinam. Negat enim ſine furore* DEMOCRITUS *quemquam poetam magnum eſſe poſſe, quod idem dicit* PLATO, *quem ſi placet appellet furorem, dummodo is furor ita laudetur, ut in* PHÆDRO PLATONIS *laudatus eſt, de Divin.* l. 1. Concitatio autem illa, ſi vehementior ſit, oculos mentis reddit acriores, ut plura in eadem re detegamus ac perſpiciamus, facitque ut clariſſima in luce videamus, quæ nobis ſint utilia, & neceſſaria. Sed illa quoque animum tot rebus obruere, & tanta luce repiere poteſt, ut non una ſerie & juxta certum ordinem omnia ſenſa ſua exponat, ſed abruptum ſermonis filum aliquoties repetat atque connectat, id quod imprimis in carmine fieri poteſt, in quo plures loquuntur. Hæ igitur ſunt cauſæ, quare Vates noſter variis in locis nec uno modo de petra locutus ſit, atque adeo variis illam pinxerit coloribus, quoties ſe ſpecies illa animo ipſius ingerebat, vel potius, ut ita dicam, illi obtrudebatur.

Concitationem, qualem CICERO vatibus tribuit, rectiſſime quoque poëtis ſanctioribus aſſignavit doctiſſimus LOWTHUS cujus induſtria poëſis S. Hebræorum nobis magis innotuit. Hac de re quidem notavit ſequentia: *Dictionis poëticæ primus ac præcipuus fons eſt vehemens mentis affectus. Quid enim eſt aliud ille poëtarum proprius furor, quem græci divino afflatui tribuentes* ενθουσιασμον *vocant, quam oratio ex ipſo naturæ habitu depromta, animique motu aliquo vehementer concitati veram, atque expreſſam imaginem exhibens,* (ſed dicendum potius eſſet furorem poeticum talis orationis eſſe fontem) *cum mentis quaſi ultimos receſſus ac penetralia aperiunt, intimosque oſtendunt ſenſus turbide confluentes, nec ſuo ordine diſpoſitos, nec ſuis inter ſe vinculis connexos. Præl. de ſ. poeſ. Hebr. præl.* IV. Vates igitur noſter talem ſentiens commotionem, quæ eo major erat, quo majus fuit periculum in quo verſabatur, & quod ipſi ad canendum occaſionem dederat, imaginem petræ ut ipſi inter canendum recurrebat, aliquoties adhibuit, eique varias formas dedit, quo eo clarius pateret, quid pii, fidem in Deum & Regem conſervantes, a Deo ſuo, ingruentibus vel maximis periculis, expectare poſſent.

Sed cauſa hujus rei etiam fuit quod in carmine hocce præter Regem, & alii loquerentur

rentur, quorum reſponſio Regem omnia animi ſenſa ſimul eloqui impediebant, & ipſi occaſionem præbebant iterum atque iterum petræ illius mentionem faciendi: Licet negandum non ſit, Regem potuiſſe ſimul omnia, quæ de Deo petra ſentiebat, proponere, niſi animum ipſius dicta concitatio impuliſſet, ut ad conſideranda alia feſtinaret. Cum itaque David in imagine petræ inſiſteret, vel illud aliquoties repeteret, atque ita coeptam continuaret metaphoram, ornat carmen ipſius elegantiſſima illa troporum allegoria, quæ hoc ſingulare habet, quod partes ejus non, ut alias fieri ſolet junctæ ſint, ſed radiorum inſtar interjectis intervallis erumpant, & totum fere carmen illuſtrent.

Notandum præterea hoc loco eſt, Davidem quemadmodum in aliis, quos compoſuit, Pſalmis, ita & imprimis in noſtro pluribus uti unius ejusdemque rei imaginibus, non contentum una ad depingenda illa, quæ menti ejus obſervantur. Petra enim non ſolum hic loci occurrit, variis ſplendens coloribus, ſed & arx alta (משגב) & locus refugii (מחסה); item paries atque murus. Illa Dei, qui Davidis erat præſidium, hæc autem hoſtium Regis ſunt ſimulacra. Hoc inſolitum eſt Græcis atque Latinis vatibus, qui raro plures jungunt metaphoras, ad rem aliquam illuſtrandam. Faciunt id quidem

ſæpius in comparatione, cujus exemplum extat in HORATII *Carm. l. 1. v. 17. 18. Od. XXXVII.* Sed alias rem exemplis illuſtrant, quod imprimis ab OVIDIO factum eſſe obſervavimus. Poetis autem orientis (a) hoc eſt uſitatius, ut ad depingendam rem metaphoras

(a) Sic auctor carminis in laudem Herois TAABBETA SJERRAN vel CHELPH ELAHMAR facti, *ut* celeber. SCHULTENS docuit, illum ita laudat, ut ſermonem ejus varii tropi luminum inſtar illuſtrent.

شامس في الغرحتي اذا ماذكت
الشعري فبرد وظل

Solis more fovens dum frigus; quumque arderet Sirius, tum vero Frigus ipſe & umbra, Verſ. 7.

Verſus autem decimus Heroem illum ita deſcribit:

غيث مزن غامر حيث يجدي
واذا يسطو فليث انل

Pluvia nubis cooperiens, quum dona funderet, & quum ſæviret, tum leo ſtrator. Vide hæc in iis, quæ laudatus SCHULT. ex Anthologia veterum collegit p. 424. confer *Auctarium*, quod rever. KUYPER adjunxit carminibus ALI BEN ABI TALEB p. 192. ubi & cumulantur emblemata. Conſr. & Hoſe. XIII. 7. ſq. Jeſ. XXXI. 4. 5.

phoras cumulent, cujus rei cauſa poteſt eſſe eadem illa, de qua antea jam egimus, concitatio in iis vehementior, quæ ut plures ipſis ejusdem imaginis formas ſuggerebat, ita quoque plures iis rerum ſpecies exhibere poterat. Accedit poetas illos rerum attributa epithetis non exprimere, ut Græcis & Romanis, aliisque ſolitum eſt, ſed ad illa declaranda vel ſententiis, vel ſimilibus opus habuiſſe.

Tandem ſubjungendum eſſe ducimus ratione metaphoricæ dictionis, quæ in Pſalmo hoc lucet, Davidem imagines petiiſſe a rebus notiſſimis, easque uſitato more applicuiſſe, quod poetis Hebræis proprium eſſe, & eorum carmina imprimis intellectu facilia reddere docuit laudatus LOWTH l. c. *præl.* VI. David in hoc Pſalmo egit de metuendis turbis bellicis, de hoſtibus iratis, qui multum opibus, armis & potentia valelerent, talia canentes Hebræi vates ſæpius utebantur dictis metaphoris. Et cuivis erat cognitum, cui uſui pugnantibus contra hoſtes potentiores eſſent petra, arx excelſa, murus, & nemo ignorat quid ædibus præſtet paries, & fundamentum.

§. 10.

Sed e diverticulo in viam revertendum eſt, quo perluſtremus, quæ in Pſalmo ipſo

ſequuntur. Poſtquam igitur Rex fortiſſimus ſimul & pientiſſimus ſignificaſſet animum ſemet non deſpondiſſe, cum certiſſimum a Deo Optimo Maximo auxilium, & quidem ab illo ſolo expectaret, pergit, fideles ſubditos excitando, ut exemplum ſuum ſequerentur, & a ſolo quærant Deo, quæ ipſis ſint ſaluti. *Confidite*, dicit primo loco, *Ei*, nempe Domino, *omni tempore*, *populo*. Nemini ignotum eſt quid ſit, ad quam Vates hortatur, fiducia, & ex iis, quæ obſervata ſunt, palam eſt, pericula belli civilis, quæ metuenda erant, præcipuam fuiſſe cauſam, quare juberet Rex ſubditos ſuos fiduciam ſuam in Deo ponere. Sed ſunt tamen in hac adhortatione attentione noſtra haud indigna, quæ autem in commentariis ab eruditiſſimis interpretibus omiſſa ſunt; quorum prius eſt Davidem populum affatum eſſe, poſterius, quod præcipiat Deo omni tempore confidere. Quod prius illud attinet, non ſane omnes id ſibi arrogare poſſent vates, ut dicto modo populum alloquerentur; David autem cum Princeps & Rex eſſet populi ab ipſo Deo electus atque conſtitutus, illud faciendo haud nimium ſibi ſumebat. Ejus imperio univerſus populus erat ſubjectus, & hanc ob cauſam illum appellare, atque hortari poterat. Dum vero hoc faciebat, carmini ipſius novum lumen, figuræ

guræ ſcilicet proſopopoiiæ, quæ etiam commoti animi, vel furoris poëtici ſignum clariſſimum eſt, accedebat: Et ſimul ſignificabat etiam, licet in populo multi eſſent infeſto & parum fido in ſe animo, ſe tamen populum ut patrem patriæ decet, diligere & omnium ſalutem optare.

Voluit autem ut Deo confiderent omni tempore, ſcil. non modo cum proſpera, & optata uterentur fortuna, ſed etiam dubiis & incertis in rebus. Cum igitur felices eſſent, ſalutem ſuam nemini præter Deum concredere debebant, nec ab ullo alio auxilium petere aut ſperare, ſi injuria temporum ipſos in periculum vitæ ſive feliciratis adduxiſſet. Rationes hujus fiduciæ ex Theologia notæ ſunt, ex qua & intelligi poteſt, quare Soli Deo confidere debeamus; poſtea autem in hoc ipſo Pſalmo præcipue docetur quam ſtulte agant, qui ſuam hominibus committant ſalutem. Cum fieri quoque poſſit, ut homines in extremum diſcrimen deveniant, quod qua ratione propulſent non videant, David heic loci docet etiam & tam triſti tempore Deo confidere, id quod piis imprimis metuendis in turbis, quas ille in hoc carmine reſpexit, erat conſiderandum. Talis autem fiducia fuit neceſſaria, niſi ſpe vellent orbari, fore, ut Deus preces ad ipſum fundendas ſit exauditurus.

Sic hiſce reſpondent quæ ſequuntur: *Effundite coram Ipſo cor veſtrum.* Senſus horum verborum ſatis eſt planus & perſpicuus, & quivis facile perſpicit lumen ſermonis, qui metaphora lucet elegantiſſima. Eo ſublimior autem eſt hæcce metaphora, quod oculis noſtris ſubjicit imaginem e ſacris Hebræorum petitam, de quo tropo agit LOWTH *præl.* VIII. Vidit hoc eruditiſſimus GEIER ad h. l., verba Davidis hac illuſtrans paraphraſi: *Quicquid modo vel deſideriorum, vel ſolicitudinum, vel dolorum intra veſtra geritis præcordia, univerſum illud ſecure, libere, totaliter, confidenterque Deo in precibus veſtris exponite, in ſinu Ejus amiciſſimo explicate, retegite, ferme ſicut libamina vini vel olei penitus ante aram ſoletis evacuare,* conf. Pſ. XLII, 5. CXLII, 3. 1 Sam. I, 15. Thren. II, 19. &c. Phraſis ipſa hanc maxime probabilem reddit explicationem, dum dixit David: *effundite* CORAM IPSO *cor veſtrum:* Namque *coram Deo* effundebantur libamina. Libamina hæc depinxiſſe deſideria piorum, per preces coram Deo quaſi effundenda, veriſimilitudinem adhuc majorem conſequitur verbis Pſ. XVI. ubi com. 4. dicitur: *Non libabo libamina eorum de ſanguine,* i. e. Precibus meis Deo non proponam conſilia eorum atque deſideria ſanguinolenta; qua cum explicatione optime conveniunt, quæ ſequuntur:

quuntur: *Non tollam nomina eorum ſuper labia mea*, i. e. eorum in precibus meis ne quidem mentionem faciam, conf. Joh. XVII. In tranſitu autem moneo audaciorem eſſe metaphoram quando dicitur *libamina de ſanguine non libabo*, cum alias libamina Judæorum de vino eſſent. Videtur autem David, auctor Pſalmi illius, reſpicere morem ethnicorum, a quo Sacra Judæorum abhorrebant, quo illi ſanguinem libabant. Non ignoramus alios doctiſſimos interpretes locum hunc aliter explicare, ſed illorum ſententias examinare, ſcopi noſtri ratio non permittit.

Dum vero dicit David in Pſalmo noſtro: *Effundite coram Deo cor veſtrum*, tacite monet Iſraëlitas, id hominibus facere non debere.

Primum argumentum, quo adhortationi robur addere voluit, eſt quod Deus ſit ipſis *refugium*. Hac ex iis, quæ antea obſervavimus, clara ſunt: Nexus autem verborum docet pios ad Deum confugere per preces, eosque, qui illud rite faciant, vel maximis in periculis præſidio Divino tutos eſſe.

§. 11.

Quo apud Deum ſolum non modo turbis inſtantibus, ſed & omni tempore auxi-

lium quærerent pii, hæcce notat Vates ſanctus: *Utique vanitas ſunt filii hominis, Mendacium filii viri: In libra ad aſcendendum, illi præ vanitate ſimul.* Elegantiſſimæ heic loci junctæ ſunt metaphoræ, quibus ſignificatur homines ne exceptis quidem viris principibus, id revera non eſſe, quod exiſtere videantur, nec illud præſtare ſemper quod promittant, illosque reſpectu fortunæ aliorum, ſuæve ipſorum, nullius eſſe momenti. Homines ſunt *Vanitas & mendacium,* quoniam non poſſident, qualem præ ſe ferunt, potentiam; & felicitas, qua frui videntur, vana eſt, ipſamque fallit ſpem, quam conceperunt. Deſunt mortalibus ſæpiſſime vires, nec minus deeſt ſapientia atque prudentia, dum perficere ſtudent, quæ vel ad ſuam ipſorum, vel ad amicorum ſalutem promovendam ſunt neceſſaria. Æque minus ſuperare poſſunt ſummam ſapientiam, atque potentiam Divinam in determinanda hominum fortuna conſpicuam, ac illud, quod eſt ſine pondere, efficere poteſt ut altera libræ lanx aſcendat. Elegantiſſime autem ſimul atque nervoſiſſime homines dicuntur *vanitas* atque *mendacium* eſſe; ſimilique metaphora uſus eſt auctor carminis, quod nobis exhibet Rever. KUYPER *in Auctario ad carmina* ALI BEN ABI TALEB, p. 192. Cum enim dixiſſet *vitam eſſe ſomnum*

ſomnum, *mortem* autem *experrectionem*, addit,

وألمرء بينهما خيال ساري

Et homo inter illa duo ſpectrum oberrans.

Conſpirant cum hiſce, quæ ULYSSES apud SOPHOCLEM de hominibus notavit, ſcil. quod ſint *ſimulchra*, & *inanis umbra*.

Ορω γαρ ημας ϰδεν οντας ἀλλο πλην
Ειδωλ', οσο περ ζωμεν, ηδ' ϰαφην σϰιαν.
Video enim nos nihil aliud eſſe
quam ſimulachra, quicunque vivimus, &
umbram inanem.

Aj. v. 125 ſq.

Quicunque res humanas attenta mente conſiderat & diſcernere poteſt quid in fortuna, vel in viribus, atque in ſapientia eorum veri ſit, quid nihil niſi externam veri ſpeciem habeat, facile intelliget, quanta ſit hominum vanitas, quam parum veri & ſolidi iis inſit. TACITUS hoc perſpexit, idque hiſce memorabilibus indigitavit verbis: *Mihi quanto plura recentium, ſeu veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obverſantur. Annal.* III. p. 198. *edit. Gronov.* Idem de TIBERIO notavit: *Cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto ſe magis in lubrico*

brico dictabat Tiberius. Annal. I. 79. *Vanitatem* eſſe homines etiam feliciſſimos atque potentiſſimos probe intellexit SENECA, id quod ejus verba probant, quibus docet quam inania ſint, quæ mortales maxime optant & quærunt: *Ego in illis, quæ omnes optant, exiſtimavi ſemper nihil veri boni ineſſe: quia inania, & ſpecioſo, ac decepturo fuco circumlita inveni, intra nihil habentia fronti ſuæ ſimile*, &c. *de Conſol.* l. I. c. 5. Verba itaque Vatis noſtri argumentum complectuntur maximi ponderis, ad permovendum animos piorum, ut ad Deum ipſum ſe reciperent, nec potentia aut ſapientia, ſive favore ullorum hominum confiderent, quando miſeria ipſos, & ærumna premeret. Quid enim auxilii aut ſolaminis expectare poſſumus ab hominibus, qui ſunt vanitas, qui videntur eſſe, quod non ſunt, qui *mendacium ſunt*, quorum ita fallax eſt fides, ut nolint, aut nequeant præſtare promiſſa; qui in mutanda hominum fortuna adhuc minus valent omnes, quam pulvis in lance deprimenda leviſſimus, qui *in libra ad aſcendendum* omnes ſimul ſumti *minus ſunt*, *quam vanitas?*

§. 12.

Adjungit David hancce monitionem apprime neceſſariam: *Ne confidite oppreſſione*

ne & rapina, ne evaneſcite: opes quando proveniunt, ne apponite cor. Heic legitur ינוב, quod celeberrimus SCHULTENS illuſtrat Arabico نان *ſupervenit per vices*, cujus participium نائبة caſum fortunæ ſignificat, ita ut ינוב notet, *accreſcet, atque accumulabitur lætis identidem vicibus, ad Ham.* p. 312. Reliqua dicti hujus verba ſatis clara ſant.

Facilius intelligemus mentem Davidis & cauſam inſpiciemus, quare tali monitione uſus ſit, ſi recordemur, illum, ut pium decet regem, ad totum populum ſuum direxiſſe ſermonem, quo illi rectam veræ & ſolidæ felicitatis viam commonſtraret. Cogitandum enim eſt, in populo ad rebellionem propenſo fuiſſe, qui tali adhortatione opus haberent.

Hiſce obſervatis facile intelligi poteſt, quid de aliis hujus loci explicationibus ſit judicandum, nec opus erit ut iis immoremur. Notandum autem eſt illos, qui confidunt oppreſſione & rapina, divitiisque ipſis profluentibus, Deum non poſſe quærere, ut Ille ſit ipſis præſidium, atque ſcaturigo felicitatis. Id quod docet, quam apte hæc admonitio præcedentibus ſubjungatur, & cujus illa fuerit utilitatis ac neceſſitatis.

§. 12.

§. 13.

Æque perſpicuus, & intellectu facilis eſt ſequentium verborum nexus; ſed obſcurior eſt eorum ſenſus, vel ille potius ab interpretibus eruditiſſimis non eſt perſpectus, cujus rei cauſa nulla alia poteſt eſſe, niſi quod non ad omnia mentem ſatis attentam habuerint. Namque verba ipſa in ſe ſpectata ſenſum fundunt clariſſimum, & vel iis haud obſcurum, qui non niſi ex lexicis, & commentariis cognitionem linguæ Hebraicæ hauſerunt. Cum ex ipſis intelligi poſſit verbis, graviſſimam illa, & maximi ponderis continere ſententiam, tentare volumus, num eam detegere, & in lucem protrahere poſſimus. Circumſpecte vero agendum nobis eſt, cum, recedentes ab interpretibus præſtantiſſimis, nil niſi conjecturam probabilem polliceri queamus. Ante omnia igitur ponderandæ erunt illorum ſententiæ, & ratio eſt reddenda, quare ab iis diſceſſionem facianus. Verba Davidis ita ſe habent, אחת דבר אלהים שתים זו שמעתי כי עז לאלהים. *Vulgata* hæc ita reddit *verſio: Semel loquutus eſt Deus, bis hoc audivi, quod fortitudo eſt Deo.* Sed hæc nobis quidem plures ob rationes minus placent, ſufficit autem ut hoc unum notemus, ſcilicet incongruum eſſe, ſi dicamus noſmet ſententiam ſemel prolatam bis audiviſſe. Fieri hoc quidem poteſt

poteſt, ſi voces ab iis locis, quæ loquenti oppoſita ſunt, ad aures noſtras referantur, ſed ridiculum eſſet, ſi quis ſtatuere vellet, Davidem eo reſpexiſſe. Verſio Græca ſeptuaginta interpretum nimis longe recedit a textu Hebraico, ita ut non opus ſit eam heic loci examinare. Audiamus autem Viros alios doctiſſimos, ſententiam de verbis illis dicentes. Sunt qui cum VATABLO illa ſic reddunt, & explicant, *Deus unam rem dixit, duabus illam audivi vicibus, quod robur ſit Dei. Primo*, ut putant, *hoc dixit Deus loquens de monte Sinai, & poſtea ſuccedente tempore per prophetas.* At vero Deus hoc non dixit de Sinai, niſi exiſtimes nomen Divinum אל Deum potentem ſonare, quod tamen ab omni veritatis abhorret ſpecie. Præterea Deus per prophetas ſæpius Sibi robur maximum tribuit, quod ne ſententiæ ſuæ noxium ſit telum, ad loca provocant, quibus actio ſæpius repetita intelligatur, ſi quid bis factum eſſe dicatur. Vix crederem ejusmodi enallagen ulli S. Scripturæ loco tribuendam eſſe; cum quidem recte dicatur nos decies, vel centies aliquid feciſſe, ſi indigitare velimus noſmet illud ſæpius peregiſſe. Sed quis hariolando augurari poſſit noſmet hoc, vel illud ſæpius locutos eſſe, ſi dicamus: *unam rem bis dixi*, vel *ea duabus vicibus eſt audita.*

Sed

Sed licet concedamus, talem aliis ſcriptoribus probis ignotam & inſolitam enallagen nonnullis in locis S. litterarum inveniri, illa tamen noſtro non eſt aſſignanda, ubi de una re dicitur, quod Deus illam ſit locutus, & quod David eam bis audiverit.

Omnis difficultas omnium optime tolli poſſe videtur, ſi ſtatuatur, Davidem hic non agere de verbo, quod Deus ad univerſum populum, ſive voce a ſe ipſo in aëre formata, ſive per prophetas locutus (ſi hoc menti ejus fuiſſet obverſatum, dixiſſet, bis audivimus illud, non autem *bis* AUDIVI) illumque potius indigitare velle ſe duabus vicibus hoc dictum ore Divino prolatum auribus percepiſſe, *quod robur ſit Dei.* Probabilis autem eſt hæc interpretatio plures ob rationes, quarum præcipua eſt, quod Davidis verba haud aliter intelligi poſſe videntur, quando ille, ſermonem dirigens ad populum ſuum, affirmat ſe verbum aliquod Divinum audiviſſe. Nonne eſſet contra ſanam rationem, ſi quis pro concione dicens omnibus memoriam veritatis, ipſis divinitus revelatæ, renovare vellet, gloriaretur *ſe illam audiviſſe*? Nonne verba majorem vim & efficaciam in animis auditorum haberent, ſi diceret, *noſmet illud audivimus?* Accedit, haud defuiſſe Summo Numini, Iſraelis Regi ſupremo, occaſionem duabus vicibus Davi-

Davidem hac de re monendi, quod *Dei ſit robur*. Scilicet fieri hoc poterat, cum primo imperium Jehudæ, & poſtea Regnum omnium tribuum Iſraëlis illi demandaretur. Obſervandum autem eſt Davidem prophetam fuiſſe, Deumque hanc ob cauſam vel ſomnio eum admonere, vel viſione ipſi oblata dicta verba loqui potuiſſe. Nec utilius Regi quicquam magno, nec magis neceſſarium poterat eſſe, quam ut probe conſideraret non viribus hominum fortiſſimorum, non robuſto magnoque exercitu fidendum eſſe, ſed robur eſſe ſolius Dei, a quo ſolo tam ſua quam totius populi fortuna penderet. At vero dicis, ubinam locorum legitur Deum illa verba, quæ allegat David, & quidem bis ipſo audiente locutum eſſe, ſed facilis eſt reſponſio. Plura enim memorantur in Pſalmis de Davide Rege, aliisque, quorum in reliquiis hiſtoriæ Iſraëlis, quas Spiritui ſancto in ſacro codice conſervare placuit, nulla mentio eſt facta, quod nemini incognitum poteſt eſſe, qui Pſalmos adhibita legit attentione. Confr. celeberrimus MICHAELIS ad LOWTH, *de S. poeſi* præl. XXVII. p. 529. ſq.

Maximi autem ponderis poterat eſſe, cum David imprimis hoc loco affirmaret *Deum ſibi dixiſſe, ſeque id bis audiviſſe, quod robur ſit Dei*, id quod veriſimilitudinem

ſententiæ noſtræ augere aptum natum eſt. David in eo erat ut populo perſuaderet ſoli Deo ſuam committere ſalutem: quam ob cauſam docet, quam intutum eſſet, & quantæ inſaniæ, ſi hominibus licet maximam potentiam habentibus, confidere vellemus: omnesque Iſraëlitas dehortatur per rapinam & oppreſſionem opes ſuas augere. Quid autem animos eorum magis permovere poterat, ut regi ſe monenti & ſaluberrima danti præcepta obſequerentur, quam ſi perciperent, regis omne robur apud Deum eſſe, eumque ab Illo ſolo expectare & quærere, quod ipſum contra molimina hoſtium tutum reddere, & eorum victorem facere poſſet? Regem enim omnibus aliis potentiorem eſſe manifeſtum erat. Omnium clariſſime autem intelligere poterant, Regem ſoli Deo confidere, cum memoraret Deum *ſibi bis dixiſſe, quod Ipſius ſit robur.* Sed & alia ratione verba hæcce Davidi utilia poterant eſſe ad dictum finem obtinendum. Iſraëlitæ enim regi fida mente conſtanter adhærentes ex illis intelligebant, ſibi deſperandum non eſſe de ſua regisque ſalute, licet hoſtes Davidis plurimos atque potentiſſimos in populo ad partes ſuas traducerent, cum ſpes victoriæ non in numero, nec virtute pugnantium, ed in robore, quod ſolius eſt Dei, ſit collocanda.

locanda. Videbant hic vires opesque Regis ſui non imminutos aut fractos eſſe, dum robur, quo David tantos hoſtes, & exercitus numero ampliſſimos atque robuſtiſſimos ſuperavit ac debellavit, non ipſi, nec ejus copiis, ſed Deo ſit tribuendum. Nihil itaque verisimilius nec probabilius eſſe poteſt, quam Davidem heic loci, & quidem dictas ob rationes affirmaſſe *Deum unam rem* maximi momenti, & imprimis populo jam ponderandam, locutum eſſe in viſione, vel ſomnio, *quam duabus audiverit vicibus*, ſcil. *Dei robur eſſe*. Hinc ſequebatur omnes, qui Regem, ſeque ipſos ſalvos eſſe cuperent, oportere ſpem omnem in ſolo reponere Deo ſupremo ac potentiſſimo, & ad eum ſe recipere, quando adverſa fortuna premerentur. Rectiſſime atque veriſſime de Deo vero affirmare poſſumus, quod fictitio Jovi ſuo affinxit HOMERUS.

Τȣ —— Κρατος εϛι μεγιϛον. *Il.* I. v. 25.
Hujus —— potentia eſt maxima.

Facere non poſſum quin hoc loco conferam principem hunc inter Græcos & Romanos Poëtam cum Davide inter vates Iſraëlitarum eximio. Omnibus, qui poëtas legerunt, notum eſt illos Diis multa indecora & ſceleſta, nec non injuſta tribuere: quam ob cauſam in *Tuſculanis* TULLII *Quæ-*

ſtionibus jure redarguitur poëtica: *O præclaram emendatricem vitæ poeticam, quæ amorem flagitii, & levitatis auctorem in concilio Deorum collocandam putet.* T. Q. l. IV. HOMERUS non erubeſcit illum Jovem, cui maximam aſſignat potentiam, peſſimæ fraudis incuſare. Ita enim loquentem inducit AGAMEMNONEM:

Ζευς με μεγα Κρονιδης ατη ενεδησε βαρειη.
Σχετλιος, ος πριν μεν μοι υπεσχετο και κατευνεσεν
Ιλιον εκπερσαντ' ευτειχεον απονεεσθαι.
Νυν δε κακην απατην βεβλευσατο, και με κελευει
Δυσκλεα Αργος ικεσθαι, επει πολυν ωλεσα λαον.
Jupiter me valde Saturnius detrimento irretivit gravi:
Infeſtus, qui antea quidem mihi promiſit, & annuit,
Ilio exciſo bene munito rediturum;
Nunc vero malam fraudem ſtruxit, & me jubet
Inglorium Argos redire, poſtquam multum perdidi populum.

Il. I. v. 18. ſq.

Hæc loquitur idem ille AGAMEMNON, cujus & verba ſunt antea allegata, τε —— κρατος εϛι μεγιϛον. Obſervandum autem eſt, heroes poſtea loquentes nulla ratione corripere

pere Agamemnonem, eosque regi huic conſilia dediſſe de reducendo ipſo in gratiam apud ACHILLEM, neminem autem de placando Jove cogitaſſe. Hic videmus HOMERUM Deos homines, imo hominibus pejores feciſſe, qua in re illum etiam LONGINUS vituperavit. Quanto melius David! Ille non ignorabat ſibi non ſine Divina providentia, cui omnia ſubjecta ſint, parari calamitates maximas, ex quibus nemo ſeſe, niſi Deus ipſe, eripere poſſit. Attamen non culpat vias Divinas, ſed illas potius approbat, Deoque ſilet, quid? quod! ſe ipſum piosque omnes ad quærendum a Deo, cujus robur eſt, auxilium, excitat & cohortatur. Sic omnia in carmine ejus apte cohærent, & non animum ſolum oblectant, ſed & incendunt ad perſolvenda officia maxime neceſſaria, ſine quibus nec gratiam apud Deum inire, nec exitii periculum vitare poſſumus.

§. 13.

Eandem pietatem præ ſe fert vates Rex, ſermonem ad Deum convertens, & exclamans: *Et Tibi, Adonai, benignitas* (חסד) *quia Tu retribues cuicunque juxta opus ſuum.* Sententia ſane Davide digna, & ſcopo Vatis congrua! Illa autem ita effertur, ut quivis facile pernoſcat, quantopere permotus

ſit ipſius animus, cum recordaretur atque ponderaret, quidnam a Deo poſſit expectare, quanta ſit Ipſius potentia, quanta benignitas. Hæc ut eo clarius intelligamus, a verbis depellendæ ſunt tenebræ, in quibus illa reliquerunt, qui ea conati ſunt elucidare, doctiſſimi interpretes.

David Deum extollit ob illam maxime amabilem virtutem, nempe benignitatem. Legitur in textu originali verbum חסד, quod minus recte, & varie ab iisdem interpretibus redditum eſt, & quidem nunc *gratia*, nunc *miſericordia*, antequam vera ejus ſignificatio a Viris linguarum Orientalium doctis, SCHULTENSIO, VRIEMOETIO, J. D. MICHAELIS, ex lingua Arabica eruta, & demonſtrata eſt. Nunc conſtat inter omnes, חסד ſonare inter alia pietatem patris cœleſtis, qua Ille eſt hominiminibus omnium bonorum fons uberrimus & inexhauſtus. Noſmet ſignificationem hancce alio loco, Deo volente, ex lingua dicta, ut & ex Pſ. XXXVI. ulterius illuſtraturi & confirmaturi ſumus.

Qui hanc vocis ſignificationem, huic loco noſtro accommodatiſſimam, cum David hic de Deo Patre cœleſti agat, qui præterea effectum deſignatæ verbo illo virtutis divinæ

Divinæ conſiderat, illi inſolita & mira videri poteſt Vatis oratio dicentis: *Tibi eſt benignitas paterna, quia Tu retribues cuicunque juxta opera ſua:* Nempe ſi Deus hoc facit, num hoc ſemper eſt benignitatis? nonne potius & juſtitiæ vel iræ divinæ, ratione illorum, qui peccaverunt? Hoc quidem certiſſimum eſt, nec ulla ratione poteſt negari, ſed ſtatuendum tamen eſt vel ex ipſis judiciis Divinis elucere benignitatem paternam. Non autem idem ſentio cum iis, qui benignitatem illam tam late extendunt, ut illam quoque vel ipſa æterna peccantium pœna, & quidem ratione condemnatorum demonſtrari putent; verum benignitatem revelari exiſtimo per juſtitiam, peccatorum vindicem, ob inſignem utilitatem, quam ſupplicia in homines, corrigi neſcios, ſtatuta & caſtigationes filiorum Dei, horum reſpectu proferunt. Hæc autem ulterius perſequi & illuſtrare iis relinquimus, quorum eſt de viis Dei agere; nobis hæc monuiſſe ſufficit ad elucidanda Davidis verba. Nec facile quis tam imperitus eſt rerum ad theologiam pertinentium, ut opus habeat doceri, fontis inſtar ſcatere pretioſiſſimis bonis Divinam benignitatem, quando ſupremus Ille Pater filios voluntatem Ipſius facientes remuneratur.

David

David autem oſtendit quam clariſſime, ſe perſuaſum eſſe tam de potentia, quam de benignitate Dei, dum dicit: ET *Tibi benignitas eſt paterna.*

Nihil autem aptius eſſe poterat ad excitandam, atque confirmandam in ipſo & piis omnibus Dei fiduciam; cum hic omnes viderent, Deum ipſis omnibus in miſeriis atque periculis & poſſe & velle ſuccurrere, eorumque reparare atque confirmare ſalutem, ſi auxilium Ejus implorarent.



BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-
THEOLOGICA

CLASSIS QVINTAE
FASCICVLVS SECVNDVS.

BREMÆ & AMSTELODAMI
Sumptibus Bibliopolarum
Viduæ b. G. W. RUMPII & H. VIEROOT.
MDCCLXV.

BIBLIOTHECA

BREVIS

NOVA

HISTORICO-BIBLIOGRAPHICO-

THEOLOGICA

VIRO
MAXIME VENERANDO
ET ERUDITISSIMO,
JOANNO JACOBO
SCHULTENS,
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI,
HUJUS ET LL. OO.
PROFESS. LUGDUNI IN BATAVIS
CELEBERRIMO,
NEC NON
COLLEGII GALLO-BELG. REGENTI,
FILIO,
QUEM PATRIS LAUDES ET HONORES,
DUM EJUS VESTIGIA FELICITER LEGIT,
EX MERITO SEQUUNTUR,
TOT ΠΑΝΤ ALBERTI SCHULTENS,
THEOLOGI QUONDAM ET PHILOLOGI
LUGDUNENSIS,
AT QUANTI VIRI!
CUI SOLI
LITTERÆ, PRÆSERTIM ORIENTALES,
PLUS DEBENT
QUAM, QUI ANTE ET POST EUM VIXERUNT,
CETERIS OMNIBUS,
QUI PRIMUS VIAM MONSTRAVIT
ET CALCAVIT
VERAM ET REGIAM,
DIALECTOS ORIENTALES DISCERNENDI,
VOCUM NOTIONES ENUCLEANDI,
ET EX EIS,
QUOD PRIMARIUM EST,
SACRUM CODICEM VET. TEST.
GRATISSIMA LUCE ILLUSTRANDI,

QUARTUM DECIMUM HUNC

BIBLIOTHECÆ BREM. NOVÆ FASCICULUM,

EXISTIMATIONIS ET AMICITIÆ
TESTANDÆ GRATIA,
SACRUM ESSE JUBET,
ET
DEUM OPTIMUM MAXIMUM
VENERATUR,
UT EUM
ACADEMIÆ ET ECCLESIÆ
DIU SERVET SOSPITEM ET INCOLUMEM,
LABORIBUSQUE EJUS ASSIDUIS,
AD INCREMENTUM
ERUDITÆ PIETATIS,
UTQUE
EX SCHOLA IPSIUS PRODEANT
VIRI VERE LITTERATI, VERE PII,
ET VERITATIS PACISQUE AMANTES,
LARGITER BENEDICAT,
SE QUOQUE ET HOC INSTITUTUM
IPSIUS FAVORI,
FILIUMQUE SUUM,
QUEM FAVENS EXCEPIT DISCIPULUM,
QUOD GRATISSIMI AGNOSCIMUS,
SI PIETATI ET LITTERIS
GNAVITER INCUMBERE PERGAT,
EJUS AMORI
COMMENDAT
EDITOR
NICOLAUS BARKEY.

SYLLABUS
OPUSCULORUM
FASCICULI SECUNDI
CLASSIS QUINTÆ.

I. JO. CONRADI FUESLINI, *Cap. Vitod. Cameravii*, Dissertatio Epistolica, *rationem nominis* CIRCUMCISORUM, *qui seculi XIII. hæretici fuerunt, investigans, ad Virum cel.* DAN. GERDESIUM, *Theol. D. & P. in Academia Groningano Omlandica* *) pag. 185

II. R*** P. B. Specimen *Observationum Philologicarum in N. T. ex* ARTEMIDORO pag. 198

III. HERMANNI SCHOLTEN, *V. D. M. Diepenhemiensis*, (designati nuperrime in Academia Lugduno-Batava S. S. Theologiæ Professoris P. O., quod Academiæ & Ecclesiæ felix faustumque esse jubeat Deus O. M.!) *Vita Græcorum carminibus restituta, vel* leges Accentuum genuinæ, *ex atra multorum seculorum nocte in claram productæ lucem* pag. 239

IV.

*) Desiit esse cel. GERDESIUS his in terris, dum piam suam animam d. 2 Febr. hujus anni Deo reddidit. Hanc itaque Epistolam non vidit.

IV. JO. NICOLAI RICHTERI, *V. D. M. Erneſtivillani*, Obſervatio *ad* 1 *Cor. XV*, 29. *de Baptiſmo ſuper mortuis* p. 264

V. J. C. HARENBERGII, de *Photii Etymologico Magno, ad Nicolaum Barkey* Diatribe Epiſtolica p. 280

VI. BENJ. KENNICOTT, *S. Th. D. & Socii Collegii Exeterani*, Status Collationis Hebræorum V. Teſt. Codicum manu exaratorum, *qualis fuit ſub finem anni ab incepto opere tertii* 1762 p. 296

VII. JO. GEORGII WENTZ, *Bipontini, S. Min. Cand.* Diſſertatio *de Ingreſſu Pontificis M. in S. adytum non niſi unico* p. 319

VIII. AUG. LUD. ZACHARIÆ, *V. D. M. Cothenienſis*, Schediaſma *ad N. Barkey, in quo de Verſione Græca Alexandrina loci* JEREM. *XXXI*, 22. *quæritur* p. 346

IX. NICOLAI BARKEY, Obſervatio *ad præcedentem Epiſtolam pl. Rev. & Doctiſſimi* A. L. ZACHARIÆ, *de Verſione Græca Alexandrina loci* JEREM. *XXXI*, 22. p. 370

X. JANI GRUTERI Epiſtola ad UBBONEM EMMIUM *de morte & meritis* THUANI p. 393

I.

JOANN. CONRADI FUESLINI,

CAP. VITOD. CAMERARII,

DISSERTATIO EPISTOLICA,

RATIONEM NOMINIS

CIRCUMCISORUM,

QUI SEC. XIII. HÆRETICI FUERUNT,

INVESTIGANS

AD

VIRUM CELEBERRIMUM,

DANIELEM GERDESIUM,

THEOL. D. ET P.

IN ACADEMIA GROENINGANA OMLANDIÆ.

TOt me, vir celeberrime! hactenus beneficiis cumulasti, quot ingenii atque eruditionis tuæ fœtus extant. Præclaris tuis operibus Bibliotheca mea aucta est, ut differre non possim, quin Tibi aliquod gratitudinis meæ

monumentum conſtituam. Commoda id faciendi occáſio mihi ſuppeditatur, cum difficillimam quandam particulam hiſtoriæ eccleſiaſticæ explanare & tenebris pulſis illam luci reddere in animum inſtituerim. Primo igitur Tibi pro dulciſſimis Tuis muneribus debitas perſolvo gratias, vehementer optans, ut eas aliquando referre poſſim. Deinde occaſionem exponam, qua data explicationem ad Te mitto, nominis in hiſtoria eccleſiaſtica perobſcuri, ut, quidquid hic præſtiterim, examines, penſites atque dijudices. Hæreticos medii ævi variis nominibus inſignitos fuiſſe, notum eſt. Vulgaria ſunt, ſi *Cathari*, *Patareni*, *Bogomili*, aliter, aliterque vocantur. Rationes harum appellationum facile patent. *Cathari* dicti ſunt, quia ſancti purique haberi voluerunt, imo ſe tales eſſe profeſſi ſunt. *Patarenorum* nomen a *Pataria*, loco publico urbis Mediolanenſis venit. *Bogomili* eſt vox Mœſica. Mœſia enim & Bulgaria niduli Hæreticorum fuerunt, ex quibus ſeculo undecimo in totam Europam evolarunt, nam anno MXIV. Aureliæ, MXXV. Arrebati, MXL. Mediolani reperti fuere, qui factionibus jam conſtabilitis non ſolum falſa dogmata eccleſiæ Rom. oppugnarunt, ſed ipſi etiam errores fœcundiſſimos diſſeminarunt, fœcundiſſimos dico: Exempli enim gratia

gratia unicus iste error: *Deum non esse hujus mundi aspectabilis architectum & rectorem*, innumeros alios peperit. Ex illo enim deduxerunt: *hominem nulla præeunte prævaricatione per se esse malum, nec unquam bonum creari potuisse.* Homo, si ipsis fides habenda esset, tribus constaret partibus, *corpore*, *anima* & *spiritu.* Anima ex corpore esset conflata, cumque illo interiret funditus. Spiritus vero ex ipsa Dei essentia procreatus esset, qui studio & opere humano, h. e. non Christi, sed ipsius peccatoris virtute vel potius labore purgatus in cœlum rediret. Christus vero homo fuit sanctissimus, pietatis genuinam speciem exprimens, qualis hodie iterum a multis depingitur. Fanatici hi in Gasconia *Publicani* appellati fuerunt & MCLX. hominum cohors, quæ Publicanorum placita imbiberat, in Angliam descendit. Miror, Viros doctissimos, qui *Dictionarii Bayliani supplementum* in Anglia procurarunt, in hunc incidisse errorem: *Arnoldum Brixiensem*, qui MCLV. Romæ non ut malefactor, sed ut testis veritatis vitam in arbore infelici finivit & luce cassus in cinerem redactus fuit, horum fuisse principem Bonus iste vir *Arnoldus* contendebat: Papam præter jus fasque doctoris evangelici urbis Romanæ principatum invasisse, & Episcopis, Abbatibusque ac uni-

verſis eccleſiæ miniſtris ex legibus Chriſti nihil competere, niſi

primitias & quæ devotio plebis
offerat - - - -
Non ad luxuriam, ſive oblectamina carnis.

ita GUNTHERUS in *Ligurino* cecinit. Quæ præter has *Arnoldo* attribuuntur ſententiæ erroneæ, inimicorum ejus, & recentium quidem, figmenta ſunt. Neque Romanis ſeditionis adverſus Papam auctor fuit, ſed eos rebellantes confirmavit, prædicans: *Chriſti vicarium in terris poteſtatem regnandi a Domino non accepiſſe.* Romani multo ante ipſum tempore rebellionem adverſus Epiſcopum ſuum, mundanam potentiam affectantem, moliti fuerunt. Oportet ut Hiſtoricus Viros vera docentes & viam Evangelii in doctrina & vita ſectantes ab his diſtinguat, qui falſa protulerunt & inter homines propagarunt, proptereaque merito ſuo Hæretici dicti ſunt. His præter alia, quibus vetuſtas illos inſigrivit, nomina, *Circumciſorum* nomen datum fuiſſe legitur. FRIDERICUS II. IMPER. qui nonnullas proſcriptiones de capite & bonis hæreticorum edidit, illos in una earum *circumciſos* appellavit. *) Quin hi iidem fuerint, qui alias *Pata-*

*) Vid. *Petrum de Vineis L. I. Epiſt.* 25.

Patareni & *Cathari* dicti sunt, non est dubium, sed ratio, ob quam ita dicti sint, hactenus latuit. Multi egregii Viri in eo sudarunt, ut rationem in lucem protraherent, attamen exhaustis viribus suis se illam nescire fateri coacti sunt. Plerique eam silentio præterierunt, hoc saxum volvere non cupientes. Non diffiteor, me etiam diu inutilem operam impendisse, causam hujus appellationis investigandi. Quotiescunque eam mecum volutavi, curti Judæi in mentem venerunt, lubensque credidissem, veteres in hæreticis aliquid reperisse, quod ipsis cum Judæis commune fuisset. Sed cum nihil tale vel in doctrina vel in vita ob oculos veniret, ad illos iterum accessi, qui illam multis infandam vocem NESCIO protulerunt. Tandem mihi non de hac re cogitanti ipsa hujus appellationis ratio se obtulit, quæ tam clara & manifesta videtur, ut eam tecum, Viro doctissimo, omnibusque historiæ Ecclesiasticæ studiosis communicare haud verear. Si dixerim, PHÆDRUM elegantissimum illum Fabularum concinnatorem mihi eam spectandam proposuisse, multi forte ridebunt, attamen verum, imo verissimum est, hoc auctore viam monstrante, me ad rationem illam eruendam perveniisse. Legi in Lib. IV. *Fabula 19.* hunc versum:

Qui circumcidis omnem impensam funeris. His verbis commotus, oculos mentemque in notas BURMANNI conjeci, qui ad illustrationem & confirmationem ex SENECA sequentes protulit loquendi formulas: *circumcisæ sunt peregrinantium sarcinæ; circumcidenda est concursatio;* & ex *Quintiliano: non possumus circumcidere meretrices;* Idem ille elegantiarum arbiter BURMANNUS hanc observationem adjecit: *est elegans verbum, pro undique aliquid abradere & demere.* Mihi vero in mentem venit, an non ad imitationem dici possit: *voluptates, concupiscentias, commoditates suas circumcidere,* & quod obstet, nihil inveni. Nam si eleganter dici potest, *sarcinam circumcidere* pro *eam diminuere* vel *prorsus deponere;* porro si latine dici potest, *meretricem circumcidere* pro *vim & potestatem ejus peccandi demere vel auferre,* etiam ex mente Divi Apostoli PAULI non adversante latinitate dici posse arbitror: *veterem hominem circumcidere,* h. e. *eum domare vel exuere,* ut & *voluptates carnis circumcidere,* h. e. *extinguere & delere.* Hoc eo magis dici posse videbatur, quia Deo præeunte dici potest, nam *Deuteronomii C. X.* admonet populum Israëliticum: *circumcidite corda vestra, & nolite deinceps cervicem vestram indurare.* Quid hoc aliud significat, quam pravas cogitatio-

ditationes supprimere & mala consilia removere, uti Propheta loquitur? Huc accedit, quod Græcorum περιτέμνειν & περικόπτειν eundem involvant sensum. XENOPHON L. V. περὶ τῆς παιδιᾶς *currus, quos hostes antevenerunt ac superarunt* ἅρματα περιτεμνόμενα vocavit & GREG. NAZIANZ. in *Orat.* περικόπτειν τὴν θεότητα dixit, quod nihil aliud significare potest, quam *Deitati detrahere* seu *aliquem Deitate fraudare*, quæ omnia apprime faciunt, ad naturam hominum, qui *circumcisi* dicti fuere, explicandam. *Circumcisus* fuit, qui, ut cum S. S. loquar, mundo fuit mortuus, qui exuto veteri homine novus factus est, qui ex peccatore pius, probusque & naturæ Divinæ conformis evasit. *Circumcisi* ergo iidem fuere, qui se *Catharos* vocari cupiverunt & in Gallia *bons hommes* appellati sunt, seu quales HORATIUS *Satyr.* L. II. 7. sapientes descripsit.

Quisnam igitur liber? sapiens, sibi qui imperiosus,
quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent,
responsare cupidinibus, contemnere honores,
fortis & in se ipso totus teres atque rotundus,
externi ne quid valeat per læve morari.

Albigenses, qui tandem ad *Catharos* accesse-

runt, *Perfectos* ſuos habuere, h. e. homines, in quibus ex illorum opinione nihil labis ſupererat. Hactenus res bene ſucceſſit. Reliquum fuit, ut inveſtigarem, an Scriptores ſequioris ætatis voce illa hoc ſenſu uſi ſint. Hoc meditanti occurrebat liber *de vitis primarum ſanctarum ſororum Monaſterii ſub Tilia, vulgo Unterlinden, ordinis S. Dominici, quem* BERNARDUS PEZIUS in *Bibliotheca aſcetica* iterum edendum curavit. Hic auctor de Sorore TUDA de ENGISHEIM ſcriptum reliquit: *hæc ita circumciſa & temperans erant in his, quæ ad uſum corporis pertinere videbantur, ut omni voluptate ac vanitate depulſa, ipſis quoque neceſſariis parciſſime uteretur.* Ex mente hujus Scriptoris TUDA ea, quæ ad uſum corporis pertinent, imo omnes voluptates, quid quod? ipſa neceſſaria *circumcidiſſe* dici poteſt. Hæc referamus ad Hæreticos illos veteres. Omnia, quæ corpori inſerviunt, omnes voluptates, etiam neceſſitates *circumcidiſſe* videri volebant, hanc ob cauſam *circumciſi* appellati ſunt. Hæc eſt ratio illa, quæ aliquot ſeculis latuit & quam jam ſine ullo labore reperi. Ut ea Tibi, hiſtoriæ peritiſſimo Viro, placeat, opto. Jam Epiſtola mea expedita eſſet, ſed adhuc aliud quid menti meæ infixum hæret, quod Tecum communicare libet. Doctiſſimum tuum *Commentarium*

tarium in C. XV. prioris Epistolæ D. Pauli ad Corinthios pervolvens, incidi in ea, quæ de Sadducæis prodidisti. Sunt illa quidem omnium, qui de Sadducæis scripserunt, doctorum Christianorum opinioni convenientissima, ut ab iis recedere piaculum esse videri posset. Attamen apud Te, Virum æquissimum & Theologum verum, hoc est, eruditum & aliter sentientium tolerantem, animum meum exponere non dubito. Paucis ut dicam, quid me in Commentariis male habeat, est, quod Sadducæos cum Epicuri de grege porcis jungant, inque eos, ut in Atheos invehantur, cum tamen neque *Christus*, neque *Apostoli* Ejus illos ita tractent, & aliunde constet, illos libros sacros veneratos esse, cultum ex lege Mosis peregisse & vitam vixisse, qualis tum inter Judæos viguit, h. e. superstitiosam, quæ tamen pietatis speciem habet, & ex mente ejus, qui eam sectatur, Religioni conveniens est. Tales homines Atheismi accusare, nefas esse puto. Dices mihi: pravum tamen hominum genus fuerunt. Non nego. Omnis enim superstitio prava est. Placita illorum impietati, inquis, & omni nequitiæ fenestram aperuerunt. Hoc quam verum sit, disquiramus. Neque Angelos, neque Spiritus esse crediderunt, uti LUCAS testatur *Actor.* c. XXIII. Ex hoc nonnulli conclu-

 serunt:

ſerunt: illos libros V. T. rejeciſſe, nam quia hi libri toties Angelorum mentionem injiciunt, impoſſibile eſſe, aiunt, ut eos a Deo inſpiratos eſſe crediderint. Sed meo judicio concluſio hæc parum eſt valida. Principium & fundamentum erroris Sadducæorum fuit, quod de Spiritibus non tales conceptus habuerint, quales nos ſaniore Philoſophia imbuti habemus. Hic error ipſis cum omnium gentium ſapientibus communis fuit, qui, etſi Deum ſpiritum eſſe dixerint, de Ejus tamen ſpirituali natura non cogitarunt, uti nos. Quamvis Eum ἀσώματον eſſe decreverint, attamen incorporeum hoc ita conceperunt, ut ſemper aliquid corporei in eo remanſerit. Hanc ob cauſam Deum cum igne comparaverunt, cujus vis & natura non ſemper ſub oculos cadit, quamvis corporea ſit. Cum Sadducæi de Spiritu primario, qui Deus eſt, ita ſtatuerint, facile cogitatu eſt, quas ideas ſibi de Spiritibus ſecundariis, quales ſunt Angeli & Animæ noſtræ, formaverint. Quid de Angelis ſtatuerint, non ſatis patet, attamen veriſimile eſt, illos angelicam naturam non prorſus evertiſſe, quia authentiam librorum Sacrorum agnoverunt. Sed perverſe de ea ſenſiſſe videntur, uti etiam de anima humana. Non negarunt eſſe animas, nam ſtulti fuiſſent, ſi hoc negaſſent,

ſed

sed eas corporeas esse crediderunt, non quidem tam crassæ naturæ, ac corpora nostra sunt, sed tenuis & adeo subtilis, ut videri non possint. Ex hac opinione alter iste error profluxit: animas cum corporibus interire & resurrectionem futuram non esse. Hoc non solum MATTHÆUS tradidit, sed etiam rerum Judaicarum scriptor FLAVIUS JOSEPHUS idem de ipsis narravit. Sententia hæc: *corporum resurrectionem non futuram esse*, ex errore veterum procreata fuit, qui duo crediderunt esse principia, Deum & materiam, & materiam per se malam, malique omnis fontem habuerunt. Hi non potuerunt comprehendere, quod corpora beatitudinis capacia sint, & quia animæ corporeæ naturæ sunt, illæ quoque ex eorum opinione cum corporibus interibunt. Sed propterea non dicendum est, Sadducæos omnem immortalitatis spem abjeciisse & ex hominum animis extirpasse. Si homini spiritum tribuerunt ex ipsa essentia divina decerptum, quæ omnium fere orientalium Philosophorum sententia fuit, hunc spiritum illuc rediturum esse, unde evenerit, putaverunt. Illos vero ita sensisse atque statuisse ex hoc conjicio, quod religioni addicti fuere, suaque delicta oblationibus & aliis ceremoniis expiare studuerunt. Ast quæ hic affirmo, non convenire

nire ais, cum hoc, quod JOSEPHUS memoriæ prodidit: τὰς καθ' ἁδὲ τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναίρεσι, *Sadducæi supplicia atque præmia post hanc vitam sustulerunt.* Bona cum tanti auctoris venia dico, non sustulerunt, sed alio modo conceperunt. Non infernas illas domos, non ubi amoena piorum consilia habeantur, elysium crediderunt, attamen impiorum spiritus variis tormentorum generibus urgeri, pios contra Deo junctos æternis Ejus gaudiis frui sibi persuasum habuere. Quæ JOSEPHUS Sadducæis hic exprobrat, etiam *Mysticis* nostri temporis exprobari possunt. Non credunt cœlum, non credunt orcum, attamen virtutis præmia, scelerumque pœnas post hanc vitam non evertunt. In religionis Christianæ initio, cum vix Synagogarum Judaicarum limites transgressa ad ethnicorum limina accessisset, tales reperti sunt, qui in Sadducæorum opinionem iverunt, corpora nunquam resurrectura esse, spiritus vero in intima conjunctione cum Deo beatitudine potiri. Apostoli huic errori obviam ivere; attamen permansit, & per omnia sæcula Christianismi ad nostram usque ætatem permansit, nonnunquam caput extulit, resistentibus ecclesiæ catholicæ doctoribus, eumque refellentibus. Attamen non EPICUREI, non ATHEI habendi

bendi sunt, qui hunc errorem fovent, cum Deum vereantur, & pierati tantopere studeant, ut vulgo PIETISTÆ dicantur. Habes, Vir celeberrime! quid de Sadducæis sentiam, ut cogitationes meas æqui bonique consulas, rogo. Deus faxit, ut Ecclesiæ, Academiæ & rei literariæ diu diuque superstis & post hanc vitam feliciter peractam illuc concedas, ubi fidi doctores cum Christo in æternum regnabunt. Vale. Velthemii Calendis Augusti MDCCLXIV.

II.

R * * * P. B.

SPECIMEN OBSERVATIONUM PHILOLOGICARUM IN N. T. EX ARTEMIDORO.

PROLEGOMENA.

Plures eſſe ex Scriptoribus vetuſtis, quorum materia tractationi ſubjecta non inutilis tantum, ſed & nugaciſſima, imo ſcitu & lectu indigna, merito cenſeri debet, norunt omnes: Ita tamen, ut ſine maxima injuria diffiteri nemo poſſit, ingentem vel ſic tamen eorundem uſum eſſe, ſi quis neglectis ipſis, de quibus diſſeritur, rebus externum duntaxat ornatum conſiderare voluerit, eaque ſaniore judicio ſeligere inſtituerit, quæ bonæ in his notæ eſſe invenerit: Et profecto quid ab homine, ſana de Deo doctrina deſtituto, proficiſci poſſit, quod, ſi non peſſimum, ſi non deteſtabile, ſi non bonis moribus homineque bene feriato indigniſſimum

mum fuerit, erroneum tamen maleque dictum non sit: unde vix etiam mirum videtur, hæc ipsa exterorum scripta, a nonnullis, rem parum moderate considerantibus, & olim & nunc, ut Christiano homine lectu cognituque indigna, rejecta & damnata fuisse: —— Interim minus tamen recte illi rem animo comprehendunt: Tantus enim vel futilissimorum usus est, ut ex iis res maxime seriæ, ipsæque Sacræ literæ, modo sobrie quis agere voluerit, lucem lucrari possint haud tralatitiam: Etenim quid *Alciphrone* aut *Heliodoro* nugacius? quid *Aristæneto* & *Achille Tatio* futilius? quid *Aristophane*, quid *Luciano* ineptius, quid interdum & turpius? & horum tamen scripta in interpretandis S. Literis auro contra non cara esse, docent tot loca a Viris doctis ex illorum scriptis illustrata, suæque luci reddita ——

Ilias ipsa quid est? — — —

Et hujus tamen præstantiam quis est qui ignorat? Enimvero pravæ hæ de scriptis gentium opiniones dudum a viris eruditis sunt profligatæ.

Speciatim usum, quem in illustrandis S. litteris præbent, nemo hodie in dubium vocat, post tot egregios Virorum, in re literaria & Theologica principum, labores, quibus hoc inprimis sæculum insigniter abun-

abundavit: Tales certe fuerunt *Keuchenius*, *L. Bos*, *Elsnerus*, *Fabricius*, *Wolfius*, *Kypke*, *Beauſobre*, & qui inſtar omnium eſſe potuit, præſtantiſſimus *Alberti*, Muſarum ocellus, literarumque elegantiorum cum Theologia ſociator feliciſſimus, cujus quidem Viri immaturum ab hinc abitum nondum eluxit Belgium: ne quid nunc de illis dicam, qui ducum horum veſtigia præclaro exemplo legerunt, leguntque adhucdum: uti *Abreſchius*, de *Rhoer*, *Schachtius*, alii: Horum ſua merita in S. Literas præclara unice evincunt, maximum eorum eſſe uſum librorum, qui etſi prima fronte placere neutiquam poſſint, diligenti tamen examini ſubjecti, cognitu digniſſimi eſſe deprehenduntur. Sed hac de re nunc quidem, Lector,

— — — ne me Criſpini ſcrinia Lippi
Compilaſſe putes, verbum non amplius addam.

Si quis recte illa penſitaverit, non mirabitur, credo, *Artemidorum* a me produci, ut dignum ex cujus lucubrationibus lux S. literis adfundatur: multo tamen minus mirabitur, ſi quis ſcripta ejus diligenter mecum evolvere, ſacrisque illa N. T. dictionibus conferre dignatus fuerit: Equidem certe quovis pignore contendere auſim, nullum huc usque

usque auctorem a VV. DD. ex propoſito in hunc uſum adhibitum fuiſſe, ex quo plus luminis lucrati fuerint auctores N. T., quam ex diligenti *Artemidori* comparatione lucrari eos poſſe, mecum fatebuntur, quotquot rem absque præjudicio trutinare inſtituant: Et vero id vel inde liquet, quod a *Boſſio*, *Elsnero*, *Wetſtenio*, *Albertio*, feliciſſimo eventu hic illic in interpretatione N. T. adhibiti libri ejus *Oneirocritici* fuerint. Fateor caute omnino agendum eſt, ſi quis peculiarem auctorem cum N. T. dictione comparare voluerit: multaque in hoc genere perperam ſæpe & perverſe fieri, non eſt quod neges. Eleganter hac de re commentatur *Krebſius*, in præf. ad *Obſ.* ſuas in N. T. ex *Joſepho*. Sic v. c. non comparanda eſt communis ſcriptorum N. T. dictio cum *Pindaro*; non cum *Euripide* aut *Sophocle*, nedum cum *Homero*, *Heſiodo*, & *Lycophrone*: quorum ſtilus ſi non obſcurus, ſi non maxime tenebricoſus, inflatus tamen & tumidus eſt. At enim reſtringi hoc ad omnia omnino non debet, quæ in illorum libris quis inveniat. Sunt certe in his non nulla, quæ in interpretatione N. T. uſui eſſe poſſunt, modo quis cum dilectu agere velit, neque omnia cum dictionibus N. T. comparare inſtituat. —— Pariter non cum ſolo *Demoſthene* aut *Iſæo* conferendæ erunt S.

Literæ, quorum elegantes & ornatæ locutiones cum populari S. Scriptorum ſtilo minus apte congruunt; niſi forſan vindicandæ hic illic puritati dictionum exempla ex optimis & Αττικωτατοις ſcriptoribus arceſſas. —— Melius huc Hiſtorici trahuntur, ut qui ab his potiſſimum meteoris magis deflectunt, mediamque quodammodo viam ingrediuntur, nec turgidum nec ornatum nimis ſtilum ſectati. Hic ſeſe commendant *Raphelianæ* in N. T. lucubrationes, ut qui illud ex *Polybio*, *Arriano*, & *Xenophonte* illuſtrare adgreſſus eſt. Commendant etiam ſe tum *Munthii* ex *Diodoro*, tum *Ottii*, *Krebſiique* ex *Joſepho* obſervationes ſatis egregiæ: neque illo inter hiſtoricos equidem aptiorem huic rei ullum crediderim, cum *Joſephus* pariter, ut ſcriptores N. T. Judæus origine fuerit, eidemque proin Hebraiſmorum vitio obnoxius eſſe potuerit, cujus S. Scriptores, injuria interdum, inſimulantur. Hiſtoricis quodammodo adcenſeri poteſt *Heliodorus*, poſſunt & *Ælianus*, *Philoſtratus Polyænus*, & vitæ *Plutarchi* parallelæ, quarum editionem *Bryani* noviſſimam Lectori commendatam volo. —— Aptiores huic rei, ſi ſermonis popularitatem ſpectes, ſunt Epiſtolarum ſcriptores, in quibus illa inprimis ſpectatur: nec male proin, poſthabita ipſa, de qua ſcribebatur, materia, *Alciphronis*

phronis Epistolas, sane elegantes, cum N. T. comparare instituit *Schoetgenius*, v. *Obs.* ejus *in N. T. ex Alciphrone* T. XIII. *de l'Hist. Crit. de la Rep. des Lettres:* pariter bono sæpe cum fructu *Aristæneti*, *Libaniique* Epistolæ, & quæ in sylloge majori, *Cujacii* nomen mentita, locum inveniunt, a VV. DD. hanc in rem sunt adhibitæ. —— Omnium utilissimos suo merito dixeris, qui aliquam sigillatim materiam, dialecticorum more, ad modum dissertationum, soluto sermone, pertractarunt; ut qui nec turgide, nec ornate nimis, sed populariter scribunt, adspersis hic illic rebus, quæ vel historias, vel ritus priscos, vel elegantiam sermonis spectant. Hujus generis sunt pleraque *Luciani* opuscula, *Philo Judæus*, & præsertim *Plutarchi* Opera minora, quæ Tom. II. continentur. Quibus omnibus & singulis palmam facile præripit *Artemidorus*, qui *de interpretandis somniis* scripsit. Materia futilis est & ne cassa quidem nuce digna: sed libri ipsi tot tantisque præclaris dotibus sese commendant, ut merito quantivis pretii ab eruditis harum deliciarum censoribus habeantur. Dictio ejus maxime est popularis & simplex: nec enim exquisitis verborum lenociniis orationi decus addere studuit, nec inflato turgidoque sermone sublimis excellentisve ingenii famam aucupatus est: sed

elegans, ſed ſimplex, ſed maxime populare dicendi genus ubique fuit ſectatus: interſperſis hic illic larga manu elegantioris ſcientiæ floſculis; ut interdum Grammatici, interdum Critici, nunc Antiquarii, haud raro Medici, ſæpius Philoſophi partes pulcre agat. Excellentes hæ præſtantiſſimi ſcriptoris virtutes adeo ubique elucent, ut nemo, qui ejus Commentarios modo a limine ſalutaverit, de veritate eorum, quæ dixi, dubitare poſſit: nemo, qui uſum, quem in illuſtratione N. T. præbere is queat, ſimul non perſpiciat. —— Ipſe mira ejus, quem inter primæ admiſſionis ſcriptores habeo, elegantia ductus, tum tot præclaris Doctorum hominum exemplis incitatus, qui peculiarem quendam ſcriptorem Græcum ſibi ſumſerunt, ex cujus Monumentis ſacro N. T. Codici lucem lucrarentur, guſtus loco *Specimen* quoddam *Obſerv. in N. T. ex Artemidoro* promere conſtitui: ut deſiderium præſtantiſſimi ſcriptoris & ſalivam multis moverem, qui hucusque notitia ejus & uſu fuere deſtituti. Cur vero illud *Bibliothecæ* huic *Bremenſi Novæ* ſacrum facere decreverim, non eſt, quod multis diſputem. Noveram ejusmodi promulſides, ſi Diariis publicis inſererentur, magis ſæpe placere, quam ſi ſigillatim typis exſcriberentur. Nec abs re erat huic Bibliothecæ illas inſere-

re

re, quæ potiſſimum diſquiſitionibus Philologicis de re Theologica vacat, inprimis illis, unde ſacro Codici aliquod lucis poſſit accedere: ad exemplum nimirum antiquioris illius *Bibliothecæ*, ab *Haſæo* curatæ, cujus *Muſeo* inſertum illud Cel. *Alberti Specimen Obſ. in N. T. ex Philone* fuiſſe, norunt omnes. —— Noſtrum illud, quod nunc damus, ſpecimen ſi fauſto eruditorum calculo approbatum fuiſſe cognovero, lubenter operam hac in re meam commodaturum me eſſe polliceor. Utinam vero præſtantiorem aliquam elegantiſſimi ſcriptoris editionem haberemus, quam quæ a *Rigaltio* fuit curata *Lutet. Pariſ.* 1603, 4to. quæque merito hodie inter libros rariores minusque cognitos refertur, v. *Bibliotheque Curieuſe par Clement.* v. *Artemidore des ſonges.* Operæ pretium haud dubie faceret, ſi quis præſtantiſſimum Cod. MS., quem poſſedit *Voſſius*, quemque editis locupletiorem & emendatiorem teſtatur *Colomeſius*, p 330. Opp. ed. *Fabricii*, cum *Rigaltianis* conferre inſtitueret. Neque minus optandum, emendatiorem aliquando verſionem hujus auctoris Latinam curari, quam quæ a *Cornario* edita legitur. Eleganter, ſuo more, *Valeſius*, cui tuto in his fidem licet habere, *dolendum*, inquit, eſt, *quod liber ille de ſomniorum interpretatione malum interpretem ſortitus eſt, qui*

ſomnia ſua interdum Lectori proponit verſionis loco. Lib 1. *Emend.* cap. XVII. p. 27. ed. *Burm.* Utinam vero magni *Caſauboni* lucubrationes in hunc ſcriptorem haberemus! Hunc certe haud mediocrem in illuſtrandis ejus libris operam collocaſſe, docent *Caſauboniana* a *Wolfio* edita, in quibus haud raro loca *Artemidori* emendare, aut explicare, ſæpe etiam cum N. T. conferre inſtituit: imo *Artemidori & Syneſii editionem Aldinam cum MSS. adnotationibus Caſauboni* in *Bibliotheca Hyberniæ* exſtare teſtatur *Montfaucon* Tom. I. *Biblioth. Bibliothecarum*, p. 688. Sed ſatis de his. Epilogi loco addo inſigne de *Artemidoro* teſtimonium *Trilleri*, Medici & Philologi præſtantiſſimi, *Obſerv. Criticar.* Lib. III. cap. XXI. pag. 242. ſqq.

"Artemidori Daldiani quoties evolvo "Oneirocritica, evolvo autem ſæpius, to-"ties mihi in mentem venit illud Ovi-"dianum:"

"*Materia vellem fortis meliore fuiſſes.*

"Si enim eam, quam tractat auctor iſte, "ſpectes materiam, illa ſane vaniſſima & "nugaciſſima eſt:

"*Par levibus ventis volucrique ſimillima ſomno.*

"At-

"Atque hinc vix digna, propter quam vel "leviter ſaltim Liber iſte inſpiciatur, quia "nihil prorſus docet præter anilia delira- "menta & inficetiſſimas nugas. Si vero "quis ex altera parte inſignem illum atque "luculentiſſimum variæ eruditionis appara- "tum, eximis interioris, literaturæ adiitis "petitum, diverſos ritus antiquorum, ſæ- "pius alias incognitos, miram præterea ſtili "elegantiam ac venuſtatem aliasque ejusmo- "modi opes attente conſideret, quarum "ope Autor operam hanc ſuam, alias in- "gloriam atque obſcuram, glorioſam & "ſplendidam ſapienter reddidit: ut taceam "jam, quam ſingulari cum fructu atque "utilitate ad illustrationem & explicatio- "nem diverſorum Sacri Novi Teſtamenti "locorum adhiberi commodiſſime poſſit Ar- "temidorus, de quo alibi plura: nemo "profecto operam facile luſerit, quisquis "hæc Oneirocritica plus ſemel diligenter "atque ſevere perlegere dignatus fuerit; "tum enim nihil his Artemidori libris acu- "tius, nihil doctius elegantiusque eſſe, ul- "tro fateatur neceſſe eſt."

No. 1. *Matth. I, 20.*

Εφανη κατ' οναρ αυτῳ.

Variis exemplis hanc Sacri ſcriptoris dictionem, illuſtrarunt Interpretes eruditiſſimi *Alberti* p. 1, 2. *Elsnerus*, T. I. p. 3. *Kypke*, T. I. p. 3. quibus add. *v. Marle Spicil Obſ.* p. 205, 206. & recte: damnaverant illam Grammatici, infelices ſæpe vocum Cenſores & vitio creati, *) *Phrynichus*, p. 186. & *Thomas M.* p. 650. inepte tamen, ut præter citatos VV. DD. docuerunt ad *Th. Magiſtrum* Cel. *Oudendorpius*, l. c. & *Wetſtenius* ad *N. T.* p. 235. Tom. I. Miror tamen, neminem ex his de *Artemidoro* cogitaſſe, qui hac in re claſſicus eſſe poterat: unum duntaxat adferam exemplum ex Lib. 1. cap. LXII. p. 52. ὁποτερῳ παλαιοντος κατ' οναρ ἡ νικη γενοιτο, τουτῳ και μεθ' ἡμεραν κρατος εσαι, *cui in ſomnio luctanti victoria obtigit*, i. e. obtigiſſe viſa eſt, *illius etiam interdiu robur erit;* ubi ſimul elegantem habes oppoſitionem τῳ κατ' οναρ & μεθ' ἡμας, quam obſervat Libri etiam III. cap. XXVIII. p. 175. ubi regulam Grammaticorum ſequitur diligentius, promiſcuum docens

*) Omnes hi ex propoſito refutantur ab Anonymo auctore, ſed eruditiſſimo, *Lexici graeci*, quod fragmentis præcipue auctorum veterum inſigne, MS. ſervat Cl. *Rhunkenius*.

docens uſum eſſe harum phraſium, οναρ & κατ' οναρ. —— ειδεν, ait illic, διαφερειν ἡγουμενος τα μεθ' ἡμεραν γιγνομενα, των οναρ δοκουντων γιγνεσθαι. *Nihil differre exiſtimans* (de Melampode Oneirocrita loquitur) *ea quæ interdiu fiunt ab iis, quæ per ſomnium evenire videntur.* Cæterum illud οναρ vel κατ' οναρ, Latine ιδιως *in ſomnis* verti debere, docet interpretum Princeps *Grotius* pag. 17. 18. Tom. I.

No. II. *Matth. II, 15.*

Ἑως της τελευτης Ἡρωδου.

Solent Græci *mortem*, ευφωνιας cauſſa, τελευτην appellare, quæ πανυθρυλλητος interpretum eſt obſervatio. Addo *Artemidorum*, non tam quia res indiget probatione, ſed ut videat Lector, haud raro, quod in Prolegomenis dixi, elegantiſſimum ſcriptorem Grammatici partes agere: τελευτην, ait L. III. c. 59., γαρ και τον θανατον καλεμεν. Plene *Xenophon* και ὑπωπτευε τελευτην τε βιε pr. Lib. I. Αναβ. κυρε.

Cum τελευτη convenit quodammodo τελος, quod ſi non de *morte hominum* dicatur *Matth. XXIV*, 13. ubi urbis Hieroſolymitanæ ruinam innui urget *Krebſius Obſ. in N. T. ex Joſepho* p. 51. 52. ſaltem de excidiis oppidorum teritur, quod eodem redit:

v. *Matth. XXIV, 6. 14.* conf. *Krebſium* l. c. & egregium locum *Scholiaſtis* ad *Greg. Nazianzeni* ϛηλιτ. *I. p. 13.* Eleganter *Rutilius* L. I. *Itin.* v. *414.*

Cernimus exemplis oppida poſſe mori.

Opportune *Lucianus Contemplant* cap XXIII. αποθνησκουσι γαρ και πολεις, ωσπερ ανθρωποι, quem egregie, ſuo more, illuſtrat ſummum Belgii decus, *Hemſterhuſius* Tom. I. p. 522. 523.

Uſum vocis τελευτη imitatur verbum, inde deſcendens, quod abſolute ponitur *Lucæ VII, 2.* ημελλε τελευταν: ſic ετελευτησε ap. *Antonin. Liberal.* cap. I. p. m. 6. *Artemidor.* L. I. c. 2. p. 8. m. *Xenoph.* Lib. I. Αναβ. p. 3. adde *Grotium* Tom. I. p. 37. *Hutchinſon.* ad *Xenoph.* Αναβ. Lib. I. p. 88. προτελευτησασαν γυναικα memorat Noſter L. II. c. 62. p. 149. quæ vox rarior eſt: explicabis: *conjugem, quæ diu ante obierat.*

Interim neque deſunt tamen, qui ellipticam hancce locutionem locupletius proferant: *Artemidorus* ipſe l. I. c. 5. pag. 41. ατιμος, ait, τε και Φυγας γενομενος, αναρτησας ἑαυτον, ετελευτησε τον βιον; pariter *Ælianus*, ευκλεως τον βιον ετελευτα L. VI. *var.* cap. 2. & *Eurip, Hecub.* v. 418.

Οι μοι τι δρασω; ποι τελευτησω βιον;

Quem

Quem locum etsi in lectione elegantissimi Poëtæ, (quem *sapientissimum hominum, quotquot unquam litteris aliquid consignarunt*, judicabat Ill. *Hoofdtius*, in *Verheffinge van den Huyse Medicis* princip.) dudum observassem, non recoxissem tamen hic, ut quem citavit jam *Palairet*, *Oordeelk. Woordenb.* p. 72. modo ne ille verba Tragici male vel legisset, vel intellexisset: interpretatur enim: *waar zal ik het leeven eindigen? ubi vitam finiam?* pro *quomodo demum vitam finiam?* Belg. *Hoe zal ik nog eens aan myn einde koomen?* nisi puerilem homini errorem adscribere velimus, statuendum erit, voluisse illum ποι in που mutare: Sed præstat vulgata lectio, quam servabis, ne quid elegantiæ sermonis decedat.

No. III. *Matth. III*, 10.

Ηδη δε και ἡ αξινη προς την ριζαν
του δενδρου κειται.

Occurrit hæc vox ap. *Hesych.* v. αξινη & πελεκυς, conf. *Schol.* ad *Homer.* Il Φ. pag. 390. ed. Camer. a. 1551. fol. *Xenophont.* L. III. ἐλλην. aliosque: vide, quæ habet egregius Vir *Jo. Alberti* p. 13 14. *Obs. S.*: adde *Artemidorum* L. II. c. 24. αξινη δε γυναικος τε και γυναικειας μεν εργασιας, δια το τῳ κρατουντι συμφερειν, και προσελκειν, γυναικος δε (sc. σημειον εστι) δια

διὰ τὸ ονομα, quæ quidem ultima adpoſitiſſima ſunt ad locum *Æliani* explicandum intelligendumque, quem memoravit Cl. *Alberti* l. c. Is enim L. XII. c. 5. & L. XIV. c. 35. *var. Hiſt.* ex *Ariſtophane Byzantino* refert *Laidem*, την ἑταιρὰν, etiam ἀξίνην dictam fuiſſe. *Schefferus* pag. 978. Tom. II. ed. *Gronov.* conjiciebat pro ἀξίνη, legendum ἀξεινην eſſe, quaſi *inhoſpitalem:* qua de re tum *Fabro* not. ad eund. l. tum *Albertio* noſtro vapulat. Litem dirimere, & *Schefferi* conjecturam quodammodo defendere *Artemidorus* videtur, apud quem non ἀξίνη legitur, ſed ἀξεινη. Quæ lectio ſi valeret, pulcer in hac voce luſus obſervari poſſet, cum ἀξεινη & *ſecurim* & *inhoſpitalem*, *atrocem*, *duram* indicet: ac proin mulierculæ in genere omnes ſecundum *Artemidorum*, & Lais ſpeciatim, ſecundum *Ælianum*, dictæ fuerunt ἀξειναι, tum quaſi *inhoſpitales*, tum διὰ την τὸ ἤθος ἀγριοτητα, ut *Ælianus* loquitur. Et vero conſtantem etiam hanc vocis ſcripturam non eſſe, quæ per ι nudum exprimitur, non ex *Artemidoro* ſolum patet, ſed ex *Polyæno* quoque, cujus editionem habeo *Caſaubonianam*, Genevæ 1589. 12mo. vulgatam, cujus margini variæ lectiones ex Codd. MSS. adpictæ ſunt manu *Jac. Palmerii a Grentemeſnil.* Illic enim ad Lib. I. cap. XXVIII. *ſtratagem.* p. 38. quem locum excita-

excitavit etiam Cl. *Alberti*, ad v. αξινης adſcriptum invenio ſcil. αξεινης. Nec infrequens ſolet eſſe confuſio του, & ει, ſcil. παρθενια & παρθενεια miſcentur in Codd. MSS. ap. *Cotelerium* Tom. I. *Monum. Eccl Græcæ* p. 716. alia rei exempla dabit ipſe *Alberti* not. ad *Gloſſar. N. T.* pag. 83. 99. 124. 175. Reſpexit hoc J. Baptiſtæ dictum *Procop. in Lib. IV. Reg. cap. IV. p. 290.* ed. *Meurſii*, quem vide.

N. IV. *Matth. V, 6.*

Μακαριοι οἱ πεινωντες και διψωντες
την δικαιοσυνην.

Hebraiſmi hanc Divini Soſpitatoris dictionem poſtularunt plures: injuria tamen, uti denſa exemplorum nube docuerunt præter, quos mox citabimus, *Grotius* p. m. 57. ed. Amſt. *Alberti* p. 29. ſq. *Kypke* T. I. pag. 17. ſq. *Palairet* p. 14. aliique. Nos eos duntaxat morabimur, qui, probandæ notionis puritati, *Artemidori* locum adtulerunt Lib. I. cap. LXVIII. —— In his ſunt *Brodæus* L. VI. *Miſcell.* c. XVII. p. 562. Tom. II. *Theſ. Crit.* ſ. *Pfochenius Diatr. de ſtyli N. T. purit.* p. m. 39. *Wetſtenius* not. ad h. l. Tom. I. p. 288. &, quod impenſe miror, etiam Duumviri ακριβεσατοι, *L. Bos Obſerv. Critic.*

cap.

cap. XXI. pag. 96. & Magnus *Alberti* l. c. omnes infeliciſſime, ſiquidem prætermiſſa ſcopi auctoris conſideratione: addo *Heraldum* ad *Arnob.* p. m. 33. 34. ed. Pariſ. qui tamen paullo cautius. Τὸ μεν γὰρ διψᾶν, inquit Oneirocrita, ὅδεν ἄλλο ἐϛιν, ἢ ἐπιθυμεῖν. Primo intuitu recte verba adducta dixeris, & ſane doctiſſimi Viri, neque de plebe interpretes, præſentiſſimum hic pro ſua ſententia, teſtimonium viſi ſibi ſunt inveniſſe: ſi tamen rite inſpexeris, imo ſi vel paullulum ſermoni Auctoris adſueveris, facile perſpicies, verba ab hoc loco prorſus eſſe aliena. Loquitur enim *Artemidorus* non de Linguæ uſu, ſed præſagitione in ſua, quam docebat, arte: non de vocabulo, ſed de rebus ipſis, per vocabulum ſignificatis. Senſus verborum hic eſt: SITIRE *enim nihil aliud* EST (n. a. INDICAT, PRÆSAGIT) *quam aliquid concupiſcere:* ſive, ut παραφραϛικως explicem, *ſiti ſi quis in ſomno ſibi videatur vexari, putet ille, aliquid ſe velle, a. ſ. concupiſcere: ſitis enim nihil aliud* PRÆSAGIT, *quam deſiderium alicujus rei & appetitum vehementiorem.* Compara, quæ hæc verba mox e veſtigio ſequuntur: τὸ δὲ πινειν παυλαν τῆς ἐπιθυμιᾶς ἐχει, ὅπερ ἐϛιν ἐπιτυχειν. *Bibere vero deſiderii expletionem habet, quod* EST *vota potiri.* Ex his, ſi *Pfochenii, Brodæique* more explices, ſequeretur, *bibere* idem Græcis ſignificare, quod

quod *potiri:* ac proin perinde esse dicamne: *bibo hanc rem*, an *potior hac re:* uti perinde est: *sitio hanc rem:* & *desidero hoc vel illud.* Quod absurdum & ridiculum. Mecum facit *Gataker*us, errantem etiam hic *Pfochenium* in viam reducens *Diss. de stilo N. T.* c. XX. p. 118. Opp. cui dicto audientes reliqui esse debuerant. Et sane facillime res subolere alicui potest, modo plane, uti jam dixi, a lectione *Artemidori* alienus non sit, apud quem centies το ειμι ea occurrit notione: uti infra docebimus ad *Matth. XXVI, 26.*

No. V. *Matth.* XI, 8.

Ανθρωπον εν μαλακοις ιματιοις ημφιεσμενον.

Convenit D. *Lucas* VII, 25. αλλα τι εξεληλυθατε ιδειν; ανθρωπον εν μαλακοις ιματιοις ημφιεσμενον, ιδε οι εν ὑματισμω ενδοξω και τρυφη ὑπαρχοντες εν βασιλειοις εισι. De voce, quæ hic occurrit, μαλακος, præter eruditos N. T. interpretes, *Alberti Obs. Sacr.* p. 82. *Kypke* Tom. I. p. 60. *Elsnerum* Tom. I. pag. 57. *Wolf.* Tom. I. p. 191. & 633. *Schachtium Obs. Philol.* ad h. l. *Biblioth. Brem. Nov.* class. I. *fasc.* III. pag. 254. seq. conf. DD. VV. ad *Ennium* p. 184. ed. *Hessel. Olear.* ad *Philostr.* L. VIII. de *Vit. Apoll.* c. VII. §. 4. p. 334. *Wet-*

Wetſten. not. ad h. l. pag. 381. Tom. I. qui alium adfert Noſtri locum L. I. c. 80. & *Beauſobr.* Tom. I. p. 44. 45. *Adami Obſerv.* pag. 137. 138. & eleganter *Schol. Theocriti Idyll. v. 51.*

Uti autem veſtes μαλακαι malo ſæpe ſenſu teruntur de *effeminato* & *molli habitu*: v. *Schacht* l. c. add. *Heſiod.* Opp. v. 535. *Apollon. Tyan.* Ep. LXIII. p. 404. ed. *Olear.* ita meliorem haud raro notionem induens, de *pretioſa* duntaxat & *ſumtuoſa* veſte accipiuntur: absque luxuriæ nota. Ita occurrit in D. *Alex. Periegeſi v. 954.*

Αυτοι δ' εννεαται μαλα ποιονα δημον εχουσι
χρυσειοις ΠΕΠΛΟΙΣΙΝ αγαλλομενοι ΜΑ-
ΛΑΚΟΙΣΙ.

Hinc *Artemidorus* μαλακην εσθητα περι πολυτελη jungit, *pulcram veſtem* & *ſumtuoſam* L. II. c. III. p. 85. Hoc loco per μαλακα multi *veſtimenta* intelligunt *ſerica*, v. *Grotium* & *Elsnerum*: contra quem *Kypke* ll. cc. alii *purpurea*, conf. *Wolf.* pag. 633 *) —— Cæte-

*) De Vocibus Μαλακος & Μαλακια, cum ad homines eorumque mores referuntur, varia eaque elegantia habet *Reiske* in *Animadv. ad Petronii ed. nov, Burmanni p. 239. &c.* inſertis *Miſcell. Lipſ. Nov. Vol. VI. P. II. p. 278. 279. Weſſeling ad Diod. T. I. p. 193.* Convenit illi νηφε notio in Luciani Aſino §. 17. p. 573. T. II. edit. *Reitz.* v. *Heraldum* ad *Arnobium* p. 370. 371.

Cæterum uti hic & apud *Lucam* vox αμφιεννυμι occurrit, ita *Artemidorus* cit. cap. 3. Lib. II. ſemper aut εχειν, aut φερειν, aut χρασθαι utitur: prorſus uti mox *Matth.* οι τα μαλακα φορεντες, ubi *Sophoclis* locum habet *Wetſtenius*.

Quæ addit *Matth.* οι τα μαλακα φορεντες εν τοις οικοις των βασιλεων εισι, cum quibus convenit *Lucæ* εν βασιλειοις εισιν, egregie illuſtrantur ex his *Artemid.* c. cap. p. 84. πορφυρα δε εσθης, δυλοις αγαθη και πλουσιοις. Οις μεν —— οις δε δια το μη επιταττειν, και τω αξιωματι καταληλον ειναι, τιμην και ευδοξιαν προαγορευει & deinceps: χρη γαρ τον εχοντα πορφυραν, παντως διαδημα η στεφανον εχειν, και πομπης ακολυθης η φυλακας. Sic & inter *inſignia Regia* διαδημα, σκηπτρον, και αλυργιν memorat L. II. c. XXXI. p. 118. αλυργις autem eſt *purpura*. Ac *purpureum* inprimis *colorem* per το μαλακον innuiſſe SS. ſcriptt. vix dubito, cum is, uti ex adductis teſtimoniis liquet, Regiæ dignitati proprius habeatur. Et quis neſcit, *Porphyrium*, Plotini diſcipulum Platonicum, Syrum nomen *Malchus*, quod a מלך, Rex, Græco ore πορφυριον reddidiſſe, quaſi *purpurarium* dixeris, πορφυροφορον. ——

Tandem εν τοις οικοις των βασιλεων) *Lucas* εν τοις βασιλειοις. Quomodo ſub Lat. *Regia* latet *domus* v. *Grimmium* de *Ellipſ. Latt.* p. 32. οικος vero, quod apud *Matth.* commu-

nem habet notionem, conveniens quodammodo Hebr. בית; unde mirum evenire non debet, de *palatio* R. hic accipi, cum de ipſis etiam ſacris ædibus & Templis vox uſurpetur, uti בית יהוה, conf. Doctiſſ. *Nic. Bondt* ad *Epiſt. Jerem. Apocr.* p. 22. *) imo *cælum* quoque οικος τȣ θεȣ dicitur: v. *Schlichter.* in *decim. Sacr.* Obſ. II. §. IX. p. 35. ſq. & clariſſime *Artemidorus* L. II. c. LXXIII. p. 154. ο ȣρανος θεων εϛιν οικος.

Cæterum oppoſitionem in his obſervat ſummus Vir *Grotius* Tom. I. p. 213 & 692. aulæ ſcil. *Regiæ* & *deſerti:* Chriſtus enim in deſerto verſabatur. ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ eſt elegans, dignumque ingenio Viri perſpicaciſſimo ἐυρημα. Aulæ principium minime ſolent eſſe ἐρημοι; unde ingentem ακολȣθων ἀσπιδοφυλακων numerum, R. poteſtatis inſigne ponit *Artemid.* II. 84. verba mox dedimus. Et ſane ſolent in genere, ſi quis in re laura agit, ſi quis μαλακοις ἱματιοις indutus incedat, frequenti numero comites & amici ibi adeſſe:

Adſpicis ut veniant ad CANDIDA tecta columbæ,
Nullus ad amiſſas ibit amicus opes:

Confer alias hac de re veterum querelas ap. *G. Horreum* P. F. Lib. I. Animadv. c. XXV. p. 100. 101. 102.

No. VI.

*) Heupelius ad Marc. XI. 8. p. 318.

No. VI. *Matth. XIII*, 47.

Σαγηνη.

Vox in N. T. ἁπαξ λεγομενη, in Lexicis fere αδεσποτος. ab interpretibus intacta, præter *Wetſtenium* T. I. p. 408. & Cl. *Schacht. Obſ. in Matth.* p. 259. ſq. *faſc. II. claſſ. I. Bibl. Brem. Nov.* qui eleganter de hac voce commentatur: neuter *Artemidorum* inſpexit, qui tamen Lib. II. c. XIV. quod eſt de *piſcatu*, frequenter *ſagenæ* meminit: jungens illi γριπων και αμφιβληστρων, και ὁσα αλλα εκ λινων πλεκεται, επιτηδεια προς αλιειαν κ. τ. λ. Verbum, a voce derivatum, σαγηνευειν, eſt in *Diog. Laërt.* L. III. ſ. 33. p. 184. & *Sapphus Fragm.* No. IV. v. 19. conf. ibi auct. loca copioſe laudata a cl. *Wolfio* pag. 228, 229. *)

No. VII. *Matth. XXVI*, 26.

Τυτο εϛι το σωμα μου.

Non equidem me Theologicis de hac voce quæſtionibus nunc inmiſcebo. Hoc

 ſcio,

*) Σαγηνης, eo, quo S. S. ſcriptores, ſenſu paſſim meminit *Clemens Alexandrinus*. Memorabilis *Procopii* eſt ſententia in *Comment. ad l. I Reg. cap. XIX. pag. 62. ed. Meurſii*: διαφορα τοινυν τυ δεσποτυ τα θηρατρα. Τυς μεν γαρ δ' ανθρωπων θηρευει, τους δε αορασια θηρευει.

ſcio, recte illos tenere, qui *ſignificandi* notionem hic urgent, non ut revera panis SIT corpus Domini noſtri, aut in id mutetur, eive præſens adſit, ſed ut TYPUS quaſi corporis Domini ſit, & IMAGO. Addo, eos, qui hunc verbo εἶναι uſum denegant, puerilem in Græcis inſcitiam & ferularium errorem manifeſtare. In *Artemidoro* ſolo plus millies, ut ſic dicam, clariſſima notionis veſtigia proſtant: bina dabunt *Caſaubboniana* p. 85. alia eruditi interpretes, certatim; quos ob numerum non recito, conf. ſupra Obſ. IV. ad *Matth. V.* 6.

No. VII. *Marci XII*, 16.

Τινος ἡ εικων αὐτη καὶ ἡ ἐπιγραφη.

Elegantem εικονος definitionem habet *Polyb.* L. VI. c. 51. ap. *Elsnerum* Tom. II. p. 10. ἡ δε εικων ἐστι πρόσωπον εἰς ὁμοιοτητα διαφερόντως εἰργασμενον. In genere vox de quacunque *imagine* accipitur. *Pictam* innuit *Artemid.* V. 3., qui plures iconum ſpecies recenſet, memorabili loco, L. III. cap. 31. Ἡ δε ἐξ ὑλης στερεας καὶ ἀσηπτου γεγεννημενη, ἀμεινων ἐστι των γραπτων, καὶ πηλινων, καὶ κηρινων, καὶ των ἀλλων των ὁμοιων. Ἐπιγραφη de *titulo* ſive *inſcriptione* nomiſmatis (barbari *legendam* vocant) hic uſurpatur. *Artemidorus*

midorus libri titulum επιγραφην appellat L. III c. XXVIII. p. 175. & c. LXVII. 193. f. & ſepulcri inſcriptionem L. V. c. LXXVI. Lat. vel *titulum* dixeris, vel *inſcriptionem*. Utrumque enim æque bonum, quanquam illud ſimplicius videatur & magis analogicum, quam quidem hoc. *Titulus* eſt in vetuſto marmore apud *R. Fabrettum Inſcript. Domeſt.* cap. I. p. 19. L. & apud *Ovidium*, ut notum. De *Inſcriptione* v. cl. *de Rhoer* L. I. *Ot. Daventr.* c. XX. p. 158. ſq.

No. VIII. *Lucæ I, 49.*

Μεγαλεια.

Recurret vox, alioquin rara & in Lexicis fere αδεσποτος, *Act. Apoſt.* II, 11. λαλουντων τα μεγαλεια του Θεου. *Polybii* locum ex *Suida* habet *Wolf.* T. I. p. 565; junge *Caſaubonia-na* p. 69. & *Artemidori* verba præf. L. I. pr. αλλα, inquientis, το μεγαλειον των εν αυτη (ονειροκριτικη) θεωρηματων και το πληθος καταπεπληγως μαλιστα κ. τ. λ. Apud *Joſephum* XV. *Antiq.* VI, 6. το μεγαλειον της φρονηματος, quem omiſit *Krebſius:* alia apud *Wetſten.* ad h. l. p. 653. Tom. I. —— De voce μεγαλειοτης, quæ a priori deſcendit, præter Rhetores, conf. *Krebſium* in *N. T.* p. 121. & cl. *de Rhoer* L. II. *Fer. Daventr.* c. III. p. 154. 155.

No. IX. *Luc. II, 1.*

πασαν την οικουμενην.

In Diverſa hic iterum abeunt Interpretes: his Imperium Romanum, illis ſolam Judæam intelligentibus. Utrique, quoad verborum uſum, ſatis pro ſua opinione præſidii habent: οικουμενην de Imperio Romano accipi notum eſt: lege *Wolfii* not. ad *Libanii* Cent. Epp. pag. 154. & Curas Philol. Tom. I. p. 575. 576. adde *Elsnerum* Tom. I. p. 184. *Palairet* Obſ. in N. T. p. 165. ſq. Oordeelk. Woord. p. 13. *Wetſtenium* Tom. I. p. 658. Contra in genere quilibet locus habitatus οικουμενος dicitur: hinc terra in genere ἡ οικουμενη, qua ſcilicet ab hominibus habitatur, v. *Beauſobre* T. I. Remarques ſur le N. T. p. 105. In primis hac notione vocem uſurpare amat *Xenophon;* ſic Lib. I. Αναβ. κυρ. p. 10. πολις οικουμενη, μεγαλη, καὶ ευδαιμων, v. ibi *Hutchinſonum* p. 9. Eleganter *Artemidorus* νησους μεγιστας καὶ πολυανθρωποτατους memorat præf. Lib. I. p. 3. f. quod eodem redit. Vox πολυανθρωπος eſt etiam apud *Dionem Caſſium* Lib. LXIII. p. 1047. Tom. II. ed. opt. ſed alio ſenſu: *inſignem* enim *famulorum copiam* deſignans, eam πολυανθρωποτατην θεραπειαν vocat.

No. X.

No. X. *Luc. VIII*, 33.

Και ωρμησεν ἡ αγελη κατα τȣ κρημνȣ εις την Λιμνην, και απεπνιγη.

Κρημνος est *rupes prærupta:* unde eleganter *Belgæ* & εικοτως verterunt de ſteilte: κρημνȣς memorat etiam *Artemidorus*, jungiſque illis ορη και πετρας Lib. II. c. LXXIII. p. 154. Adpoſite *Pauſanias:* ρίπτειν ἑαυτον κατα το ὑψηλον κρημνȣ Lib. X. p. 804. *Arrianus* κατα πετρων *Exped. Alex.* L. III. c. VI. Hinc κρημναω, κρημνυμι, & κρημνίζω, de quibus eruditiſſimus N. T. interpres, *Jo. Alberti Sacr. Obſerv.* p. 221.

No. XI. *Luc. VIII*, 52.

Εκλαιον δε παντες και εκοπτοντο αυτην.

Recte hæc explicat *Wollius de verbis G. L. mediis* p. 323. quaſi ſit παντες κοπτομενοι επενθȣν αυτην *omnes præ luctu ſemet cædentes lugebant eam:* pariter *Matth.* XI, 17. ȣκ εκοψαϑε, & *non planxiſtis, verberando vos ipſos, nullum moeſtitiæ indicium præbuiſtis:* alia *Grotius* p. 703. Convenit hoc *Artemidori* Lib. V. cap. XXXVIII. ὑιος ην αυτη (γυναικι) ὀν ȣκ εις μακραν εκοψατο. *Filius ipſi erat dilectus, quem non diu poſt planxit.* Plenior occurrit dictio *Lucæ* XXIII, 27. ——

Solebant olim feminæ in luctu genas radere, pectus tundere, lacerare, &c. Noſter L. I. c XLIII. p. 37. αυται γαρ εν πενθει τας μαξας λωβωνται, & cap. XXX, p. 29. και γαρ εν τοις πενθεσι λωβωνται τας παρειας οι ανθρωποι: junge *Ariſtænet.* Lib. I. Ep. VI. p. m. 43. Varia luctus indicia jungit *Xenophon* L. III. Κυρου. c. III. §. 29. p. m. 197, 198. Tom. I. Opp. ed. nov. (Lipſ. 1763. 8vo), adde *Luciani* libellum *de Luctu* Tom. II. f. Opp. ed. *Reitz.*, ex recentioribus *Kirchm.* II. *Fun.* XI. *Freinsh.* ad *Curt.* III. II. 25. *Bourdelot.* ad Heliod. I. p. 21. —— De veſtium ſciſſione ſpeciatim *Lydium* in Flor. *ſparſ.* ad *paſſion.* p. 74. ſqq. & quos acervatim laudant *Zornius* Tom. II. *Bibl: Antiq. Exeget.* p. 593. ſqq. auctorque *Breviarii Antiqq. ad illuſtr paſſ. Chriſti hiſt. pertin.* c. XI. p. 59. ſqq. (Halæ 1763. 8vo.) — De cineris pulverisque conſperſione *Morus* in *N. T.* p. 52. ſq. *Dougtæus* ad *Joſuæ* VII. 6. v. *Marle Spicil. in N. T.* p. 70. —— Minus nota eſt manuum in caput impoſitio ap. *Homer. Iliad.* XXII. v. 33. conf. Ill. *Buonaroti Oſſervaz. ſopra i vaſi Antichi di vetro* Tab IV. p. 24. *Gorium*, ſummum Virum, ad *Columb. Libert. Liviæ* pag. 9. Tom. IV. *Supplem. Antiq. Jo. Poleni.* De *comæ* & *crinium* ſciſſione in luctu, eorumque in tumulum abjectione v. *Alberti Peric. Crit.* c. XXVI. p. 98.

No. XII.

No. XII. *Lucæ VIII, 52.*

Ουκ απεθανεν, αλλα καθευδει.

Eleganter his conveniunt illa *Artemidori* Lib. I. c. XXVIII. p. 27. οιδα δε τινα, ὃς εδοξε λεγειν αυτῳ τινα των αξιοπιστων - - - - - ὁ πατηρ σου ϗ τεθνηκεν, αλλα κοιμαται. Quod ad το καθευδειν ſpectat, notum eſt, ὑπνου, κοιμησεως, ſimiliumque vocabulorum uſum, evitandi ominis cauſſa, tritum Græcis fuiſſe. Actum ea de re alibi copioſius fuit, vide nunc *Jo. Meurs.* ad *Lycophr. Caſſandr.* v. 430. p. 67. ed. Oxon. & *Schwarz. Comment. crit. Ling. Græc. N. T.* p. 96. 97. 794. &c.

No. XIII. *Lucæ IX, 42.*

Ερρηξεν αυτον το δαιμονιον.

Mire in hanc vocem impigerunt interprētes: pariter ut *Matth.* VII, 6. ubi de *porcis* dicitur: μηποτε - - - - - ῥηξωσιν ὑμας. *Belgæ:* en u verſcheuren: Franco-Galli: *& que ſe retournans ils ne vous* DECHIRENT: Itali: *e revoltiſi non vi* LACERINO: ne quid de aliis dicam. *Beza* uno in loco rectē, quod memini. Omnes communem illam *frangendi* notionem cogitarunt, quæ tamen ab his locis longe eſt remotiſſima. Debuiſſent: *humi illum adflixit Dæmonium,*

& dein: *ne converſi* (ſc. *porci*) *terræ te allidant*, jubente non ipſo ſolum ſenſu verborum, ſed & vi vocis, uſuque ſatis alioquin obvio. Clare ſatis *Artemidorus*, ῥῆξαι τινα ϰ δυναται (τα βρεφη) *non poſſunt infantes humi aliquem adfligere;* ſenſu nimirum athletico, Lib. I. c. XIV. p. 28, ubi errantem notabis interpretem, *Cornarium*, minus accurate, *impetum in aliquem facere*, vertentem. Rurſus noſter, eodem uſu, Lib. I. cap. LXII. p. 52. ῥῆξαι τον αντιπαλον. *) de *luctatore*, *humi adverſarium proſternente.* In genere vox vehementius aliquid *dejicere*, *humique allidere* indicat: *Heſychius* bene ῥηξαι (ϰαταβαλειν & ῥηξε) ϰατεβαλεν. *Pollux* de *pila*, εδει, inquit την σφαιραν ευτονως προς το εδαφος ῥῆξαντα, ϰ. τ. λ. Lib. IX. ſ. 105. pag. 1092. Tom. II. *Noſter* iterum *de lagena*, memorabili loco, ῥῆξαι τε ϰαι ϰατεαξαι το ϰεραμιον: *humi dejicere & confringere amphoram:* Lib. V. cap. LXXVIII. qui rem conficit. Apud *Diog. Laërt.* ῥαγηναι φωνη εξ ϰρανους, *vocem e cælo demiſſam*, ejusdem uſus exemplum præbet. Atque parum abeſt, quin id ipſum vocabulum *Antigono Caryſtio* reſtituendum cenſeam,

*) Notione Athletica vox occurrit apud *Dion. Halicarn Tom. II, p. 170. adfligendi* & *peſſundandi* uſum in *Horapolline* admittit L. II. c. 57.

ſeam, apud quem in *Hiſt. Mirabil. c. XII. f. p. 13.* ed. *Meurſii* nunc ριψαι legitur. Eadem autem, quam hic explicuimus, notio, rectene compoſito etiam (απορρηξας) adſcriberetur apud *Homer. Odyſſ.* I. 481. dubium videri poſſit. Videre *Albertium* poteris in *Periculo Critico* c. XVI. p. 64. Ceterum de voce Ρησσω vide omnino *J. C. Biel* in *Specim. Lexici in LXX. & alios V. T. Interpretes pag. 95. (poſt ejus Exerc. de lignis ex Libano ad Templi ædificat. petitis Brunſv. 1740. 4to.)*

No. XIV. *Act. Ap. XVI, 14.*

Πορφυροπωλις.

Vox in N. T. ἅπαξ λεγομενη. Convenit illi quodam modo πορφυρευτης *Artemidori* L. II. c. XIV. p. 103. m. πορφυραι καὶ καρκινάδες ἁλιευσι καὶ πορφυρευταις πολλακις συμφερει, ubi πορφυραι piſcium genus ſunt, quas *oſtreis* recte jungit. Similiter *Oppianus* v. *Halieut. v.* 598. v. ibi cultiſſimas *Rittershuſii* notas p. 334. Ceterum πορφυρευτας memorat etiam *Pollux* l. 96. p. 68. T. I. & VII. 137. p. 736. T. II. 1. ſed proprie tamen illi *purpurarum piſcatores* ſunt, cum vox πορφυροπωλις ad ſolas *purpuræ venditores* referri poſſit. De Lydia purpuraria v. cl. *Stoſch* in *Antiqq. Thyatiræ*

nuper

nuper editis Zwollæ 1763. 8vo. Cui Doctiſſimo Viro reliquas etiam Eccleſias commendatas velim. Multum ipſi Thyatira debet.

No. XV. *Act. Ap. XVIII*, 27.

προτρεψαμενοι οι αδελφοι.

Vox inter ἅπαξ ἡ δις in N. F. λεγομενα refertur, ab interpretibus fere neglecta. Nos *Artemidoro* utemur auctore, cujus præſto eſt locus in ipſa mox præf. Lib. I. pr. προετραπην, inquientis, επι την πραγματειαν την προκειμενην ὁρμησαι. Ubi το επι vel referri poteſt ad το ὁρμησαι, ut dictioni *Lucæ* examuſſim reſpondeat deſtituta præpoſitione notio τε προτρεπειν, vel ad ipſum προετραπην. Utrumque æque bene dicitur: ὁρμασαι επι ποιητικην eſt in *Aeliani* Lib. II. *Varior.* XXX. pr. & πολλας προτρεπειν επι φιλοσοφιαν. apud. eund. L. X. c. XVI. Si utrique verbo ſatisfacere *Artemidorus* voluiſſet, proprie προετραπην επι το ὁρμασαι επι την πρ. dicere debuiſſet: ſed moleſta & κακοφωνα præpoſitionis repetitio erat vitanda. Et vero ὁρμαθαι, etiam nude poſitum, eſt in *D. Halic.* L. VI. *Archæol. Rom.* p. 253. 46. Tom. I. ed. *Sylburg.* aliisque in locis, conf. *Budæi*, doctiſſimi Galli, peregregium opus,

Comment.

Comment. Ling. Græcæ p. m. 1003. ſq. ed. Baſil. —— Compoſito ſuo convenit uſus ſimplicis τρεπειν & τρεπεσθαι, de quo conf. *Kuſteri* elegantem libellum *de verbis Mediis Græcorum* p. 17. 18. *Syllog. Wollii.*

No. XVI. *Roman. III*, 13.

Ταφος ανεῳγμενος ὁ λαρυγξ αυτων.

Citat hæc Apoſtolus ex *Pſalmo* V. 20. Commodiſſime cl. *de Rhoer* L. II. *Otii Daventr.* c. IV. p. 264. locum *Artemidori* huc traxit ex Lib. I. c. LXXXIII. Cave tamen credas, primum adduxiſſe. Bis eosdem in uſus advocatus a *Rigaltio* fuerat ad *Phædr.* IV. Fab. V. 10. p. m. 123. & *Not. poſter. ad eund.* p. 177. ed. *P. Axenii* rariſſimæ, Hamburg. 1671. 8vo. ſemel a *Meurſio* ad *Lycophr.* v. 154. p. 51. ed. Oxon. quos vide. Elegans hujus loci eſt expoſitio illa, quam *Grotius* dedit *Annot. in N. T. Tom. II. p. 211.* conf. cel. *Alberti* Obſ. S. p. 301.

No. XVII. *1 Cor. XV*, 32.

Εθηριομαχησα.

Sat celebres DD. VV. hac de re ſunt contentiones, *Wolfium* vide Tom. III. pag. 546.

546. 547. & copioſiſſime de hoc verbo agit *Winckler* P. II. *Animadv. Philoſ. & Crit.* p. 303. Sed id nunc non ago. Vocem, quæ inter ἅπαξ λεγομενας refertur, obiter tangam. Utitur ea Noſter L. II. cap. LIX. aliquoties *Lucianus* dixiſſet θηριοις προς πολεμαν, vide ejus locum apud *H. W. v. Marle Floſcul. in N. T.* p. 146. —— Interim *Artemidori* locum, quem citavi, utrum innuerit cl. *de Rhoer*, ignoro: v. eum L. II. qui vocem in Theſauro *Stephani* omiſſum eſſe obſervat, *Fer. Dav.* c. II. p. 145. Si addidiſſet V. C. loci notam, non recoxiſſem, etſi diu ante locum enotaverim, antequam hæc in libello Daventrienſi legiſſem, nihil exoſus magis, quam το αντιγραφα των αλλων ποιειν, ut cum Oneirocrita loquar, in Præf. Libri Primi. ——

No. XVIII. *2 Cor. XII, 7.*

Εδοθη μοι σκολοψ τη σαρκι, κ. τ. λ.

Notum eſt, quantopere in his deſudaverint interpretes, ut vere locum σκολοπα illis fixiſſe dixeris. Nos eos tantum morabimur, qui, probabili opinione, inſignem hic Paulli (ſeu quicunque demum fuerit, tantæ felicitatis particeps factus) adverſarium urgent intelligi debere, conf. *Caſaubo-*

niana

boniana pag. 82. *Wolfium* in not. p. 284. & Tom. IV. *Curar.* p. 679. *Morum*, *Elsnerum*, junge *Scheppii* diſſ. ſing. *Bibl. Brem. Nov.* cl. II. f. III. p. 453. ſqq. in primis *Lamb. Bos.* cap. XXIII. *Obſerv. Crit.* p. 104. ut qui egregium pro hac ſententia teſtimonium ex *Artemidoro* derivavit Lib. III. c. 33. αδικιας δε υπο ανθρωπων τινων πονηρων, (σκολοπες σημαινουσι) δια την γιγνομενην υπο τουτων εκ των τραυματων τυ αιματος απωκρισιν. Poſt Franequeranum interpretem, eodem loco uſus fuit *Beauſobre* Tom. I. p. 441.

No. XIX. *Galat. II, 9.*

Στυλοι ειναι.

Eleganter στυλος de *homine* dicitur, cujus ope aliquid ſuſtentatur, aliquid firmatur. Eodem uſu veniunt χιων, ερεισμα κ. α. Latinis *columna*, *fulcrum*, *clypeus:* notum eſt illud *Oppiani* Lib. I. Κυνηγ. v. 1.

Σοι μακαρ αειδω, γαιης ερικυδες ερεισμα.

Vide ibi *Rittershuſ.* p. 2. 314. ſq. Πλατωνα και Πυθαγοραν, οι ωσπερ τειχος ημιν και ερεισμα της Φιλοσοφιας εξεγενοντο. ait *Juſtin. M. Dial. c. Tryph.* p. m. 23. ed. *Jebbii*; alia *Barth.* XXII. *Adverſar.* VIII. pag. 1086. *Gatak.* II. *Adverſ. Miſcell.* XX. p. 383. ſqq.

Patri-

Patricius *Junius* not. ad *Clement. Rom. Epp.* p. m. 10. ed. *Wottoni*, W. v. *Marle* Spicil. Obſ. S. p. 353. ſq., *Beauſobre Rem. ſur le N. T.* Tom. I. p. 451. *Arntzen.* ad *Sedulium* p. 7. Scite *Philo* apud *Stobæum* Serm. X. p. 47. ανδρες αγαθοι κιονες εισι, δημον ολον υπερειδοντες, *boni homines columnæ ſunt totum populum ſuſtentantes.* Speciatim liberi κιονες οικου eleganter dicuntur, ut qui eam *ſuſtentant* ac *propagant.* Appoſite filia Jairi οικιας ερεισμα *Aſterio* dicitur ap. *Phot.* cod. CCLXXI. vide omnio *Artemidor.* II. X. p. 93. Spectat & huc ejusdem L. II. c. LIV. μνημεια γαρ εχουσιν οι μεν, τους παιδας. *Monumenta enim parentum liberi ſunt:* confr. *Merillium* Juris-Conſultum Doctiſſimum, L. III. *Obſerv.* c. VII. p. 84. Tom. I. Opp. ed. Neap. —— Interim ſi liberos κιονας οικου dictos videas, accipi vox οικος notione *familiæ* debet, quam neque raro induit. v. *Heupel.* ad *S. Marci Evang.* pap. 48. *Palairet Obſ. S.* p. 297. *Oordeelk. Woordenb.* p. 58. *Carpzov.* in *Exerc. S. in Ep. ad Hebr.* p. 514. *Krebſium* in *N. T. ex Joſepho* p. 206. *Kypke* T. II. p. 338. & ſummum Virum, *P.* Weſſeling ad *Herod.* V. 31. p. 386. 57. —— Convenit δομου & δωματος uſus, apud *Eurip.* in *Oreſte* v. 61. & 70. conf. *Blackwall. Critic. S.* Tom. I. P. I. c. I. p. 27. ed. *Wollii.*

No. XX.

No. XX. *1 Timoth. V*, 22.

Μηδε κοινωνει ἁμαρτιαις ἀλλοτριαις.

Adſcripſeram hic adpoſitiſſimum Noſtri locum L. III. c. 51. παϑειν δε δοκειν το αυτο τῳ ἀλλῳ - - - - κοινωνησαι σημαινει των ἁμαρτηματων ἐκεινῳ —— ὁ δε τα αυτα παϑων, εικοτως αν συνεξαμαρτανοι; ſed illum jam ante me occupatum video a *Wetſtenio* adh. l. p. 345. T. II. De aliis τῳ κοινωνειν notionibus agit *Elsnerus* T. II. p. 108. ſqq. quem vide, ſis. *Paullus* το κοινωνειν tertio caſui jungit, verum *Artemidorus* ſecundo addidit, pariter uti *Euſebius Hiſt. Eccl.* p. 167. edit. *Valeſii* κοινωνειαν των υπαρχοντων dixit.

No. XXI. *2 Tim. III*, 15.

Απο βρεφους.

Infantem explicant plurimi, v. *Wolfium* T. IV. p. 534. neque notionem vox admittit magis propriam. Evidentiſſime *Artemid.* L. I. c XIV. οἱ αποϑνησκοντες ἐχομενοις ἐπιλουνται βαϑεσιν, ὡς ἡδη τα βρεφη. *Euſebius* explicuit per ἐξ ἐτι παιδος L. VI. *H. E.* c. III. v. *Beauſobre* Tom. II. p. 138. neque efficaciam tamen vocis *Paullinæ* expreſſit: βρεφος eſt Latinorum *infans*, παις *puer*: medium quid inter utrumque το ϰε ἐτι παις.

No. XXII. *Hebr. VI*, 7.

Γη γαρ πιουσα τον επ' αυτης πολλακις ερχομενον υετον, και τικτουσα βοτανην.

Paſſim hoc modo *Terra* occurrit comparatione *matris* τῦ παντος. Clariſſime *Artemid.* I. cap. LIII. m. αρουρα γαρ ουδεν αλλο εστιν, η γυνη. Conſimilem *Philonis* locum vide apud *Trillerum* L. I. *Obſerv. Critic.* c. V. p. 10; inprimis Poëtæ hunc uſum obſervarunt, vide exempla ap. *Rittershuſ.* ad *Oppian.* p. 46. &c. *Rendtorf.* not. ad *Democrit. de Sympathiis* p. 339. T. IV. *Bibl. Græc. Fabricii.* —— Quod ad το πιουσα adtinet, conf. egregium hanc in rem *Anacreontis* locum, quem habet *Grotius* ad h. l. p. 822. T. II. ed. Amſt. —— Cæterum hæc perſuaſio originem haud dubie fundumque præbuit ſuperſtitioſæ gentilium opinioni, qua *Terram* ut *Deam*, Deorumque omnium matrem, colerent: v. *Freinshemii* ac *Begeri* notas ad *Florum* L. I. c. XIX. f. p. 194. ed. *Begeri:* adde illuſtriſſimum literatæ Italiæ decus, *A. F. Gorium* ad *Donii Inſcr. Antiq.* claſſ. I. n. 61. p. 17. Quid mirum, *ſpem gentibus* non fuiſſe, ſecundum Apoſtoli dictum ad *Epheſ.* II. qui Deos habebant e Terra natos! —— Quod vero ipſum τικτειν ſpectat, quod hic *Terræ* adſcribitur, vide de eo cl. *de Rhoer* L. II. *Fer. Dav.* c. XX. p. 218.

junge

junge Doctiſſ. *Carpzov.* in *Exerc. S. ad. Ep. ad Hebr.* p. 265. 266. Helmſt. 1750. 8vo.

No. XXIII. *Hebr. VII, 23.*

Δια το θανατῳ κωλυεσθαι παραμενειν.

De *perſeveratione in ſacerdotio* cogitant hic nonnulli, *Wolfium* vide ad h. l., adde *Krebſium Obſ. in N. T. ex Joſepho* p. 379; alii, melius fortaſſis, *durationem in vita* intelligunt. Qua quidem notione teri το παραμενειν frequenter ſolet. Adſcriberem hæc *Artemidori* II. XXVII. p. 117. γυναικα τε καὶ παιδας μη παραμενειν μαντευεται: ſed quia occupata à *Palaireto* video *Oordeelk. Woordenb.* p. 15. jacturam hanc alio ejusdem loco reſarciam ex cap. LXXII. ejusdem Libri: αποθεσιν των τεκνων σημαινει, ϗ παραμενοντων ἡ ϗκ ανατραφησομενων. *Durandi* notione *de ſcientia ſapientiaque firma & ſtabili* utitur *Iſocrates Paræn.* ad *Demonicum* p. m. 51. E. ed Lond. τα μεν γαρ (χρηματα) ταχεως απολειπει, ταδε παντα τον χρονον παραμενει. Pariter ἡ φιλονεικια παρεμεινεν αυτοις apud *Ælian.* V. H. XIII 44. & ἡ αρχη επι πλειστον παρεμενεν τοις εξ εκεινε τε γενους *in Herodiani l. VI. c. II. p. 260.* junge *Gronov.* ad *Herod.* I. 34. p. 822. ed. nov. —— Convenit uſus τε μενειν. *Joann.* XXI, 22. εαν αυτον θελω μενειν, εως ερχομαι. *Schol.* ad *Sophocl. Trachin. v.* 179. p. m. 337. ed. Sreph.

ει με χρη μενειν] αντι τ8 ζην. —— alia cel. *Lampe* T. III. in *Johann.* l. c. *Palairet* l. c. & *Obſ. S.* pag. 267. *Kypke* T. I. pag. 415. 416. *Carpzov. Exerc. in Ep. ad Hebr.* p. 340. ſqq.

No. XXIV. *Jacob. I. 17.*

πασα δοσις αγαθη, και παν δ. τ.

Verſuum, inopinatis in ſoluto pedibus ſermone excidentium, exemplis, largiter paſſim a VV. DD. *Noltenio* inprimis *Lex. Antib.* p. 1800, indicatis, addo πεντα-μετρον *Artemidori* IV. 86. p. 251.

Ορθως γ' αν και το Καλλιμαχειον εχει.

Poſſes & hæc tria jungere: ex *Thucyd.* II. 52. p. 113. 114. ed. Huſſon.

Νεκροι εν αλληλοις αποθνησκοντες εκειντο.

ex *Max. Tyr.* Diſſert. X. §. 5. pag. 107. ed. *Marklandi*

και παρα ποιηταις, και παρα Φιλοσοφοις.

& *Ephraëmo Syro*, in *Teſtamento* p. τξέ, vel p. 365. ed. Oxon. lin. K. E. —— και παρ ——

- οικος τυγχανων τελεσας τον καιρον, απειμι.

No. XXV. *1 Petr. III. 21.*

Οι ανδρες ὁμοιως συνοικουντες καταγνωσιν.

Occurrit hic συνοικειν ſenſu *matrimonii*, ut apud *Ælianum* quoque IV. *var. hiſt.* 1. —— *Artemidorus* de *mure* loquitur Lib. III

cap

cap. XXVIII. pr. Μυς οικετην σημαινει, συνοικει γαρ, και απο των αυτων τρεφεται, και εσι δηλος, alia *Kypke* T. II. p. 434. *Palairet* p. 506. 507. Convenit συμβιοω apud *Ælianum* IX. 1. hinc συμβιος de *conjuge* apud *Diodorum S.* aliosque ſcriptores ſæpe; in marmoribus vetuſtis paſſim v. *Sponii Miſcell. Erud. Antiq.* Sect. I. p. 1. *J. B. Donii Inſcr. Antiq.* claſſ. VII. n. 192. p. 311. &c.: lege omnino *E. Merillium*, raræ eruditionis Juris Conſultum, L. III. *Obſerv.* c. XV. p. 91. 92. Tom. I. Opp. Hinc etiam συμβιωτης, *qui cum aliquo vivit.* Sic Daniel dicitur συμβιωτης βασιλεως, in *Hiſt. Beli & Draconis v.* 2. & apud *Artemid.* V. 82. εδοξε τις τες συμβιωτας και φρατορας αυτε επιςαντας κ. τ. λ. *Cornarius* vertit *Convictores.*

No. XXVI. *1 Pet. III, 21.*

Ω και ημας αντιτυπον νυν σωζει βαπτισμα.

Τυπος eſt *ſimilitudo, figura aut res alteri ſimilis: imago, per quam aliquid exprimitur:* τυπους, ait Noſter, εν τη συνηθεια και τα τεκνα καλεμεν. L. II. c. 50. p. 143. hinc εν τυπω τινος, notione paullo diverſiore: convenit Lat. *ad formam, ad imaginem:* χειρες ηπλωμεναι εν τυπω ςαυρου *manus extenſæ ad formam crucis* apud *Porphyrium* in *Fragm. de Styge* p. m. 283. Opp. ed. Cantabr. —— Hinc αντιτυπον eſt *res ipſa figurata & τω τυπω expreſſa:* conf. *Hammond.* in *N. T.* 379. T.

II. ed. Antverp. *Casauboniana* p. 109. 110. *Elsneri Obs. S.* Tom. II. p. 407. 408. *Alberti* p. 458. —— De τυπῳ, notione *imaginis v. Kypke* T. II. p. 167. sq. *Simulacri: Krebsius* p. 198. *formæ & exemplaris: Alberti* p. 428. *Kypke* T. II. p. 118. 119. — Utraque vox occurrit in Oraculo Apollinis apud *Herod.* I. 67. de qua mirum, quantis animis depugnaverint *Gronovius* & *Kusterus*. Confecit litem magnus editor, in nupera editione, quam vide, sis, p. 32. 33.

Και ταυτα μεν εκ του Ονειροκριτου. *)

*) Speciminis hujus Auctor adhucdum Nomen suum celare voluit. Nisi quoque alibi illud celaverit, Lectorum aliqui Eum ex Observatione ad *Luc.* VIII, 52. cognoscent. Utut sit, hoc specimine Anonymus se prodidit Virum in omni elegantiori Litteratura versatissimum, qui in Græcis habitat, Criticumque agit felicissimum. Ignoti nulla cupido, verissimum est; verum cum demorsos ungues monstraverit, Nomen quoque Ejus nosse cupimus, ut amicitia honorifice nobis oblata magis gaudere liceat. Orbem Litteratum sibi egregie obstricturus est, si Ipsi *Novam Artemidori Editionem* curare, & ex hoc Auctore dictiones N. T. porro illustrare lubuerit. Se enim huic operi omnino parem esse, utpote qui *Artemidorum* sibi familiarem reddiderit, omnibusque eruditionis subsidiis instructus sit, Lectores eruditi omnes ex hoc Specimine judicabunt. Bibliotheca vero nostra se Ipsius favori, ut eam ornare pergat, impense commendat, *N. B.*

III.

III.

VITA GRÆCORUM CARMINIBUS RESTITUTA,

SIVE

LEGES ACCENTUUM GENUINÆ,

QUAS

EX ATRA MULTORUM SÆCULORUM NOCTE IN CLARAM PRODUXIT LUCEM

HERMANNUS SCHOLTEN,
V. D. M. DIEPENHEMIENSIS.

Vulgares Accentuum Græcorum leges vitio esse latas, jam multi mecum credunt. Jure id fieri ex illorum carminibus clare patet. In illis recitandis enim necessario vel Syllabarum, ita dicta, quantitas, vel accentus voci nostræ moderari debent. At si syllabarum quantitatem sequaris, & syllabam longam altiori, quam brevem efferas voce, solis pueris gratum fundes sonum. Si vero accentus vulgares tibi elegeris duces, sæpissime ne numerosa quidem vel sublimissima Sophoclis & Pindari erit oratio. Verum enim vero licet vulgo re-

ceptæ accentuum leges non ubique ei, cui is jure competit, ſyllabæ fortiorem atque altiorem tribuant ſonum, adeoque ſint vitioſæ; accentus tamen in canendis carminibus eſſe ſequendos a nemine recte negari poteſt. Ut enim ſuo poſiti loco proſæ orationi numerum conciliant jucundum: ita verſuum rhythmus aliunde oriri nequit. Et uti in canendis Horatii Odis ad accentus non minus attendimus, quam in legenda Ciceronis oratione: ſic quoque in recitandis Pindari Carminibus, æque ac in Iſocratis Orationibus accentus voci moderari debent. Ut igitur Græcorum carminibus vita ſua reſtituatur, genuinæ accentuum leges ſunt detegendæ. Hoc ego conatus ſum, illudque mihi, mea quidem ſententia, feliciter ceſſit. Eas enim, quas tibi hic ſiſto leges, genuinas eſſe firmiter credo. Me id jure facere inde colligas, quod ſint ſimplices admodum & numero paucæ, quodque eædem fere ſint, ac illæ, quas Latini ſibi tulerunt, quin potius una cum lingua atque Poeſi a Græcis acceperunt. Præcipue quod Græca carmina, ſecundum haſce leges accentibus inſtructa, non tantum longe jucundiorem fundant ſonum, quam ſi in illis recitandis quantitatis ſyllabarum vel accentuum vulgo receptorum habeatur ratio; verum etiam pulcherrima Virgilii atque Horatii carmina

nume-

numero æquent, quin ſuperent: quodque Iſocratis orationes, hoc modo accentibus inſtructæ, æque ac nunc, ſint numeroſæ. Hoc autem verum eſſe in ſpecimine, quod mox daturus ſum, clare perſpicere poteris, & experientia te *ubique* docebit. Ne putes enim me haſce leges ex illis tantum quæ protuli, carminibus exſculpſiſſe, & inde concluſiſſe, easdem omnibus aliis applicari poſſe. Minime gentium! Undique ex Homero, Heſiodo, Sophocle, Euripide & Pindaro illas decerpſi; quibuslibet carminibus applicavi; & ubique genuinas deprehendi. Idem tibi quoque continget, ſi ipſe periculum facias. Alicubi quidem tibi videbitur ſine numeri damno accentum alii ſyllabæ tribui poſſe, quam meæ monſtrant leges. Sed ſcias non attendendum ad id, quod alicubi fieri poſſit, ſed ad illud quod ubique locum habere debeat. Præterea cum maxima numerorum ſit varietas, & in ipſo Virgilio, licet hanc vel illam vocem non ſecundum receptas & genuinas leges accentu inſtruas, numeroſa tamen aliquando maneat oratio; in Græcis quoque accidere poteſt, ut, quamvis aliqua vox diverſo efferatur tono, tota tamen Periodus in utroque caſu ſit numeroſa. Huic addas bonum aliquando dormitare Homerum, & nullum Poetam ubique optimum potuiſſe eligere numerum.

Si vero ex me quæras, cui usui sit has édiscere leges, tibi responsum habeas. Voluptate omnes capiuntur homines, maxime juvenes. Quo jucundior itaque aliqua est oratio vel carmen, eo libentius illi legendo assiduam navant operam. Cum ergo Græcorum carmina secundum hasce leges recitata gratissimum fundant sonum, eas noviſſe promovendis Græcæ Linguæ studiis utilissimum erit. Si autem meam de accentibus non probes sententiam, scias me hac de re cum nemine altercari velle. Si quis frugibus inventis glande vesci malit, suo fruatur genio per me licet. Leges vero, quas observandas censeo, sunt sequentes:

Versuum atque Stropharum in recitandis Græcorum carminibus nulla plane habeatur ratio: sed vox cum sententia pari passu ambulet atque quiescat.

Vocales atque diphtongi in fine vel medio dictionis propter metrum suppressæ restituantur, & æque ac aliæ legantur.

Syllabarum quantitatem ne cures: sed in unaquaque dictione unam, mox indicandam, syllabam altiori atque fortiori, quam reliquas, efferas voce. Si autem hæc syllaba, quæ nunquam quarta a fine vocis esse potest, tres vel plures alias ante se habeat, tertia ab ea supra reliquas aliquantum emineat, vel in quibusdam casibus quarta.

Voci

Voci tuæ ita modereris, ut auditor naturalem verborum ordinem, & eam, quam quædam dictiones inter se habent relationem, auribus suis facile percipiat.

Ut scias, quæ syllaba in unaquaque dictione præ reliquis audiri debeat, ad sequentes definitiones atque leges attendas.

DEFINITIONES.

1) Quando syllabam *accentu* esse *præditam*, eamve *acui* dico, nihil aliud volo, quam istam syllabam altiori voce efferendam esse, quam reliquas ejusdem vocabuli.

2) Vocales η & ω cum vulgo *natura longas*, vel simpliciter *longas* appello, α, ι, & υ *ancipites*, ε & ο vero *breves*.

3) Ancipitem, quæ ex Dialecto quadam loco longæ venit, etiam pro longa habeo.

4) *Syllabam longam* voco eam, quæ constat vocali longa, aliqua diphtongo, vel etiam brevi ancipitive, post quam sequitur litera duplex vel duæ consonantes. Quæ vero habet brevem vel ancipitem, non sequente duplici vel duabus consonantibus, ea mihi est vel *brevis* vel *anceps*.

5) *Dictionem*, quæ tribus vel pluribus constat syllabis, *monosyllabam* vel *dissyllabam* vocare soleo, si illa sit composita, & posterior pars, ad quam solam attendo, una vel duabus constet syllabis.

LEGES

LEGES GENERALES.

1) Nullam dictionem ſuo prives accentu.
2) Quicquid dictioni ab initio accedit accentus capax non habeatur, ſive illud ſit nomen, ſive verbum, ſive præpoſitio, ſive augmentum; ſive reduplicatio, ſive aliud quid.
3) Ultimam ſyllabam nunquam acuas, niſi neceſſitas cogat. Hoc autem fit, ſi dictio ſit monoſyllaba; ſi in longiori priores ſyllabæ accentus non ſunt capaces; vel ſequatur Enclitica.
4) In diſſyllaba dictione ſemper penultimam acuas, niſi illa accentus non ſit capax.
5) Si in polyſyllabis penultima ſit longa, ea, dummodo accentus ſit capax, ſemper attollatur.
6) Particulas quasdam cum præcedenti voce conjungas, & cum ea pro una voce habeas. Si ultima vocis ſyllaba tunc ſit longa eam acuas: ſi vero manet brevis vel anceps, penultima accentum, ſi habuerit, retinet, antepenultima vero illum amittit ultimæque concedit, ex σοφία, σοφίας, σοφώτερα, σοφώτερας ex. gr. fiunt σοφίατε, σοφιάστε, σοφωτεράτε, σοφωτεραστε. Tales autem particulæ ſunt τε, περ, γε, κε &c.

LEGES SPECIALES.

De accentu nominis ſubſtantivi in nominativo.

7) Nomina polyſyllaba, (reliquorum accentum enim leges generales determinant,) antepenultimam, ſi penultima ſit brevis, acuant.

Excipias tamen quædam, quæ penultimam brevem acuunt, qualia ſunt, quæ deſinunt in ετης, οτης.

8) Polyſyllaba, quæ penultimam habent ancipitem, antepenacuta facias.

Excipienda ſunt nomina in ια, quæ ideam abſtractam nobis ſiſtunt, in ατης ατης: ατις, ινος, ινον, ιὰς, ιτη, ιτης, υνα, υνευς, υνη, υνις, υνος, υτης, υτωρ, υτης, υτις.

De accentu nominis adjectivi in nominativo.

9) Adjectiva polyſyllaba ſi penultimam habeant brevem, illorum antepenultima tollatur.

10) Idem quoque fiat ſi penultima ſit anceps.

Excipias tamen Gentilia in ινος, quæ penultimam acuunt.

De mutatione accentuum in Motione.

11) Si ſubſtantivum moveatur in femininum

num accentus ſuum retineat locum, niſi terminatio feminina fuerit diſſyllaba, tunc enim, ſi penultima eſt longa, illa acuatur, ſin anceps vel brevis, antepenultima, & eadem regula in adjectivis valeat.

In Comparatione.

12) Comparativos in ιων & τερος & Superlativos in τατος antepenacutos, Superlativos vero in ιστος penacutos facias. In cæteris legibus generalibus obtemperandum.

In declinatione.

Prima.

13) In caſibus obliquis accentus eundem teneat locum ac in recto, niſi augeantur ſyllaba: tum enim ſi accedant αω, ειω, αων, αισι, ησι penultimam; ſi vero εω, εα, εω, εων antepenultimam acuas.

Secunda.

14) Hic quoque accentus in eodem loco maneat; ſi vero accedant οιο, ωο, ῳο, οιιν, οισι, ωσι penultimam acuas.

Tertia.

15) Si *Genitivi* penultima ſyllaba ſit longa, ea acuatur, ſi vero ea ſit brevis vel anceps, antepenultimæ accentum tribuas.

Quæ-

Quædam nomina quæ in Genitivo habent ανος, ινος & υνος, penultimam tamen acuunt.

16) Reliqui casus obliqui syllabarum numero æquales sunt vel Nominativo vel Genitivo.

Priori casu syllabam acuas, quæ accentum sibi vindicat in Nominativo: posteriori, accentus eundem locum teneat ac in Genitivo. Dativus pluralis vero, si penultimam habeat longam, illam acuat: quod & fieri debet in πατρασι & cæteris in ρς, quæ in Genitivo syncopen sunt passa; μητράσι enim est pro μητέρσι.

Contractis.

17) Si penultima ante contractionem accentum habeat, post illam eum retineat: sin antepenultima, vox contracta sequatur Nominativum, nisi forte lex generalis obstet.

De accentu Verborum.

18) In Verbis, contractis quoque, accentu instruendis hanc sequere regulam, quæ in omnibus omnium Dialectorum Conjugationibus, Modis, atque Temporibus valet. Penultima semper acuatur, nisi afformans dissyllaba vel trisyllaba accedat, quæ penultimam habet brevem vel anci-

pitem, tunc enim antepenultima est acuenda. In Infinitivis vero semper penultima, nisi desinant in ἔμεναι tunc enim sunt antepenacuta.

19) Verba in μι vel ex dissyllabis vel ex trisyllabis formantur: in prioribus prior *syllaba* mihi censetur *radicalis*, in posterioribus secunda, nisi illa fiat ultima. In illis autem nec Augmentum nec Reduplicatio unquam gaudeat accentu, sed semper syllaba radicalis, sive illa sit penultima, sive ultima, quin etiam, antepenultima: nisi penultima sit longa, & ex lege ς, acui debeat.

Participiorum.

20) Omnium Participiorum penultimam acuas, exceptis his, quæ in μενος desinunt; hæc enim sunt antepenacuta.

Participia autem Verborum in μι *syllabam radicalem* semper habeant accentu instructam.

Præpositionum, Adverbiorum &c.

21) In his omnibus accentus locus ex legibus generalibus, vel Adjectivorum (cum illis enim adverbia inde derivata, quod ad accentum, conveniunt) specialibus determinetur, vel, quod facillimum, usu addiscatur.

En

En Exempla!

1) PINDAR. *Olymp. Ode XII.*

Nota.

Literæ a a a indicant vocabula, quibus ſunt adſcripta, inter ſe relationem quandam habere, hæc nota (•) monſtrat iſtam ſyllabam aliquantum eminere, & hæc (|) vocem ibi diutius, quam poſt ſingula vocabula, debere quieſcere.

a b b
Λίσσομαι | ϖαί Ζήνος ἐλευθερίᾳ |,
c c
Ἴμερᾳ ἐυρυθένεϊ ἄμ-
c a a
φι ϖόλει | σωτείρα Τύχα.
d e
τίν γάρ ἔν ϖόντῳ κυβερνῶνται θόαι
e d f f
ναές, | ἐν χερσῴ τε λαιψήροι ϖόλεμοί,
g g h
ηϕή ἀγοραι βελαφόροι. ἄιγε μέν ἀνδρῶν |
ϖόλλα ἄνω, | τάδε ἄυ κάτω |
i i h
ψεύδη μεταμώνια τεμνόι-
h
σαι | κυλινδόνται ἔλπιδες.
k l l
συμβόλον δέ ϖω | τίς ἐπιχθονίων |

k m
πίσον| ἄμφι πράξιος ἑσ-
m l
σόμενας| εὗρεν θέοθεν.

τῶν δέ μελλόντων τετυφλώνται φράδαι.

πόλλα δέ ἀνθρώποις πάρα γνώμαν ἐπέσεν
n o
ἐμπάλιν μέν τέρψιος. οἱ δε| ἀνίαραις
n o
ἀντικυρσάντες ζάλαις|
p p
ἔσθλον βάθυ πήματος| ἐν μι-
q n q
χῷ| πεδαμείψαν| χρανῷ.
r
υἱε Φιλάνορος|, ἤτοι καὶ τέα κεν,|
s s
ἐνδομάχας ἅτε ἀλέκτωρ,|
t t
συγγόνῳ πάρα ἑσίᾳ|
r r r
ἀκλέης τίμα| κατεφυλλορόησε| πόδων,
u u
εἰ μή στάσις ἀντιανείρα|
v v
κνώσιας ἀμέρσε σπάτρας.
w
νύν δέ Ὀλύμπια σεφανωσάμενος,|

και

w
καὶ δὶς ἔν Πυθῶνι, ἰὼ μοί τε |, Ἐργότελες, |
x x w
θέρμα νύμφαν λέτρα βασάζεις |, ὁμιλέ-
z z
ων πάρα οἰκείαις ἀρέταις.

2) *Scolium* ARISTOTELIS, *quod legitur inter fragmenta Carminum Lyricorum, quæ edidit H. Stephanus Edit. A. 1600. in 12. pag. 398.*

Ἄρετα πολυμόχθε γένει βροτείῳ,
θήραμα καλλίσον βίῳ,
σάς περι, πάρθενε, μόρφας, καὶ θάνειν ζηλώτος Ἕλλαδι πότμος,
καὶ πόνος τλῆναι μάλερος ἀκαμάντας.
τοίον ἔπι φρένα βάλλεις κάρτος,
ἀθανατόν τε, χρυσότε κρέσσω μαλάκαυγεος,
καὶ γόνεων, τέιοτε ὕπνος.
Σεύ τε ἕνεκεν ὁ Διὸς Ἡράκλης Λητάστε κύροι
πόλλα ἀνετλάσαν,
ἔργοις σὰν ἀγρευόντες δύναμιν.
Σοίς δέ πόθοις Ἀχίλλευς Ἀιάστε Αἴδαο δόμος
ἦλθον.
Σάς δέ ἕνεκε Φίλιος μόρφας καὶ Ἀτάρνεος ἐντρόφος ἠέλιος χηρώσεν αὐγάς.
Τοί γαρ ἀοίδιμος ἔργοις,

Ἀθανατόντε μὶν ἀυξησέσι Μέσαι Μνημοσύνης θυγάτερες,
Δίος ξένιε σέβας αυξεσαι, φιλιάστε γέρας βεβάιας.

3) THEOCRIT. *Eid.* 25. *v.* 7-9.

Εὐδετε ἔμα βρέφεα γλύκερον καὶ ἐγέρσιμον ὕπνον,
Εὐδετε ἔμα ψύχα, δύω ἀδέλφεω, ἐυσόα τέκνα,
Ὄλβιοι ἐυναζοίδε καὶ ὄλβιοι ἄω ἰκοίδε.

4) SOPHOCL. ANTIGON. *v.* 1131. *seqq.*

Πολυώνυμε, καδμείας
νύμφας ἀγάλμα, καὶ δίος
βαρυβρεμέτα γένος,
κλυτὰν ὃς ἀμφέπεις
Ἰτάλιαν, μέδεις δὲ πανο-
κόινε ἐλευσίνιας
δήμες ἐν κόλποις,
βάκχε βάκχαν
μητροπόλιν θήβαν ναίων,
πάρα ὑγρὸν ἰσμήνε
ῥεέθρων, ἀγριό-
τε ἔπι σπόρα δρακόντος.
σὲ δὲ ὑπερ διλόφε πέτρας

σέρυ

στέροψ ὀπώπε λίγνυς, ἔν-
θα κωρύκιαι νύμφαι
στείχουσι βάκχιδες,
κασαλιάστε νάμα, καὶ
σένυσσαίων ὀρέων,
κισσήρεις ὄχθαι,
χλώρα τε ἄκτα
καί πολυσταφυλος πέμπει,
ἀβρότων ἐπέων ἐυ-
αζόντων, θηβαίας
ἐπισκοπούντα ἀγυίας.
τάν ἐξ ἁπάσαν τίμας
ὑπέρτατον πόλεων,
μάτρι σύν κεραύνιᾳ.
καὶ νύν ὡς βιαίας
ἔχεται πανδήμος πόλις
νύν ἔπι νόσῳ, μόλειν
καθάρσιῳ ποδὶ παρ-
νήσιαν ὕπερ κλίτυν,
ἢ στονόεντα πόρθμον.
ὦ πύρ πνεόντων ἄστρων
χοράγε, καὶ νύχιων
φθέγματων ἐπισκόπε,
παῖ διὸς γενέθλον,
προφανήθι ξύν ναΐξιαις
σαῖς θύασι προσπολοις,
αἳ δή σέ μαινόμεναι

πανυχοι χορευοισι
τον ταμιαν ιακχον.

5) HOMER. *Iliad.* α. v. 254. *seqq.*

Ὦ πόποι, ἦ μέγα πένθος Ἀχαιΐδα γαῖαν ἱκάνει,
Ἦκεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριαμίοτε παῖδες,
Ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κεν κεχαροίατο θύμῳ,
Εἰ σφῶϊν τά δε πάντα πυθοίατο μαρναμενοῖϊν,
Οἱ πέρι μὲν βέλη Δαναῶν, πέρι δέ ἔγχε μάχεσθαι.
Ἀλλα πιθέσθε. ἄμφω δέ νεώτερω ἔσον ἐμεῖο.
Ἤδη γάρ ποτε ἔγω καὶ ἀρείοσιν ἠπερ ὔμιν
Ἀνδράσιν ὡμιλήσα, καὶ ὔ ποτέ μέ ὄιγε ἀθερίζον.
Οὐ γάρ πω τοίους ἴδον ἄνερας, οὐδε ἰδώμαι,
Οἷον Πειριθοόν τε, Δρυάντα τε ποιμένα λάων,
Και νεάτε, Ἐξαδίόντε, καὶ ἀντι θέον Πολυφήμον.
Θησεάτε Αἰγείδην, ἐπιείκελον ἀθανατοίσι.
Καρτίστοι δή κείνοι ἐπιχθόνιων τράφεν ἄιδρων.
Καρτίστοι μέν ἔσαν, καὶ καρτίστοις ἐμαχόντο
φήρσιν ὀρεσκῳοίσι, καὶ ἐκπάγλως ἀπολέσσαν.
Καὶ μέν τοίσιν ἔγω μεθομιλέον ἐκ Πύλου ἐλθων,
Τήλο-

Τήλοθεν ἐξ Ἀπίης γαίης. Καλεσάντο γάρ
αὗτοι.
Καί μάχομην κάτα ἐμαύτον ἔγω. Κεινόισι δέ
ἄν ὄτις
Τῶν, ὅι νυν βρότοι εἴσιν ἐπιχθόνιοι, μαχέοιτο.
Καί μέν μέυ βέλεων ξυνίον, πειθόντο τε μύθῳ.
Ἀλλα πιθέσθε καί ὔμμες, ἔπει πειθέσθαι
ἀμείνον.
Μήτε σύ τόν δε, αγαθός περ ἐων, ἀποαίρεο
κόρην,
Ἀλλα ἔα ὡς ὅι πρώτα δόσαν γέρας υἷες
Ἀχαίων.
Μήτε σύ Πηλείδη ἠθέλε ἐριζέμεναι βασιλῆϊ
Ἀντιβίην· ἔπει οὔποτε ομοίης ἐμμόρε τίμης
Σκηπτόχος βασιλευς, ὥτε Ζεύς κύδος ἐδώκεν.
Εἰ δε σύ κάρτερος ἔσσι, θέα δέ σέ γείνατο μήτης,
Ἀλλα ὅ γε φέρτερος ἔστιν, ἔπει πλεονέσσιν
ἀνάσσει.
Ἀτρείδη, σύ δέ πάυε τέον μένος· αὐταρ ἐγώγε
Λίσσομαι Ἀχιλλῆϊ μεθέμεν χόλον, ὅς μέγα
πάσιν
Ἕρκος Αχαιόισιν πέλεται πολεμόιο κακοίο.

6) SOPHOCL. *Oedyp. Tyr. v. 14. seqq.*

Ἀλλα ὦ κρατύνων Οἰδιπους χώρας ἔμης,
ὁρᾶς μέν ἡμας ἡλικοι προσήμεθα

βωμοῖσι τοῖς σοῖς· ὅι μέν δε πω μάκραν
πλεῦσαι θενοντες· ὅιδε σὺν γήρᾳ βάρεις
ἱερεὺς, ἔγω μέν ζῆνος· ὅιδετε ἡἰθεων
λεκτοι· τὸ δέ ἄλλοφύλον ἐξεσεμμενον
ἀγοραῖσι θάκει, πρός τε Παλλαδος δίπλοις
ναοῖς, ἔπι ἰσμην ὅτε μαντεῖα σπόδῳ.
πόλις γάρ, ὥσπερ καὶ αὐτος εἰς ὁρᾳς, ἄγαν
ἤδη σαλεύει, καὶ ἀνακῳφίσαι κάρα
βύθων ἔτι οὐχ οἵα τε φοινιᾳ σάλῳ.
φθινύσα μέν καλύξιν ἐγκάρποις χθόνος,
φθινύσα δέ ἀγελαις βυνόμοις, τοκάσι τε
ἀγόνοις γυναικων· ἔν δε ὁ πυρφόρος θεός
σκήψας ἐλαύνει λοίμος ἐχθίστος πόλιν,
ὕπο δ' κενέται δώμα καδμείων, μέλας
δε ᾅδης στενάγμοις καὶ γόοις πλουτίζεται.

ibidem v. 45.

ἴθι, ὦ βρότων ἀρίστε, ἀνορθώσον πόλιν.
ἴθι, ἐλαβηθήτι.

7) EURIPID. *Phoeniss. v. 311. seqq.*

- - - - ἴω τέκνον, χρόνῳ
σόν ὄμμα, μύριαις ἐν ἄμεραις προσείδον.
ἀμφιβάλλε μάσον ὠλεναισι μάτρος,
παρηϊδών τε ὀρεγμα,
βοστρυχών τε κυανοχρώτα χαίτας

πλέ-

πλόκαμον, σκιάζων δίραν ἔμαν.
ἴω ἴω, μόλις φάνεις
ἀελπτα καὶ ἀδοκήτα μάτρος ὤλεναις. τί φώ
σέ; πῶς ἅπαντα
καὶ χέρσι, καὶ κομαίσι, πολυελίκτον ἄδοναν
ἐκέισε καὶ τό δεύρο περιχορεύσα, τέρψιν
παλαίας λάβω χάρμονας; ἴω τέκος,
ἐρήμον πατρῴον ἐλίπες δόμον,
φύγας ἀποσάλεις ὁμαίμιν λώβα.
ἦ ποθεινος φίλοις;
ἦ ποθεινος θήβαις.

8) *Scolium* CALLISTRATI *quod legitur apud* LOWTHIUM *de S. H. P. p. 18.*

Ἐν μύρτου κλάδι τό ξίφος φορήτω,
Ὡσπερ Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων,
Ὅτε τόν τυράννον κτάνετην,
Ἰσονόμους τε Ἀθήνας ἐποιήσατην.
φίλτατε Ἁρμόδιε οὔπω (ὅτι που) τεθνήκας,
Νήσοις δέ ἐν μάκαρων σέ φάσιν εἶναι,
Ἵνα περ ποδώκης Ἀχίλλευς,
Τυδείδην τε φάσι Διομήδεα.
Ἐν μύρτου κλάδι τό ξίφος φορήσω,
Ὡσπερ Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων,
Ὅτε Ἀθηναίης ἐν θυσίαις
Ἄνδρα τυράννον Ἱππαρχον ἐκάινετην.
Ἀει σφῶν κλέος ἔσσεται κατ᾽ αἶαν,

Φίλτατε Αρμόδιε καὶ Αριστογείτον,
Ὅτι τὸν τυράννον κτάνετον.
Ἰσονομίστε Ἀθήνας ἐποιήσατον.

9) SOPHOCL. *Oed. Colon.* v. 1037. *sqq.*

Εἴην ὅθι δαΐων ἄνδρων τάχα ἐπισρόφα τὸν
χαλκοβόαν ἄρη μιξόσιν·
ἢ πρὸς πύθιαις ἢ λάμπασιν ἄκταις.
οὗ πότνιαι σέμναι τιθηνοῦνται τέλη θνατοῖσιν,
ὧν καὶ χρύσεα κλῆις ἔπι γλώσσᾳ βεβάκεν
προσπόλων εὐμόλπιδαν.
Ἔνθα οἶμαι τὸν ἐγχεμάχαν θήσεα καὶ τὰς δι-
σσόλυς ἀδμήτας ἀδέλφας
αὐτάρκει τάχα ἐμμίξειν βᾷ τὰς δε ἄνα
χώρας.
Ἢ πᾷ τὸν ἑφέσπερον πέτρας νίφαδος πελώσι,
διάτιδος ἔκ νόμιᾳ πωλοίσιν ἢ ῥιμφάρμασιν
φευγόντες ἁμίλλας;
Ἁλώσεται.
Δεινός γε ὁ προσχώρων ἄρης,
δεῖνα δὲ θησείδαν ἄκμα.
πᾶς γὰρ ἀσράπτει χαλίνος.
πάσα δὲ ὁρμᾶται κάπα ἀμπυκτήρια φάλαρα
πώλων ἀναβάσις,
οἳ τὰν ἵππιαν τιμῶσιν ἀθάναν,
καὶ τὸν πόντιον γαιάοχον ῥέας φίλον υἱον.

Ἑρδό-

Ἐρδήσιν ἢ μελλήσιν;
Ὡς προμνάται τί μοι γνώμα,
τάχα ἂν θώσειν τὰν δείνα τλάσαν,
δείνα δέ ἐυρήσαν πρὸς ἀυθομαίμων πάθη.
Τέλει! τέλει ζεύς τί κάτα ἦμαρ
μάντις εἶμι ἔθλων ἀγώνων.
Εἰθε ἀελλάια ταχυρρώστος πελέας ἀϊθέριας
νέφελας κυρσαίμι,
ἄυτων δέ ἀγώνων θεωρήσασα τό ἔμον ὄμμα.
Ὦ ζεύ γε παντάρχα θέων, παντόπτα, πόροις γᾶς τάσδε δαμόχοις
ἐπινίκιῳ σθένει τὸν ἐυάγρον τελειῶσαι δὴ λόχον.
Σέμνατε παῖς πάλλας ἀθάνα,
καὶ τὸν ἀγρεύταν ἀπολλω,
καὶ κασιγνήταν πυκνοσίκτων ὄπαδον ὠκυπόδων ἐλαφων σεργω
σέργω δίπλας ἀρώγας μόλειν γᾶ τᾶδε καὶ πολίταις.

10) ISOCRATIS *Panegyr.*

Πόλλακις ἐθαυμάσα τῶν τὰς πανήγυρεις συναγαγόντων καὶ τὺς γύμνικυς ἀγῶνας καταστησάντων, ὅτι τὰς μὲν τῶν σώματων ἐυεξίας ὕτω μεγαλων δώρεων ἠξίωσαν τοὶς δὲ ὑπερ τῶν κοίνων ἰδια πονήσασι καὶ τὰς ἑαυτων Ψύχας

ὕτω

ἔτω παρασκευάσασιν ὥσε καὶ τὰς ἄλλας ὠφέλειν δυνάσθαι, τούτοις ἀδεμίαν τίμην ἀπενείμεν ὧν εἰκὸς ἦν αὐτὰς μᾶλλον ποιήσασθαι προνόιαν.

Τῶν μὲν γὰρ ἀθλήτων δὶς τοσαύτην ῥώμην λαβόντων οὐδὲν ἂν πλέον γενοίτο τοῖς ἀλλοίς· ἑνὸς δὲ ἀνδρὸς εὐφρονησάντος ἅπαντες ἂν ἀπολαυσείαν οἱ βυλόμενοι κοινωνεῖν τῆς ἐκείνυ διανοίας.

Οὐ μὴν ἔτι τούτοις ἀθυμήσας, εἵλομην ῥαθύμειν ἄλλα ἱκανὸν νομίσας ἆθλον ἐσεσθαι μοι τὴν δόξαν τὴν ἀπὸ αὐτυ τυ λόγυ γενησομένην ἥκω συμβυλεύσων περί τε τυ πόλεμυ τυ πρὸς τὰς βαρβαρυς, καὶ τῆς ὁμονοίας τῆς πρὸς ἡμας αὐτυς.

Οὐκ ἀγνόων ὅτι πολλοὶ τῶν προσποιησάνων εἶναι σοφίσων, ἔπι τοῦτον τὸν λόγον ὡρμήσαν. ἀλλα ἅμα μὲν ἐλπίζων, τοσοῦτον αὐτων διοίσειν, ὥσε τοῖς ἄλλοις μηδὲν πωποτε δόκειν εἰρῆσθαι περὶ αὐτων.

Ἅμα δὲ προκρίνας τοὺς καλλίσυς εἶναι τῶν λόγων, οἵτινες περὶ μεγίστων τυγχανυσιν ὄντες, καὶ τοῦτε λεγόντας μαλίσα ἐπιδεικνυσι, καὶ τοὺς ἀκυόντας πλείσα ὠφελυσιν· ὧν εἷς ἕτος ἔσιν.

Επέ-

Ἐωσὰτα ἤδε οἱ καίροι πὼ παρεληλύθασιν, ὥσε ἤδη μάτην εἶναι τὸ μεμνήθαι πέρι ἄυτων. Τότε γάρ χρὴ παυέθαι λεγόντας, ὅταν ἢ τὰ πράγματα λάβῃ τέλος, καὶ μηκέτι δέῃ βυλευέθαι πέρι ἄυτων, ἢ τὸν λόγον ἴδῃ τὶς ἐχόντα πέρας, ὥσε μηδεμίαν λελεῖφθαι τοῖς ἄλλοις ὑπερβόλην.

Ἑως δέ ἄν τὰ μὲν ὁμοίως ὥσπερ πρότερον φερήται τὰ δὲ εἰρήμενα φαύλως ἐχόντα τυγχάνῃ, πὼς ἄ χρὴ σκοπεῖν καὶ φιλοσόφειν τὄτον τὸν λόγον, ὅς, ἢν κατορθώθῃ, καὶ τὸ πόλεμα τὸ πρὸς ἀλλήλας, καὶ τῆς ταραχῆς τῆς παρόσης, καὶ τῶν μεγίσων κάκων ἥμας ἀπαλλάξει. *)

*) Eruditi plerique, quo doctiores, Græcarumque litterarum peritiores exſtiterunt, in eam iverunt ſententiam, Accentus Græcos recentioris eſſe originis, eorumque leges revera vitio creatas eſſe, atque adeo pronunciationem dictionum Græcarum juxta leges vulgares haud eſſe inſtituendam, & adhuc minus, recitationem carminum Græcorum. Occupatos egregie ad hanc rem videas HENNINIUM, HOFMANNUM, & ex parte ſaltim KERNIUM, quibus jungo Doct. GALLY in differt. Anglicana. *A Diſſertation againſt pronouncing the Greck langage, according to accents: a Londres 1754. 8.* cujus excerpta dedit Cl. M. MATY, *Journal Britannique T. XV. p. 324. ſq. a la Haye 1754.* Ad Garamantas

ramantas igitur accentus Græcorum vulgates relegantes caverunt, ne hac in re diutius ſtudiis elegantioribus Græcis difficilis nimis ponatur obex. Idem ſentit pl. Reverendus & Doctiſſimus H. SCHOLTEN, diatribes, quam exhibuimus, Auctor. Interea non ſine magna probabilitate ſtatuit, accentus aliquos in canendis carminibus ſequendos & olim fuiſſe, & nunc quoque eſſe, eosque, juſto poſitos loco, proſæ quoque orationi numerum conciliare jucundum. Doctiſſimus GALLY eidem ſententiæ patrocinari videtur, dum cenſet προσωδιας vel Accentus Græcorum antiquos ad Muſicæ leges compoſitos, vocique ad ſonum inſtrumenti alicujus Muſici moderatos fuiſſe. Hæc adpoſite dicta eſſe exiſtimo, quia Muſica Inſtrumentalis cum vocali ad concentum harmonicum conſpirare debuit; ſive Carmina ad inſtrumentalis Muſices ſonum confecta fuerint, ſive, quod fortaſſis a primis antiqui orbis incunabulis fieri conſuevit, Inſtrumentalis Muſica ad Carminum rationes componeretur.

Cum itaque accentus vulgares, quorum ætas & origo non ultra ſeculum a Chriſto nato ſeptimum adſurgit, ab eruditis eliminati ſint, *plur. Rever. & Doctiſſimus* Diatribæ hic exhibitæ *Auctor*, laudabili conatu, leges antiquorum accentuum, ſive, in manuſcriptis Veterum revera, ſive, quod probabilius eſt, non indicatorum, quæ hactenus ſepultæ fuerunt, inveſtigavit, & heic in lucem publicam produxit. —— Meum *non* eſt dijudicare, num felici ex omni parte ſucceſſu hypotheſin ſuam formaverit, ejus-

ejusque satis firma fundamenta jecerit, aut jucundiores nobis reddiderit in recitatione Carminum aut Orationum Veteres Poetas & Oratores Græcos. Penes Viros eruditissimos potius, qui Græcas profitentur litteras, Græcaque manu Carmina Græca & latina quotidie terunt, & quod hic quoque in censum in primis venit, Græcis auribus instructi sunt, *Hemsterhusios*, *Valkenarios*, *Amnellios*, *Ernestios*, *Heynios*, (quam vellem hic quoque adhuc nominare liceret τον παντυ *Wesselingium*,) aliosque φιλελληνες judicium esto! Gratulabimur Viro Doctissimo magnopere, si litteratissimi, quos excitavi, Viri, aliique his in litteris habitantes, hypothesi prolatæ album daturi sint calculum aut ευρηματι huic adplausuri, & quoad Sophoclem, aut Euripidem, aut Homerum & unumquemque inter Græcos Poetam aut Oratorem celebrem ipsi sint acclamaturi *Menalcae* illud apud VIRGILIUM *Bucol. Eclog. V.* v. 44. 45.

—— æquiparas Tu voce magistrum,
Fortunate —— Tu nunc eris alter ab illo,

&c.

N. B.



IV.

IV.

JOHANNIS NICOLAI RICHTERI OBSERVATIO AD 1 COR. XV, 29. DE BAPTISMO SUPER MORTUIS.

§. 1.

In argumentis, quibus certitudinem resurrectionis mortuorum evincit Paulus, etiam *baptiſmo ſuper mortuis* locum tribui, & ipſa loquuntur verba, & cohærentia cum præcedentibus. Quum enim paululum digreſſus eſſet de via & ſcopo primario, quem ſibi propoſuit, de traditione regni in manus Patris, quando omnes hoſtes victi ad pedes Servatoris noſtri jacebunt, locutus; ad reſurrectionem redit ſanctus Apoſtolus ulterius demonſtrandam, & novum ex baptiſmo ὑπὲρ τῶν νεκρῶν argumentum petit. Sed in hoc enucleando & deducendo, quod notum eſt maxime, deſudarunt tot Interpretum ingenia, atque ita quidem, ut vere, quot capita, tot ſenſus eſſe, hic dicere quea-

queamus. Conquiſivit & recenſuit diverſas haſce interpretationes ſumme venerandus HEUMANNUS, ſuumque de illis tulit judicium. Ipſe vero novam expoſitionem protulit, jam olim a ſe prolatam, mihi quidem & forſan multis aliis minus probabilem. Nec ſenſui ſatisfeciſſe videntur ultimi, quos novi, horum verborum explanatores, cel. JAC. de RHOER in *Feriis* ſuis *Daventrienſibus*, & ſumme rever. BERTLINGIUS in in programmate quodam, jam Heumanniano Interpretum hujus loci catalogo addendi, niſi illum STEINHELII ſententiam maximam partem ſuam feciſſe, & alia tantum argumenta ex auctoribus græcis in ſubſidium vocaſſe, hunc vero in cel. CONR. IKENII caſtra tranſiiſſe exiſtimes. Neque ego plane nova proferre potero, dum novam hac opella expoſitionem promittere videor. In tanta enim exegetarum multitune, etiamſi a plerisque diſcedas, ab omnibus tamen in omnibus diſſentire non facile licet.

§. 2.

Id quidem ante omnia expediendum eſſe arbitror, utrum prima & ultima hujus commatis verba, cum idem ſonare videantur, idem etiam valeant: τι ποιησουσιν οἱ βαπτιζομενοι ὑπερ των νεκρων; τι καὶ βαπτιζονται

ὑπερ των νεκρων. Omnes quos novi, idem omnino ſignificare, & ſolius emphaſeos gratia repeti exiſtimant. Sed male ac temere, mea quidem ſententia. Quid enim, quæſo, Apoſtolum impulit, ut his verbis εμφατικοτερως ſcribere, quam in antecedentibus maximi momenti, atque emphaſin in frigida ejusmodi & inani repetitione quærere voluerit. Emphaſi quidem conſulit nervoſa brevitate & gravitate dictionis. Conciſe ſcribit ubique, atque hoc inprimis capite, quod legenti obſcurum eſſe nequit. Quodſi etiam verba ipſa conſideremus, eaque vertamus, uti volunt & jubent: *quid facient, qui baptizantur ſuper mortuis, ſi mortui omnino non reſurgunt? Quid etiam baptizantur ſuper mortuis?* quid judicas de hac emphaſi, præjudicata opinione non occupatus? Quid cogitas atque ſentis, quod priora verba legens non cogitaſti, non ſenſiſti? Hoc unum cogitas: ſi nulla ſit reſurrectio mortuorum, baptiſmum ſuper mortuis incaſſum ſuſcipi; atque hoc unum eodem ſenſu, eadem emphaſi cogitaſſes, etiamſi poſteriora non legiſſes verba. Num igitur ejusmodi emphaſin repetitionemque Apoſtolo noſtro affingamus? *) Adſunt quoque non obſcura indicia,

*) Languida mihi videtur hujus dubii ſolutio, quam cel. HEUMANNUS tradidit: warum laſſen

dicia, poſterius commatis membrum a priori differre. Indicat enim hoc particula ΚΑΙ, τι ΚΑΙ βαπτιζονται, quæ omittenda & omiſſa eſſet, ſi plane idem fuiſſet ſignificandum. Ita eodem tramite pergit Apoſtolus ſequenti commate: τι ΚΑΙ ἡμεις κινδυνευομεν; at vero hoc etiam a prioribus differt. Indicat quoque verbum ποιειν, verbo οἱ βαπτιζομενοι *actionem* indicari, adeoque ſignificatu *medio* *) capiendum eſſe verbum βαπτιζεσθαι in priori, *paſſivo* autem, ut differentia utriusque pateat, in poſteriori membro

laſſen ſich (ſage ich noch einmal) über die, ſo ſchon todt ſind, noch andere taufen? Quamvis enim hanc ellipſin ſtatuas, remanet tamen ſolvenda quæſtio: cur Apoſtolus hoc iterum dixerit; cur ea verba repetiverit? Neque etiam addita cel. HEUMANNI obſervatio firmiorem hujus quæſtionis ſolutionem petenti ſatisfaciet: Bey der Frage, τι καὶ βαπτ. ὑπ. των νεκ., iſt zu merken, daß das καὶ eine hitzige Frage anzeige.

*) Fuit alius referente cel. HEUMANNO, qui verbum οἱ βαπτιζομενοι ſignificatu activo ſeu medio capiendum eſſe diceret, P. IV. *mixt. tractatt. Berolin.* vernaculo ſermone edit. p. 395. In eo vero aberravit, quod & verbum βαπτιζονται eodem ſignificatu accipiat, adeoque in eandem, ac ceteri Interpretes, difficultatem ſe implicet.

bro. Verto igitur: *Alioquin quid agent, qui baptizant ſuper mortuis, ſi mortui plane non ſuſcitantur? Quid etiam ſunt, qui baptizantur ſuper mortuis?*

§. 3.

Loquitur ergo Apoſtolus cum de illis, qui ὑπερ των νεκρων baptizant, tum de iis, qui ab his ὑπερ των νεκρων ſe baptizari patiuntur atque volunt, & utrosque imprudenter & incaſſum hoc ipſo agere pronunciat, ſi nulla futura ſit mortuorum reſuſcitatio. Quæ quidem obſervatio & diſtinctio ad determinandum & figendum particulæ ΥΠΕΡ ſignificatum ejusque ambiguitatem tollendam aptos quodammodo nos reddit. Poſſet hæc particula, nexu nondum conſulto, triplici potiſſimum ratione verti, *propter*, *loco*, *ſuper*. At prima atque altera verſio locum habere nequit. Quid enim eſſet & vellet: qui *propter mortuos* ſeu *mortuorum cauſſa* baptizant? Nihil boni commodique ex aliorum baptiſmo in defunctos redundare poteſt. *) Altera autem verſione poſita, duplici

*) Jam etiam judicatu facile eſt, utrum ſumme rev. BERTLINGII aut potius cel. IKENII explicatio valeat. Conſiſtente enim obſervatione mea, qua inter verba βαπτιζομενοι & βαπτιζονται, ratione ſignificatus illinc

duplici ſenſu hæc verba accipi poſſent. Primum enim hoc poſſent ſignificare: quid agunt, qui *loco eorum, qui nondum baptizati diem ſuum obierunt*, alios baptizant? Verùm enimvero hunc ſenſum ſi intendiſſet Apoſtolus, dicere ſine dubio debuiſſet: οἱ ὑπερ των νεκρων ΑΛΛΟΥΣ βαπτιζομενοι. Et quid, mortuis ſine baptiſmo, profuiſſet, ſi alii ipſorum loco immerſi in aquam & extracti eſſent? At poſſent etiam ex eodem particulæ ὑπερ ſignificatu verba noſtra hunc ſenſum fundere: quid agunt, qui *loco mortuorum, alios baptiſmo in eccleſiam recipiunt, & factam quaſi lacunam explent?* Sed &

illinc activi hinc paſſivi, notabile diſcrimen intercedere contendi, cui quidem nihil obſtare arbitror, verba jam ex eorum ſententia ita vertenda forent: *quid facient, qui propter cadavera abluunt?* Sic vero mancum eſſe hoc dictum intelligis: ut alia taceam, quæ huic expoſitioni opponi queunt, atque hoc potiſſimum; Paulum argumenta ſua ex Evangelio, non ex lege depromere, de quo plura ad finem. Corruit etiam, conſiſtente eadem mea obſervatione, cel. DE RHOER explicatio, quippe ex qua verbum οἱ βαπτιζομενοι active exponi omnino nequit. Nec falli hic mihi videor, ſi contendam, plurimorum interpretationes non fuiſſe in lucem prolatas, quando idem diſcrimen inter utrumque verbum obſervaviſſent.

hic vocem ΑΛΛΟΥΣ omittere minime potuiſſet Apoſtolus, neque neceſſe fuiſſet, hos a reliquis, qui baptizantur, quod tamen facit, ! diſcernere. Omnes enim, qui baptizantur, conſiderari queunt ut tales, qui in mortuorum ſuccedunt locum. Neque certe hac cauſſa ducti, ſcilicet ut defunctorum locum explerent, baptiſmum expetierunt, ſed ſua potius ſalute moti. Remanet igitur ſola tertia *) expoſitio: *quid agunt, qui* SUPER *mortuis*, hoc vero eſt, qui *ſuper cadaveribus ſepultis*, adeoque, ut jam alii notarunt, *ſuper ſepulchris defunctorum baptizant, ſi mortui plane non ſuſcitantur? Quid etiam ſunt, qui* SUPER *ſepulchris mortuorum ſe baptizari patiuntur atque volunt.* §. 4.

*) Eſt quidem quarta expoſitio, quæ cel. HEUMANNUM auctorem habet, qui voculam ὑπὲρ *poſt* eſſe vertendam contendit. Sed ipſe non reticuit Vir ſumme venerandus, nullis adhuc teſtimoniis ex auctoribus græcis hunc ſignificatum particulæ ὑπὲρ cum caſu ſecundo conjunctæ muniri & confirmari poſſe. Nec ſane vis probandi Apoſtoli verbis ineſſet, ſi juxta mentem celeberrimi Viri interpretanda ſunt. Quodſi baptiſmus immortalitatem corporis polliceretur, & tamen morerentur, qui baptizati fuerant; tum Apoſtolus potuiſſet ſcribere: was thun ſonſt diejenige die ſich taufen laſſen, nachdem etliche von den Getauften geſtorben ſind?

§. 4.

Quæ hactenus diſputavi, ea ſic ſatis certa & indubia mihi quidem videntur, ſi textum Græcum conſulas. Quæ vero nunc profero, ultra probabilitatem non aſſurgunt, cum præter hunc ipſum locum & probabilem ejus explicationem nulla hujus ritus teſtimonia proferre queam. Id quidem certum eſt, & ab aliis ex veterum monumentis clare evictum, Corinthi peſtilentiſſimum regnaſſe errorem nullam corporis fore reſurrectionem, neque ullam amplius poſt mortem exſpectandam eſſe vitam. *) Qui religioni Chriſtianæ ſe addixerant Corinthii, quos inter haud pauci forſan fuerunt Sadducæi, acceperant quidem ex ore Apoſtoli ſanam reſurrectionis Chriſti & fluentis inde mortuorum doctrinam. Sed fuerunt, uti ex hoc ipſo capite ſatis clare elucet, in Sadducæiſmum relapſi, qui hanc doctrinam maximi momenti convellere, eoque ipſa religionis Chriſtianæ fundamenta ſubruere

*) Cf. inprimis doctiſſimum *Specimen antiquitatum Corinthiacarum*, ab erudito & ſpectatiſſimo cum maxime Mercatore Bremenſi, & Spect. Collegii Seniorem membro, HENRICO WILKENS, cum ſtudiis operam navaret, conſcriptum, & præſ. cel. NONNENIO publice ventilatum, §. XXXII, p. 49. ſeqq.

allaborabant. Qui igitur cœtui Corinthiorum præfuerunt, illis ſedulo proſpiciendum & cavendum fuit, ne peſtis illa latius graſſaretur, totumque corrumperet Chriſtianorum cœtum. Hac de cauſſa baptiſmum ſuper ſepulchro hujus illiusve defuncti peragi voluerunt, quo baptizandi errorem illum ejurarent, & ſpem ſuam futuræ mortuorum reſurrectionis teſtarentur. Confitebantur enim hoc ritu, ſi non verbis, at re tamen ipſa, qui ſuper ſepulchris mortuorum baptizari volebant, ſe, quando in aquam inmergantur, conſiderari velle ut mortuos, in his ſepulchris jamjam dormientes; quando vero ex aqua caput iterum extollant & prodeant, ſe conſiderari velle ut tales, quibus in Capite ſuo mortis vincula jam ſoluta ſint, quique reſuſcitati ſuper ſepulchris ſuis & pulvere terræ conſiſtant: reſurrectionis igitur mortuorum ſe eſſe certiſſimos.

§. 5.

Non culpat & damnat hunc ritum Apoſtolus: neque enim fuit, quod in eo reprehendi poterat. Nam præter cetera, quæ ſignificat & obſignat baptiſmus, etiam primarium illud fidei caput, quo collapſo tota religio Chriſtiana collabitur, reſurrectio moruorum, perquam clare coram oculis depictum & repræſentatum fuit. Ubi vero

error

error ille non dominabatur, ibi nec baptismum ſuper ſepulchris defunctorum peragi neceſſarium fuit: peragebatur enim, ubicunque aquæ fuit copia, certo loco non definito. *) Potuit itaque Paulus ad hunc ritum

*) Quod quidem ſi verum eſt, aut veri tantum ſimile, uti mihi videtur, corruit ſimul omnis illa objectio, qua ſumme rev. HEUMANNUS poſt alios baptiſmum ſuper ſepulchris mortuorum peragi ſolitum uno ictu profligaſſe ſibi viſus eſt. *Apoſtoli tempore*, inquit, *hic ritus haudquaquam in uſu fuit.* Unde enim hoc colligitur? In multis & forſan plerisque cœtibus non obtinuiſſe hanc conſuetudinem, lubens concedo. Sed cum ipſe baptiſmi locus arbitrio baptizantium relictus fuerit, teſtibus inter alios TERTULLIANO & JUSTINO MARTYRE, cf. *compend. antiquitt. eccleſiaſt.* cura ſumme ven. JOH. GEORG. WALCHII editum, p. 27: annon licuit his, qui baptiſmum adminiſtrabant, ſi ipſis e re eſſe videretur, ſuper ſepulchro hujus illiusve Chriſtiani, in fide demortui, hoc ſacramentum peragere? Neque vero ſolum id eis licuit, ſed etiam hoc agendo bene prudenterque egerunt, quando commodum eccleſiæ id poſtularet. Quod igitur aliis in cœtibus in uſu fuit, ut aqua tingerentur, ubicunque ejus copia fuit, id etiam Corinthi ſemper fieri conſueviſſe, non conſequitur. Quum præterea, uti ex prolixiore reſurrectionis demonſtratione ſatis conſtat, verendum fuerit, ne peſtis Sadduducæiſmi latius proſerperet; haud parum

tum provocare, quem Corinthii Christiani observabant, quo certitudo resurrectionis futuræ hoc magis ipsorum animis se insinuaret, altioresque radices ageret. *Si mortui*, inquit, *omnino non resurgent, quid sani quæso, illi ex coetu vestro agunt, qui, ut significatio baptismi, propter resurrectionem Christi resuscitationem corporum nostrorum promittentis & obsignantis, hoc dilucidius appareat*

ad conservandam sanam futuræ resurrectionis doctrinam faciebat, si Catechumeni jam in ipso Christianismi limine sollemni hoc ritu edocerentur, quid homo Christianus sperare & queat & debeat Hac de caussa nec majoris graviorisque esse ponderis arbitror, quæ DEYLINGIUS huic explicationi oppposuit; quam ceteroquin simpliciſſimam esse, nec verbis vim inferre, ac frequenti vocum usu confirmari testatur. Ritum hunc Pauli tempore nondum in usu fuisse asserit, at non probavit. Summam præterea tum fuisse martyrum paucitatem; quod ipsi facile concedam, cum multitudine opus non fuerit, nec id meam explicationem feriat. Denique, cura sepulchra, inquit, Vir eruditiſſimus, Judæorum æque ac Christianorum extra urbem fuerint, consentaneum haud esse, Christianos Pauli ætate sacra sua publico omnium conspectui exposuisse. Nullam in his verbis deprehendo consequentiam. Quanquam enim extra urbem cadavera mortuorum suorum terræ mandarunt

reat, Catechumenos veſtros, ad ſepulchrum defuncti cujusdam ductos, ſuper eo in aquam immergunt, ex eaque extrahunt? Qua etiam de cauſſa, qui ad coetum veſtrum admitti volunt, ſuper his mortuorum ſepulchris ſe baptizari patiuntur? Quodſi enim nulla futura eſt mortuorum reſuſcitatio, næ tum & ipſe baptiſmus, & locus baptiſmi, apud vos non male

runt Chriſtiani, non tamen inde conſequitur, unicuique ſepulchra innotuiſſe, proptereaque baptiſmum ibi peractum publico fuiſſe conſpectui expoſitum. Nam coacti fuerunt primi Chriſtiani ſimulatque in odium Gentium incurrebant, præſertim cum mos ipſorum ſepeliendi mortuos a Gentium ſuperſtitione differret, hortos ſuos atque alia loca occulta ad condenda ſuorum corpora ſibi deligere, eaque occulte ſine ulla exequiarum pompa ſepelire. *Cf. comp. antiquitt. eccleſ.* jam cit. p. 252. Facile igitur fuit Chriſtianis, ſepulchra defunctorum ſuorum occultare, & aquam eo conferre, in quam Catechumenos ſuos inſciis Judæis & Gentibus immergerent, ſi quidem publice id fieri non licuit. Neque id prætereundum eſt, cum poſt Apoſtolorum obitum ſuper ſepulchris martyrum baptizare inceperint Chriſtiani, forſan hanc conſuetudinem non introductam fuiſſe, niſi jam antea hic illic obtinuiſſet, atque hoc Apoſtoli dictum de eodem ritu interpretati eſſent.

male definitus, nullius plane significationis esse potest.

§. 6.

Liquet jam ex hac paraphrasi, utrum verbis nostris hac ratione expositis, vis aliqua probandi insit, nec ne. Disputat nimirum Apostolus cum illis, qui Evangelium ab ipso annunciatum acceperant, & de veritate ejus persuasi erant, v. 1. 2. Revocat ipsis in memoriam præcipua illius capita, mortem, sepulturam, resurrectionem Servatoris, & fluentem hinc resuscitationem mortuorum, v. 3 - 13. Consequentia deducit ex non credita resurrectione, quibus falsis hæc quidem certissima esse debet, v. 13-20; ostenditque arctissimum resurrectionis Servatoris & mortuorum nexum, v. 20-28. Cum quibusnam igitur, quæso, hominibus hac tractatione Apostolo nostro est negotium? Illosne confutat, qui Evangelio fidem denegabant? An hos potius in fide sua confirmat, qui in ea adhuc stabant, v. 1, sed in periculo versabantur, ne ab incredulis, in Sadducæismum relapsis, abducerentur, v. 13? Illo quidem casu, quænam vis probandi omnibus reliquis Apostoli argumentis inesset? Quid probaret Servatoris resuscitatio & fluens hinc certitudo præconii Apostolici & fidei Corinthiorum? Non

erat

erat igitur Apoſtoli animus, confutare rationibus ſuis Sadducæos, aut in Sadducæiſmum actu relapſos; ſed confirmare converſos ad Evangelium & ad fidem in Chriſtum, quibus cum non ex œconomia legis, ſed ex Evangelio colloquitur. Hac ratione ſolvi poſſe exiſtimo dubium, quod moveri hic poterat, & moviſſe videtur (colligo id ex recenſione) haud ita pridem cl. BERTLINGIUS, explicationi ſuæ inde robur conciliaturus, quod, ſi de baptiſmo Chriſtianorum verba noſtra interpretemur, vis probandi non adſit; quod de omnibus interpretationibus adhuc in medium prolatis affirmat. Viciſſet Vir ſumme venerandus, ſi cum Sadducæis nondum converſis nec Evangelio fidem habentibus Apoſtolus ageret. Sed tum idem dubium ad reliqua ipſius argumenta moveri poſſet, neque id niſi eadem reſponſione ſolvi poſſe videretur. Colligimus igitur, quum Apoſtolus reliqua ſua argumenta ex Evangelio deſumat, etiam ex *baptiſmo* Chriſtianorum ipſum potuiſſe derivare novum ad confirmandos Corinthiorum ſuorum animos. Noverant hi & edocti erant, quid baptiſmus ſignificet, quid obſignet & promittat, neque eum incaſſum nec prudenti absque conſilio inſtitutum atque adhuc adminiſtratum eſſe. Quis enim credat, baptizatos eos fuiſſe, antea de vero

hujus

hujus cærimoniæ ſignificatu non eruditos? Quodſi igitur hoc norant, atque eo conſilio baptizati fuerant, quo ſollemni ratione edocerentur, quam utilitatem felicitatemque fides in Evangelium & Servatorem credentibus afferat: poterat ſane Apoſtolus ad ſignificatum baptiſmi provocare, eumque tanquam ſignum & ſigillum reſurrectionis corporum certiſſime futuræ, adeoque tanquam novam rationem, qua reſurrectio probatur, proponere. Vis ergo in demonſtratione jam adfuiſſet, etiamſi argumentum ſuum propoſuiſſet his tantum verbis: *quid facient baptizantes, ſi mortui plane non ſuſcitantur? Quid etiam ſunt, qui baptizantur?* Sed placuit Apoſtolo illud prudenter addere, quod apud Corinthios in uſu fuit, cujusque ſignificationem ipſi haud inficiari ſunt, ſcil. morem, baptiſmum ſuper ſepulchris defunctorum adminiſtrandi. Sicut enim hic ritus id tantum ex doctrina hujus ſacramenti proponebat, quod ſcopo Apoſtoli inſervire potuit: ita etiam idem ritus totum argumentum ex baptiſmo deſumtum uno veluti verbo ante oculos ponebat. Aliam, quæ pari modo, ut hic baptiſmus ſuper mortuis, ſub oculos cadebat, demonſtrationem nectit in ſequentibus; dum Corinthiis continua ſua pericula & miſerias enar-

enarrat, quas plane imprudenter atque inutiliter ſubiret, ſi nulla ſit poſt mortem exſpectanda vita mortuorumve reſuſcitatio. *)

*) Ingens jam adeo ſylva eſt Diſſertationum ad vexatiſſimum hunc locum, ut opus haud videri poſſit eandem ampliare. Verum, qui Diſſertationem *pl. Reverendi & Doctiſſimi* AUCTORIS legent, licet novam non protulerit ſententiam, cum voluptate videbunt, eum tamen illi, quam adoptavit, lucem ex ipſo textu conciliaſſe haud contemnendam, quam fruſtra, quantum memini, apud alios quæſiveris. Sic juvat accuratius locorum difficilium examen! Sæpius unus defixus hæret in eo, quod plures ſupini prætermiſerunt.

N. B.

V.

J. C. HARENBERGII DE PHOTII ETYMOLOGICO MAGNO AD M. REV. NICOLAUM BARKEY DIATRIBE EPISTOLICA.

Humanitatis Tuæ præsidium & in eam fiducia me monet, ut Tibi, de rebus litterariis rarioribus nonnunquam ad me per litteras commentanti, nonnihil rescribam, siquid deprehendere mihi licuit, quod tua attentione mihi dignum videtur.

In præsens obversatur mihi occasio de *Lexico*, quod græcum est & vulgo patriarchæ Constantinopolitano sæculi noni PHOTIO tribui solet, differendi. Vendidit Manuscriptum, hoc titulo insignitum, MARQUARDUS GUDIUS & *bibliothecæ Wolferbutelanæ*, regente quartam Ducatus Brunsuico-Luneburgensis partem AUGUSTO, super æthera noto, ejusdem bibliothecæ auctore & amplificatore, tradidit. An hic quidem fuerit bonæ fidei venditor, non disputo. Fefellit

Fefellit ipſe tamen publicam ſpem eruditorum, dum Etymologicon græcum ſuum venditavit pro eo, quod *bibliotheca* Ven. BURTONI, *Præpoſiti Collegio Oxoniæ*, nunc in Anglia adſervat, ex bibliotheca TH GALEI ſcilicet, per totum orbem olim illuſtris. Majus ſtatuit Etymologico ſuo pretium, majorem uſum, *Gudius*, quam ei adprobare calculo ſuo poſſunt, qui illud in bibliotheca Ducali *Wolferbuttelana* examinarunt, atque ad verbum perpendere ſtuduere. Perſtat numquam non principatus *Etymologici magni*, quod FRID. SYLBURGIUS publicavit, a mendis repurgavit & perpetuis illuſtravit notis, anno 1710. Venetiis in forma maxima recuſum. Elogia in hanc editionem ac Etymologicon ipſum merito effuderunt Editores *Actorum Erudit. Lipſ.* 1713, pag. 484, JOANNES ALBERTUS FABRICIUS in *Biblioth Gr. Vol. VIII, p. 620. ſ.* atque alii. *) Eſt in manibus editio, ex officina

*) *Etymologicum hoc Magnum*, quod jam inter libros rariores numeratur, recudi curabit V. C. LUDERUS KULENKAMPIUS, *Philologus Ordin. Goettingenſis*, Obſervationibus & locis Auctorum Græcorum refertiſſimum. Ab Amico hoc Doctiſſimo optima quæque exſpectamus, utpote qui Græcas Litteras nocturna diurnaque manu verſavit. Speeimen futuræ editionis mox evulgabit, quod D. V. bibliothecæ huic inſeremus. *N. B.*

cina *Commeliana* anno jam *1594. fol.* evulgata. Habent Etymologica graeca id vitii, ut nomina peregrina saepius ex fundo Graeciae velint eruere, quo nomina ac verba graeca primitiva ex fontibus irrito labore deriventsuis novis, ut a librariis passim minus curate fuerint descripta. Ab his naevis id, quod in bibliotheca *Wolferbuttelana* visitur ac in praesens in *Gottingensem* Academiam commodati titulo ad breve tempus discessit, non est immune.

In Catalogo *Bibliothecae Gudianae* haec leguntur p. 539: "Photii, Patriarchae Con-"stantinopolitani, Etymologicum Magnum. "Codex chartaceus, duobus voluminibus "in forma quarta, majore quam vocant, iis-"que satis spissis constans, rarissimus sane "ac praestantissimus, quo graecae literaturae "thesaurus incomparabilis continetur. Uni-"cus tantum illi similis hactenus innotuit in "Anglia fuitque penes Thomam Galeum, "valde quidem crassus, teste ejus ad Mar-"quardum Gudium epistola, literis quadra-"tis in membrana manu antiquissima, non "tamen satis accurate, scriptus. Deesse illi "etiam in fine quaedam *) suspicabatur Ga-"leus. Prima pagina prae vetustate paene "evanuerat. Desiderabat igitur hujus Co-"dicis, quem in bibliotheca Gudiana serva-"ri

*) Lacuna est inter ὕμενδ & ψιλοκόρης.

"ri Henricus Oldenbergerus ex literis, ab "illustri ejus possessore sibi transmissis, Galeo "significaverat, collationem, constituto se- "questro Danielo Elzevirio bibliopola Am- "stelodamensi, qui mille florenorum sum- "ma de eo mature reddendo caveret. No- "stro codici in fine nihil deest. Præfatio "autem, cujus Galeus meminit, non ad- "paret. Inscriptio & initium est hoc: "Σὺν Θεῷ Ἀρχὴ τῆς κατὰ στοιχεῖον ετυμολογίας. "Ἀρχὴ τοῦ Α στοιχείου. Ἀδολεσχετλαστικὸν ἐπίρρη- "μα παρὰ τὸ βάλλω. Lectio hujus libri "perdifficilis est ob literarum compendia, "quibus totus est conscriptus. Editionem "ejus studia græcæ linguæ magnopere juva- "re atque ad innumera autorum loca emen- "danda, restituenda, explicanda inseruire "posse, nemo dubitaverit, cum totus in "tradendo & exponendo genuino vocum "græcarum sensu versetur."

Collatio illa, olim tentata, tandem de- nuo seriis Anglorum votis fuit expetita. Transmiserunt igitur Viri quidam græce do- ctissimi ex Academia *Oxoniensi* exemplar, fidelissime ex Codice *Galei* descriptum, ad Viros græce eruditos *Brunsuicum*, ut per hos collatio illa perageretur. Nulli igitur labori parcere mihi licuit, ut Britannis græ- cæ litteraturæ statoribus ac ornamentis, quantum in viribus meis esset situm, inser-

virem atque collationi illi manus accommodarem. Inſpexi haud indiligenter exemplar illud deſcriptum, cui jam adjunxerant Viri græca admodum callentes ac in ſcriptis Græcorum verſatiſſimi adnotationes, e regione contextus ſcriptas, in quibus præcipue notata ſunt loca, e quibus Etymologicon ipſum coaluit, & quæ in hoc paſſim repetuntur. Emendarunt eidem varia vocabula, quibus librarius intulerat menda, uſi aliorum Etymologicorum & *Manuſcripti Codicis Bodleiani* ſubſidiis ita, ut opus ipſum prelo tandem poſſit ſubmitti & glorioſe in lucem exire publicam. Codex *Galeanus* habet Præfationem, & caret eis, quæ ultra υ addi debebant usque ad φιλοκόρης, ac in fine indicio anni, quo deſcriptus fuit; *Gudianus Wolferbuttelanus* caret præfatione, & in fine adſcriptum habet annum 1293, qui non ad collectorem primum, ſed ad ſeriorem librarium eſt referendus. Codex, a *Thoma Gale* cognominatus, lacuna laborat magna ac dolenda. Deſunt enim in eo omnia poſt expoſitionem vocabuli ἀδιάκριτος usque ad vocabulum ἐπώνυμοι. Sed in Codice *Gudiano* nihil deeſt, quin potius ei ſubjunctum eſt *Lexicon Syntacticum* inſtar Tomi alterius, breviſſimi tamen, & tantummodo indicantis, quibus cum caſibus conſtruenda ſint verba, non omnia quidem, ſed ea, ad quæ poterat

rat adhæreſcere dubitatio. Dare liceat exemplum. Βασιλεύω. ἰσέον ὅτι τὸ βασιλεύω ὅταν μὲν σημαίνει τὸ ἐξουσιάζω γενικῆ. ὡς τὸ βασιλεύσει ὁ ἅδης τοῦ γένους τῶν βροτῶν. τὸ δὲ βασιλέα ποιῶ, αἰτιατικῆ. τὸ σῶσαι καὶ βασιλαῦσαι τὸν καλῶς σωθέντα καὶ βασιλεύσαντα. καὶ τὸν υἱὸν Κὶς ἐβασίλευσεν, ἀντὶ τοῦ βασιλέα ἐποίησε. Lexicon hoc ſyntacticum abeſt a Codice *Galeano*. Ut verbo dicam, quæ ſentio; *Codex Galeanus a Gudiano Wolferbuttelano eſt diverſiſſimus*. Deſtinatam igitur a me collationem res ipſa irritam reddidit. Collocutus fui cum Viro Clariſſimo JACOBO IRIDERICO HEUSINGERO, *Rectore Gymnaſii Wolferbuttelani*, de hoc argumento, quippe qui non ſolum in græcis litteris eſt verſatiſſimus, ſed Codices etiam bibliothecæ Ducalis diligentiſſime verſavit. In primis rationem ex eo quæſivi, cur *Gudius* Etymologicon illud *Photio* tribuerit. *Heuſingerus*, qui id penitus perlegit, reſpondit, nullum in eo Codice fieri de autore ſeu collectore indicium; *Gudium* vero ea venditione vel inhiaſſe quæſtui, vel ab alio ad eam fuiſſe imperite inductum. Collector omnino haud ſecus ac collector *Lexici*, quod *Thomas Gale* habuit, fuit Chriſtianus, quemadmodum ex notatis ad vocabula τροπῆς ἀπόσκιασμα in *Galeano*, & in *Gudiano* ad

vocabulum *baptiſma* & aliunde ſatis elucet. Deſcripſerat *Heuſingerus* ex Etymologico *Gudiano* ante aliquot annos omnem litteram B ex Tomo utroque, & communicaverat deſcriptum exemplar illud cum Cel. Profeſſore, qui *Academiam Lugduni Batavorum* ornat, addita vel potius ſubjuncta hac epiſtola:

"Ecce Tibi, Humaniſſime *Rhunkeni*, "ſpecimen, quod deſiderabas, Lexici ety- "mologici bibliothecæ Guelpherbytanæ. "In chartis illud, forma fere quadrata, duo- "bus voluminibus ſcriptum eſt. Photii no- "men nusquam præfert Codex, niſi quod "bibliopegus, fortaſſe Gudii juſſu, litteris "auratis illud ligaturæ impreſſit, & ſche- "dulæ, frontibus voluminum adglutinatæ, "Gudii ejusdem, niſi fallor, manu ſcriptae, "Photio hoc opus tribuunt. —— Scriptus "eſt, quod in fine operis etymologici ad- "ditum legitur, μηνὸς Φευρουαρ. ιη ἡμέρ. δ "τῆς ἰνδικτ. ϛ ἔτ., ϛωα. h. e. anno Chriſti "MCCLXXXXIII. Multitudo compendio- "rum ſcribendi litterarumque ductus ambi- "tioſi codicem præ aliis lectu difficilem fa- "ciunt. Quæ TIBI ex eo deſcripſi (totam "litteram B), totius libri partem efficiunt "duodequadrageſimam. Conjecturas nonnul- "las margini adjeci, ne diligentiæ meæ de- "ſcribentis fortaſſe diffideres. Plura adje- "cturus fuiſſem, ſi mihi, quum iſta ſcribe- "rem

"rem, Etymologicum Magnum ad manus "fuisset, & si tempus mihi fuisset operose "omnia excutiendi."

Rescripsit Cl. DAVID RHUNKENIUS præter alia id, quod huc quam maxime facit:

"Miratus sum, Gudium aliosque illud "tamquam Photii Lexicon venditare po- "tuisse. Est enim Etymologicum, ab edito "quidem diversum, sed nec antiquitate nec "eruditione cum eo comparandum. Idem "in variis bibliothecis supereſt, ut in Ant- "werpiensi, Ultrajectina & Parisina, in qua "ipse ante hos tres annos illud diligenter "excussi. —— —— 1763."

In Codice Manuscripto, quem *Thomas Gale* habuit, nomen *Photii* omnino præmissum præfationi adparet hoc modo: Φωτιϑ τϑ ἁγιωτατϑ Πατριαρχϑ Κωνσαντινϑπολεως λεξεων συναγωγη, ἀι μαλλον των αλλων ῥητορϑε και λογογραφοις ανηκϑσιν επι χρειαν. Προσπεφωνηται δε Θωμα πρωτοσπαθαριῳ και αρχοντι τϑ λυκοπαμιϑ οικειῳ μαθητη.

Præfationis inde consequentis hoc est initium:

Προλογος τϑ λεξικϑ, δι ὡν ῥητορων τε πολλοι και συγγραφεων εξωραιζονται μαλιϑα.

Α, των λεξεων πλειϑς, περι ἁς το πολιτικον νεμεται ἐθνος, εις το ωφελιμωτατον τοις βϑλομενοις προσεχειν, Διογενιανῳ συνελεγησαν. Ει γαρ και πολλοις αλλοις

εστι νυν ἡκειν την ισην και ὁμοιαν πραγματειαν ενεγκασθαι. αλλ' ὁσαγε εμε ειδεναι, ουδενι των προτερων ὁτος περι τον ειρημενον πονον ἐξεσται· - - - δε ῥητορων τε και λογογραφων αττικιζουσι γλωσσαν. και απο - - τον υκ εὐ τα λογον - - χειθαι μετρῳ συντελειν εισιν ευ πεφυκηαι. Sufficiant hæc. Utinam ſingula potuiſſent poſſentque legi, ut ne lacunis inter deſcribendum locus debuiſſet dari.

Docta manus adſcripſit hæc ad exemplar, e Codice deſumtum factumque: "Notandum eſt, *Diogeniani* eſſe *Lexicon* "*proverbiale.* Iſtius unum exemplar repe- "ritur in *Bibl. Reg. Galliæ*, alterum in *Bibl.* "*Bodl.* Iſta tamen duo exemplaria differre "audivi."

XIV. Lexica manuſcripra græca recenſuit BERNARDUS MONTFAUCON *in Bibliotheca Coisliniana* p. 457, ſ. Conf. *Acta Erudit. Lipſ* 1715. p. 484. Jamtum igitur fortaſſe, Vir maxime Reverende, mihi occines illud, manum de tabula, monens *Gloſſarium Joannis Damaſceni*, quod Bibliotheca *Bernenſis* intra Helvetiam in Manuſcripto habet, reliquis excellere univerſis.

Permittas vero velim, ut ex Codice *Galei* tranſcribam nonnihil ad epiſtolam *Jacobi Apoſtoli* græcam.

Ad

Ad c. I, 4. Ὁλόκληρος. οἱ ἄρχοντες ἐνδοκιμαζονται, εἰ ὁλόκληροί εἰσιν. Hinc nihil definitionis erui potest.

I, 6. Κλυδωνιον. Κῦμα καὶ κλύδων. ἄμφω Θουκυδίδης β. Καὶ τὰς κώπας ἀδύνατοι ὄντες ἐν κλύδωνι ἀναφέρειν. Locus legitur II. 85. Manuscripta ibi habent ἐν κλυδωνίῳ. Sensus est: *remos in maris agitati fluctibus attollere haud poterant.*

Ῥιπὰς, ἀνέμους συστροφή. ῥιπῆς, ὁρμῆς, Φορᾶς, βολῆς. ῥιπίζεται, περικάιεται. Mendum insidet verbo postremo. Substituendum videtur περιπάιεται.

I, 17. Τροπῆς ἀποσκίασμα. ἀντὶ του ἀλλοιώσεως καὶ μεταβολῆς ἴχνος καὶ ὁμοίωμα φαντασίας. Obscura hæc sunt nimis & late patentia, transscripta ex Exegeta Christiano imperito.

I, 22. Παραλογισμός. ἀπάτη λογισμοῦ. παραλογιστής. ἀπατῶν. Autor ipse videtur paralogissimum admisisse, dum scripsit, non dicendum esse omnino κατ' ὄναρ, hoc enim esse barbarum, dicendum vero ὄναρ, κατα τους ὕπνους.

Ad c. I, 26. Θρησκεύει. θεοσεβεῖ. ὑπηρετεῖ τῷ θεῷ. Quod additum est θρῆσκος, ἑτεροδοξος, videtur mendosum.

III, 6. Τροχιοδεῖσα. βασανιοδεῖσα ἀπὸ τοῦ τρόχου, ὅπερ ἐστὶν ὄργανον βασανιστικὸν διατεῖνον τὰ σώματα. In his nihil notari potest.

III, 11. Οπη. δι' ἧς ἐστιν ἰδεῖν. ἐνθεν καὶ ὀπήτιον. Notionem foraminis, etymon secutus, autor limite nimis angusto definivit, ut haud raro fecit. Ita interpretatus est καταβολὴν per περιοδικὴν λῆψιν πυρετοῦ.

III, 17. Ἀδιάκριτος. ἀδιαχώριστος. λαμβάνεται δὲ ἐπὶ τῶν μὴ γινωσκόντων τὰ δέοντα, ἢ ἀφρόνως φλυαρέντων. Nihil horum ad omnia scriptorum loca quadrat universe. Ad recentiorem ætatem ille spectat significatus. De aliis vocabulis ibi expositis pariter sic est sentiendum. Ita ἵλεως exponitur per εὔθυμος. Huc refero illud præterea: Ιόνιον πέλαγος, ὁ νῦν ἀδρίας. Olim enim Pauli ætate mare Adriaticum terminabatur desuper montibus Acroceraunis & Hydrunte.

Ad

Ad c. V, 5. Σπαθᾶν. ἀναλίσκειν. Generalior juſto expoſitio.

V, 13. Κακοπαθεῖν. στρατεύεσθαι. Qui vitam agitant militarem adverſus hoſtes in caſtris, eorum eſt mala quævis inevitabilia perpeti. At quicunque mala ferunt ſibi illata, ideo nec ſunt in exercitu nec in bellis verſantur.

Uſus Lexici conſiſtit magis in illuſtrandis ignotioribus veterum Poëtarum ac auctorum verbis tandem obſoleſcentibus, quam in evolvendis notionibus, quas cum vocabulis utriusque inſtrumenti copulare oportet.

Non poſtulare poſſum nec debeo, Vir præſtantiſſime, ut hiſce meis judiciis ſuffrageris. Judicium Tuum, quod Tibi per me eſt & perſiſtit ſalvum ac intactum, ea ſuppleat, obſecro, quæ ego per celeritatem, ad magis ſeria evocatus, in chartam conjeci.

Si per Te liceat, ad *Gudianum* Codicem paucula commentabor. Autor Codicis ſeu collectionis, niſi magnopere fallor, in exoticis vocabulis plerumque labitur: Geographica, quæ habet, plerumque haud ſunt fidei plena: in ſignificatibus vocabulorum expoſitis non reſpicit ad omnem latitudinem

dinem, ad quam illi patent. Qui Codicem descripsit, dictantem secutus, pronuntiationem & aberrationem hujus fecit amussin suam, pro veteri more, variantium lectionum patre divite. Ex hoc fonte quadruplici varii scatuerunt errores. Taceo jam communem Etymologorum Græcorum consuetudinem, qua ipsi in avios deducti calles nomina & verba primitiva ex sola Græciæ lingua deducere studuerunt. Dabo exempla, si patientia Tua uti poteris, ad hoc argumentum congruente. Exotica pauca adferam. Babylonem autor putat dictam esse ex *Belo* seu *Bal* & repetita syllaba *ba*. *Baal* ipsi est Mars, Deus belli præses. Vocabulum *barbaros* deducit ex græco Βάρος, quasi vocabulum id conflatum sit ex βαρύβαρος. Vocabulum Βάρις, quod est Orientale *birah*, ducit ex Βάρος, *gravitate*. Vocabulum *Bacchus* deducit ex clamore saltantium ac sono tympanorum & cymbalorum in sacrificiis, ἀπὸ τῆς βοῆς. Bellonam Deam, Βελόνην, putat dictam ex βαλλειν, *jaculando*.

Geographica non semper tractat feliciter. *Byzantium* credit nomen accepisse ex Rege Thracum *Byzante*. *Babylonem* dicit urbem Syriæ. *Brundusium* ex cervo, olim dicto *brendos*, adpellatum fuisse credit, ac regionem esse tradit. Vo-

Vocabula non congruenter universo significatui evolvit. Huc refer illud: Βάλλω σημαίνει τὸ τοξεύω. At significatus *jaculandi* nec est generalis, nec omnis illius verbi potestas & significatus ita dilucet.

Librarius, dictantis pronuntiationem secutus, scripsit βάβεξ pro βάβαξ, Βαλεῖαι pro Βαλίαι, ἐγκοιτώνων pro ἐγχειτώνων, σαίτται pro σαγίτται. Sæpius non adsecutus fuit dictantis ultima vocum. Atque inde omisit vocabulum unum & alterum, ac peccavit varie in termino seu syllaba vocabulorum extrema. Dictanti litteræ fugientes nonnunquam imposuerunt, ut vocabula aliquot vel legerit male vel omiserit prorsus.

Codex *Thomæ Gale* præferendus est *Gudiano*. Paucioribus enim mendis laborat ac majori cura per librarium descriptus fuit. Nec tamen ab omnibus nævis mansit liber. Legitur in eo Ἐρυθαίνει, πυρὸν ποιεῖ pro πυῤῥὸν ποιεῖ, *rubrum facit*, ut in *Hesychio* optime est πυῤῥόν. Ἐσκήνησαν librarius scripsit pro ἐσκήνωσαν, ἐσδραγύλιξον pro ἐσδραμύλιξον, *curre introrsum*. Legitur in eo ἁμαρτία loco ἡ μαντεία, ἀικιζέτω pro δικαζέτω, &c. Nonnunquam ex LXX

voca-

vocabula adferuntur, ſenſum ſingularem nacta. Ita illud ἐτελέθησαν Pſ. CV, 28, interpretatus fuit Lexicographus per ἐμιάνθησαν, μετέσχον τῆς μιαρᾶς συνεσίας. Abſtinuit ipſe ſe propemodum ſemper ab inſanis etymologiis, quæ plerumque Etymologica græca obruerunt. Ex *Calliſthene* refert, duos fuiſſe in Aſſyria *Sardanapalos*, unum fortem & prædicandum, alterum vero mollem & effeminatum. Addit *Anchialum* Ciliciæ poſtea dictam fuiſſe *Zephyrion*. Σηκινὶς ipſi eſt *ſatyrica ſaltatio*. *Siclum* æquiparaſſe octo obelos Atticos, ex *Xenophonte* tradidit. Multa egregia huic Codici inſunt, quæ editionem ejus ſuadere ac perſuadere poſſunt eruditis. Paſſim is ex Lexicis aliis emendandus eſt, illisque emendandis viciſſim inſervit.

Uſibus exegeticis, fatebor enim, magis inſerviunt Lexica duo græca *Cyrilli* manu ſcripta, quorum in *Bodlejana* inter Codices *Baroccianos* unum, alterum vero in Ampliſſimi Senatus *Bremenſis* bibliotheca adſervatur. Mirum eſt, plura dari præter hæc ejusmodi *Lexica Cyrilli*, ſed ſingula fere invicem admodum diſcrepare. Ex Veſtro Codice & Barocciano atque *Trommio* perpetuaque græci Veteris Noviquæ Inſtrumenti lectione meus quondam amicus, cujus

jus memoriam nunquam obliviscor, JOANNES CHRISTIANUS BIEL, defunctus Brunsuici vergente anno 1745, concinnavit *Novum Thesaurum Philologicum, sive Lexicon in LXX. & alios Interpretes ac scriptores V. T. apocryphos.* Communicavit cum orbe erudito jam anno 1740 *Specimina* hujus novi Thesauri in calce *Exercitationis de Lignis ex Libano ad templum Hierosolymitanum ædificandum petitis*, Brunsuici tunc edita in 4. Hæc Te, Amice præstantissime, non facile fugiunt. Adjungam tamen aliquid prorsus novum. *Thesaurus* ille jam in manibus est Viri Magnifici & de græcis litteris maxime optimeque meriti JOANNIS AUGUSTI ERNESTI, ac spes est non malesida, fore ut is tandem, siquidem ab Autore ante obitum extrema manus admota fuit huic operi saluberrimo, in dias luminis auras producatur.

At satis disserui de Lexicis græcis manuscriptis. Supereſt jam mihi nihil, quam ut Tibi salutem omnigenam comprecer, Tuoque favori me commendem. Ita vale. Brunsuici ad XX. Junii MDCCLXIV.

VI.

VI.

STATUS COLLATIONIS HEBRÆORUM VETERIS TESTAMENTI CODICUM

MANU EXARATORUM,

QUALIS FUIT SUB FINEM ANNI

AB INCEPTO OPERE TERTII 1762,

DELINEATUS

A

BENJAMINE KENNICOTT,

S. TH. D. ET SOCIO COLLEGII EXETERANI *)

Nomen ſuum ſubſcripturi adeant ſequentes Bibliopolas, *Fletcher* & *Prince*, Oxonii, *Thurlbourn* & *Woodyer*, Cantabrigiæ, *Rivington*, *Payne* & *Dodsley*, Londini.

Cum opus hoc communi Religionis Revelatæ commodo inſerviat, & auctores ejus

*) Lectoribus extra Angliam eruditis haud ingratum fore arbitror, heic exhiberi nunquam ſatis laudandi *Inſtituti Kennicottiani* enarrationem,

ejus haud parum, nec ſine honore, ad urgendum illud excitati ſint, de re videtur, ut eos, qui Nomen ſuum SUBSCRIPSERUNT, ſub finem cujusque anni certiores reddamus, quosnam in opere illo fecerimus *progreſſus*, atque in quantum *ſubſcribentium* numerus auctus fuerit. Quod ad utrumque, quantum ſatis, cum Mæcenatibus meis his paginis auſpicato anno quarto communicabo. Liceat autem

tionem, qualis ſub initio fuit anni 1763, ab ipſo celeberrimo KENNICOTT *Anglice* conſcriptam, præſertim cum jam *Bibliothecae hujus Cl. III p. 380.* priorem hujus Moliminis enarrationem inſeruerimus & cognoverimus illam plerisque fuiſſe gratiſſimam. Datam ibidem fidem itaque hoc ipſo ſolvimus, adjuti, quod grata mente agnoſco, auxilio Amicorum quorundam, quos amo & veneror, qui, Linguæ Anglicanæ gnari, enarrationem hanc Latio ſermone interpretati fuerunt. Et ſane digniſſima ſeculi noſtri res eſt, quæ univerſæ reipublicæ Litterariæ ſacratioris intereſt, & quibuscunque eruditis communicanda. Videas hic porrectas undiquaque Principum Virorum & eruditorum quarumcunque in Europa regionum & religionum manus, tum munificas tum impigras, certatim quaſi allaborantes, ut opus hoc tam perfectum evadat, quam potis eſt. — Inſignem præterea uſum præſtabit *Manuſcriptum Hebraicum*, quod Docti illi Viri, qui ex mandato & munificentia *Potentiſſimi* DANORUM REGIS ad promovendas varias ſcientias

autem mihi maximas referre gratias tot SOCIETATIBUS, VIRISque tam ardenti religionem & litteras ornandi ſtudio, quam ordine & munere ſuo conſpicuis & eminentibus, quod conatibus meis favere, meque auxilio ſuo benigniſſime juvare voluerint. In primis officioſiſſime agnoſcendus eſt honor, quo opus hoc dignati ſunt Academiæ OXONIENSIS, CANTABRIGIENSIS atque DUBLINENSIS; ante omnia autem æſtimandus eſt honos, qui huic operi ex religione, munificentia & patrocinio REGIÆ MAJESTATIS accrevit.

Uti-

in Orientales terras peregrinati fuerunt, quorum ſicuti laudavimus ſtudium & ardorem litteris inſerviendi, ita eorundem triſtiſſima fata deploramus, ex *Ægypto* Haſniam miſerunt, quodque magnopere laudatur ab eis, quibus illud luſtrandi copia data fuit.

Indicavi *B. B. N. l. c. p. 382.* latere in Bibliotheca cl. C. IKENII, *filii, Prof. quondam in Lyceo Bremenſi LL. OO.*, Quatuor Codices Manuſcriptos Hebraicos. Nunc addo, hos Codices ſibi comparaſſe S. v. & cl. JO. PET. BERGIUM, *Theol. & LL. OO. in Academia Tuiscoburgenſi Profeſſorem*, qui ſe collationem horum Codicum inſtituturum eſſe promiſit. Nulli quoque dubitamus, quin ſi Variantes invenerit notatu dignas, easdem cum indicio ætatis Codicum ſit communicaturus.

N. B.

Utilitas ejusmodi moliminis omnibus illis erit evidens, qui ſequentia adtenta mente conſiderant. —— Id ſc. agimus, ut Textui *Veteris* Teſtamenti eandem operam impendamus, quæ textui *Novi* Teſtamenti non ſine omnium adplauſu data eſt. Accedit Textum Hebræum, licet tanti ſit momenti & ponderis, ita typis expreſſum eſſe, ut illum nobis *recentiora* & *infimæ notæ* Manuſcripta exhibuerunt. —— Conſervata autem hactenus ſunt feliciter permulta *antiquiora* Manuſcripta, ab ejusmodi recentiorum Codicum mendis libera, majorem hanc Revelationis partem nativo, quo fulgere debuiſſet, lumine privantibus: Manuſcripta dico, quæ lectiones exhibent tam nexui ſermonis quam *Veterum Verſionibus Novoque Teſtamento* magis congruentes. —— Nihil itaque magis optandum eſt, quam ut ex pretioſis illis Manuſcriptis (quæ grandis jam conſumit ætas) nulla interjecta mora tot colligantur Variantes Lectiones, quot inveniri poſſunt, eædemque dein accurate deſcriptæ divulgentur.

Quod attinet Manuſcripta Hebraica, eorum in Notitia, quæ ſub finem anni 1661 prelo exiit, *Novem* memorabantur, quæ hactenus eruditis non innotuerunt. His ſi addas jam antea nota, in totum Codices Manuſcripti *Centum & Novemdecim* in Magna

Britannia & Hibernia numerantur. Magnus hic ſacerque Theſaurus collectus & ex omnibus mundi partibus conquiſitus nuper alio Manuſcripto Hebraico, *Conſtantinopoli* emto, auctus eſt: Illo ſc. Manuſcripto, quod magna cura & opera JACOBI PORTER, Legati Regii acquiſitum eſt. Debeo illud liberalitati Viri Illuſtris, cui pro inſigni dono me devinctum publice profiteor. Nunc autem illorum Manuſcriptorum numerus eſt 121, ſi exemplar addas Bibliorum Manuſcriptum, quod, ut audivimus, ſecum ex Gibraltaria allatum poſſidet Cl. *Chalmers*, *Auldbariæ* in Scotia degens.

Intra ſpatium duorum ab incepto opere annorum non alia collata ſunt Manuſcripta Hebræa (in Anglia), niſi quæ OXONII reperta fuere, in qua Academia plurima adſervantur, & inter illa quædam eximiæ vetuſtatis maximique valoris. At vero ſequens annus, qui erat *Tertius*, fere totus tritus eſt comparando Manuſcripta Hebræa, quæ CANTABRIGIÆ loca tuta invenerunt; & hæc quidem omnia, licet *Novem* conficiant ſpiſſa Volumina, intra illius tamen anni ſpatium collata ſunt. Hoc loco non poſſum non illuſtri huic Academiæ gratum animum teſtari pro inſigni favore, quo mihi unanimi Senatus conſenſu conceſſerit, Manuſcripta hæc mecum Oxonium transferendi. Inde factum eſt,

eſt, ut collatio omnium & ſingulorum majori cum otio, & quod magis eſt, celeritate peragi potuerit. Verum enim vero, licet ſatis amplum eſſet, quod nobis datum erat negotii, collata tamen ſunt inſuper anno præterlapſo *Duo* Manuſcriptorum Volumina formæ maximæ, quæ mihi ab eruditiſſimo *Roterodamenſium* Syndico, Illuſtri MEERMANNO amice miſſa fuerunt.

Memoratis Manuſcriptis jungenda, & tanquam anno præcedente collata cenſenda ſunt omnia hac occaſione *exterorum* diligentia comparata. Cum enim ad opus hoc perficiendum multum ſtudii & operæ domi adhibebamus, jungendo nobis ad illud hoc magis urgendum *quinque* ſive *Sex* laboris Socios, felici adeo ſucceſſu, ut dubitem an ſimilem unquam expertæ ſint Muſæ; Viri eruditiſſimi regionum ab Anglia & a ſe invicem longe diſſitarum, imo ratione religionis variis partibus addicti, laudarunt hoc inſtitutum unanimi ſuffragio, & ad *Revelationis*, quæ communis omnium cauſa eſt, *dignitatem* promovendam conducere uno ore confeſſi ſunt, præſtiteruntque mihi humaniſſime egregia auxilia, & benevole plura promiſerunt.

Cum autem multi magnique Mæcenates jure poſtulare queant, ut rationes reddamus, quanto ſtudio opus hoc extra An-

gliam promotum sit, & pauci illi, quibus forsan id minus placet, alias in dubium vocare possent, eruditos exteros illud magnopere comprobasse, illis satisfacturus sequentes hei c loci inseram Scriptiones. *Prima* sit testimonium Eminentissimi *Cardinalis* PASSIONEI, Mæcenatis mei, dum in vivis esset, omni honore prosequendi, sua manu, suoque sigillo confirmatum & proprio motu ROMA missum: Testimonium, quod non tanquam ab homine quodam privato profectum, sed a Viro latum, qui summo atque publico *Sedis Romanæ Cardinalis Bibliothecarii* munere functus est, existimandum. *Secundam* faciant Excerpta ex publicis Academiæ *Genevensis* Diariis, quæ mecum benevole communicavit *Generosissimus* MOUNT STUART.

Testimonium ROMANUM.

l'Entreprise d'une nouvelle Edition de la Bible, qui doit se faire à Oxford sur tous les Manuscrits Hebraiques, qui peuvent se trouver dans les plus celébres Bibliotéques, a trouvée ici autant d'approbateurs, que de personnes, qui en ont entendû parler. Et pour favoriser les Auteurs d'un si important Ouvrage, j'ai permis avec plaisir la Collation des anciens Manuscrits Hebraïques, qui se trouvent dans la Bibliotéque Vaticane; & je l'ai accor-

accordée en qualité de Bibliotéquaire de la Ste. Egliſe Romane. A. Rome ; ce ſeize May mil ſept cent ſoixante un.

D. Cardl. PASSIONEI,
Bibliot. de la S. E. R.

Teſtimonium GENEVENSE.

Extrait des Regitres de la Venerable Compagnie des Paſteurs & des Profeſſeurs de l'Egliſe de Geneve.

du Vendredi, 4 Decembre 1761.

Monſr. le Recteur, & Meſſrs. les Bibliothécaires ont raporté, qu'on leur a fait part d'un Projet formé en Angleterre pour la Collation des Manuſcrits Hébreux de l'Ancien Teſtament, & qu'on leur a demandé la communication de ceux, que nous pourions avoir dans notre Bibliothéque ; qu'il paroit par un Inprimé Latin, que le principal exécuteur de ce Projet eſt Monſr. Benjamin Kennicott, Maitre ès Arts a Oxford. Projet, pour l'exeecution du quel on ſe propoſe d'eclairer à bien des egards le Texte Sacré, & d'en aplanir les difficultes; que pour parvenir a ce but l'Autheur avoit deja pris des meſures pour puiſer dans les principales Bibliòthéques de l'Europe, & qu'il avoit des aſſurances qu'elles lui ſeroient ouvertes. Sur quoi opiné, la Ven. Com-

pagnie a reconnu unanimement toute l'utilité, qui peut reſulter de l'execution de ce Projet, & combien il importe de faire par raport aux Livres de l'Ancien Teſtament ce qu'on a deja fait avec ſuccez a l'egard de ceux du Nouveau. Elle n'a pu qu'aplaudir aux louables intentions de l'Autheur, & de ceux qui s'intereſſent a la perfection d'un Ouvrage, dont on a lieu d'eſperer des grands avantages pour une plus parfaite intelligence des Livres Sacrez, & par cela meme pour la Religion; & elle eſt perſuadée, que cette Entrepriſe, qui fait beaucoup d'honneur au zéle de ſon Autheur, ſera généralement aprouvée. En conſequence Meſſrs les Bibliothécaires ont été chargez de communiquer ce qu'il pouroit y avoir dans notre Bibliothéque de relatif à cet objet.

du Vendredi, XI. Decembre 1761.

Monſr. le Recteur a demandé la permiſſion de communiquer Copie de la Deliberation ci-deſſus a Milord Mount Stuart, qui l'a deſiré.

Accordé

BUISSON, *Secretaire,*

In ultima præcedentis anni conaminum noſtrorum enarratione dictum erat, collationem Hebræorum Manuſcriptorum Bibliothecæ *Vaticanæ*, pro qua ex conventione 200 Libræ noſtri argenti ſolvendæ erant,

erant, ad finem perductam eſſe. Ciſta hanc collationem continens, ſalva in portum delata, medio ſuperiori anno mihi ſine ullis vecturæ expenſis tradita fuit; cujus rei hanc ob cauſam mentionem facio, ut Viro Honoratiſſimo PAULLO GAUSSENIO, *Magnario* Genevenſi, pro ſingulari ejus beneficentia memorem præſtem animum. Induſtria, quam ad hanc Collationem perficiendam impendit Cl. Profeſſor *Conſtanzi*, excitatus, illius curæ demandavi collationem aliorum quorundam Manuſcriptorum, tantam fere, quantam prior conſumſit, pecuniæ ſummam exigentem.

Nulli dubitamus huic Viro Clariſſimo facilem fore aditum ad perficiendum alterum illud opus, cum Patrocinium ſuum munificentiſſimum obtulerit mihi Eminentiſſimus Cardinalis SPINELLI, *Decanus & ſuperior Sacri Collegii;* cui ſummopere devinctus ſum, quod adierit NUNTIUM Papalem *Madriti* & Legatum REGIS CATHOLICI *Romæ* reſidentes, ut auctoritate ſua efficiant, quo nobis Catalogi concedantur Manuſcriptorum Hebraicorum in *Scorialicenſi* aliisque publicis in HISPANIA Bibliothecis adſervatorum. Grata quoque mente agnoſcimus, *Cardinalem* hoc tempore *Bibliothecarium*, Eminentiſſimum nempe Cardinalem ALBANI haud dedignatum eſſe per litteras

promittere, se ad promovendum hoc institutum omnem navaturum esse operam. Misit præterea gratiosissime Vir Eminentissimus omnium Manuscriptorum Bibliorum Academiæ BONONIENSIS Catalogum. Nec minus favore suo dignatus est opus Eminentissimus Cardinalis TORREGIANI, *Cardinalis a Secretis status*, qui mihi munificentissime auxilium, ubicunque illius indigerem, pollicitus fuit. Denique Viri Doctissimi, Bibliothecæ Vaticanæ Præfecti, Clarissimi ASSEMANNI, pro ea qua solent humanitate, ultimam Collationem examinaverunt, miseruntque *Testimonium*, omnia *accurate* & *fideliter* peracta esse, utrorumque nomine munitum. Quod magis est, fidem suam dederunt se, ut hactenus fecerunt, collatoribus laturos esse suppetias.

In superiori quoque notitia retulimus REGEM SARDINIÆ duobus Professoribus in gratiam operis nostri curam commisisse conferendi magni pretii Manuscripta Hebræa, quæ in *Regia* Bibliotheca TAURINENSI adservantur. Hujus itaque Collationis Specimen elapso Septembre a Cl. Professore *Pasini*, una cum litteris officio & favore plenis accepi. Et dum hæc scribo, novas a Viro Cl. accipio testantes, opus hoc tanta agi diligentia, ut modo laudati Professores jam *Sextum* Regiorum Manuscriptorum volumen conferre inceperint.

Cum

Cum FLORENTIÆ *Cl. Bartoli* & *R. Pater Berretta Vallombroſano* collationem Manuſcriptorum ipſis demandatam abſolviſſent, his iterum curam collationis aliorum Manuſcriptorum Bibliothecæ Imperatoris Florentinæ commiſi. Prioris Collationis Variantes quotidie exſpectantur; curæ enim amici cujusdam elapſo Novembri ab Excellentiſſimo HORATIO MANN, *Equite Aurato*, & ibidem Regis Magnæ Britanniæ Miniſtro, qui me ſibi multis nominibus devinctum tenet, concrediræ ſunt. Notandum quoque eſt, Inſtitutum noſtrum ab Equite laudato commendatum eſſe Ill. *Comiti* DE FIRMIAN, qui Ducatui *Mediolanenſi* præeſt; quo factum, juſſu ut Comitis de Firmian Eruditiſſimus *Henricus a Porta*, Hebrææ Linguæ in Illuſtri Schola *Ticinenſi* Profeſſor, Indicem Hebræorum Manuſcriptorum *Ambroſianæ* MEDIOLANENSIUM Bibliothecæ, omniumque reliquorum Ducatus hujus, noſtram rem promoventium, confecerit, quem ab Equite Horatio Mann, jam ab aliquo tempore ad nos miſſum, indies exſpectamus. *)

Litteræ

*) —— *De tali tantoque opere, laborioſiſſimo utique ac ſumtuoſiſſimo, ad exitum perducendo, tractantes Angliae Proceres, & Litterati, laudem profecto eximiam promerentur; plurimumque*

Litteræ Cl. *Vernet*, Profeſſoris *Genevenſis* deſcriptionem nobis exhibuerunt Duorum optimæ notæ Codicum Mſ. in Bibliotheca TIGURINA adſervatorum. Cl. Profeſſor *Breitinger*, cujus illa eſt deſcriptio, mihi in conferendis illis operam ſuam obtulit, quam ambabus manibus accepi; pollicitus me eadem ratione ſumtus laturum, quos alibi ad hanc rem impendi.

Collationem, de qua in ſuperioris anni relatione dictum eſt, quod *Hamburgi* ſit inchoata, diligenter urſit Cl. Profeſſor *Reimarus*. Collegerat Is duos Variantium Lectionum Faſciculos, quos accepi; ac digniſſimus hic Profeſſor nunc in eo eſt, ut quæ ad conferenda ibidem Manuſcripta adhuc reſtant, abſolvat.

Magdeburgo Amicus exoptatiſſimus, S. V. SACK, primus REGIS BORUSSORUM Concionator Aulicus, me certiorem reddidit Cl. Profeſſorem *Schultz*, ac Filium Cl. *Heinii*, Gymnaſii Regii Rectoris, examen nonnullorum Manuſcriptorum BEROLINENSIUM adgreſſos eſſe; ut & Cl. *Murſinnam*

rimumque commendandi etiam ſunt quotquot, ut idem perficiatur, amicam manum & opem adjungunt. ——

Prof. *A. Porta*, ad Comitem *Firmian*; d. 18 *Sept.* 1761.

nam nunc conferre Manuſcriptum, quod *Codicis Seideliani* nomine venit. Devinci-vit me quoque ſibi S. V. SACK, quod magnum mihi communicaverit Volumen, manu beati *Jablonski* exaratum, continens Variantes Lectiones & Obſervationes Textum Hebræorum illuſtrantes. Quanti Volumen hoc ſit pretii, ex Nominis hujus celebritate facile colligi poteſt.

Quoad LUTETIAM PARISIORUM Amicus meus officioſiſſimus laborumque' ſocius *Rev.* l'ADVOCAT mihi ſignificavit, in Bibliotheca Scholæ *Sorbonenſis*, in qua Profeſſoris Linguæ Hebrææ & Bibliothecarii muneribus fungitur, inveniri fere *Triginta* Manuſcripta Bibliorum Hebraica. Contulit jam Vir Celeberrimus horum Manuſcriptorum alia, alia autem nonnulla ad hujus Inſtituti commoda ſe examinaturum promiſit. Pariſiis quoque in Bibliotheca *Regia* recondita ſunt *Quadraginta* Manuſcripta Hebræa, quorum aliqua maximi ſunt pretii. Et heic loci gratias ago maximas *Duci de* NIVERNOIS, qui, uti Mæcenas eſt eruditorum, hoc Inſtitutum, quoad Regiæ Bibliothecæ Manuſcripta, patrocinio *Comitis de St.* FLORENTIN, Secretarii REGIS CRISTIANISSIMI, commendare haud dedignatus eſt, cujus rei, permiſſu Ducis, mente devota mentionem injicio.

Singu-

Singularibus his addo me inquisiviſſe, & adhuc dum inquirere in Manuſcripta Hebraica, quæ in aliis Europæ regionibus, quin in ceteris mundi partibus deliteſcunt, quo adeo abſolutum perfectumque evadat opus, quantum ſubſcriptionis natura pati poteſt. Nam quanta quanta ſit ſubſcriptio, facile tamen cogitatu eſt, eandem haud ſufficere, ut Viros eruditos in omnibus terris collationi omnium, quæ conferri merentur, Manuſcriptorum adhibere queamus. Perfectio operis reſpondebit incitamento laboris; quo plures enim colligentur ex Veteribus Manuſcriptis Variantes, eo erit perfectius, & quo plures nomen ſuum ſubſcripſerint, eo plura conſuli poſſunt exteris in terris Manuſcripta; contrarium vero minuet numerum Manuſcripta conferentium, operisque perfectionem. Unum reſtat monendum, ſc. neminem ut ſubſcriptionem continuet obligari, ſed unumquemque eadem libertate, qua nomen ſuum profeſſus fuerit, ulteriorem ſubſcriptionem nobis denegare poſſe.

Patronis, tandem, hujus Inſtituti promittimus, licet amplum ſit et immenſi laboris, ea tamen nos elaboraturos eſſe opera, ut quantocijus ad exoptatum finem perducatur. Cumque illi, quorum intereſt, jure ſuo curioſi erunt, *quo tempore opus hoc ad umbilicum adduci poſſit*, officii mei duco, illis

illis ſignificare, collationes Manuſcriptorum Anglicorum, Deo mihi vitam viresque conſervante, abhinc intra *Septennium*, ut auguramur, abſolvendas eſſe, quamvis pro natura operis illud tuto affirmare nequeamus. —— Finita autem heic loci Manuſcriptorum collatione, non exſpectabimus ulla amplius exterorum auxilia, ſed magnum illud opus, ut omnia prelo præparentur, inchoabimus. Id vero ita erit agendum, ut ex multis nobis transmiſſis faſciculis colligamus Variantes Lectiones ad ſingula capita & commata referendas, & ad ſingulas allegationes numero ſuo indicemus Manuſcripta, quæ allegamus, ſingula. Præfigamus in ſuper Univerſo operi *Prolegomena*, quibus ejus rationem explicemus, & Manuſcripta, quibus uſu ſumus, deſcribamus, atque grato animo Nomina, quorum auxilio adjuti opus hoc exegimus, memoremus.

Oxonii d. 15 Jan. 1763.

Teſtificatio V. C. THO. HUNT,

Profeſſoris Linguæ Hebrææ Regii Oxonienſis.

Cum Delegati, quibus in Academia Oxonienſi cura preli demandata eſt, menſe Janua-

Januario a. 1760 nomen ſuum V. C. *Kennicotti* Collationi Hebræorum Manuſcriptorum ſubſcripſiſſent, ac mandato tunc temporis edito ſequentia verba inſeruiſſent. (*Subſcriptionem ſuam in ſingulorum annorum initio continuandam eſſe, ſimul ac Cl. Kennicottus teſtimonium Profeſſoris Linguæ Hebrææ Regii produxiſſet, hujus declarationem continens, quod opus hoc præcedente anno progreſſus fecerit ipſi congruos,*) cumque Cl. Kennicott tale a me petierit teſtimonium: Teſtor, quo memoratis ſupra Delegatis, illisque, qui nominis ſui ſubſcriptione laborem hunc promoverunt, ſatisfaciam, me oculis meis varias collationis tertii anni partes luſtraſſe. Cumque mihi dicendum ſit, quid cenſeo, judico Cl. Kennicott exoptatos non ſolum in collectione progreſſus feciſſe, ſed & ultra quam jure exſpectari potuiſſet, proceſſiſſe. Et quando nonnullas Variantes perpendo Lectiones, quas in Manuſcriptis Hebraicis revera jam detexit, non poſſum non augurari, hoc opus uſui Litteraturæ Sacræ inſigniter inſerviturum eſſe

in Templo Chriſti
d. 12 Jan. a 1763.

Tho. Hunt,
Regis Hebrææ Lingvæ
Profeſſor.

Cata-

Catalogus Eorum,
qui ſuas ſubſcripſerunt pecunias:

THE KING - -	£. 200	---	--
The Univerſity of OXFORD	£. 40	---	--
—— —— —— CAMBRIDGE -	30	---	--
—— —— —— DUBLIN - -	30	---	--
His Grace, the Arch-Biſhop of Canterbury - -	10	10	--
His Grace, the Arch-Biſhop of York -	5	5	--
—— —— —— —— Caſhel -	10	10	--
His Grace, the Duke of Devonſhire -	5	5	--
The moſt Noble, the Marquis of Rockingham -	5	5	--
The Right Honourable, the Earl of Shaftesbury -	5	5	--
The Right Honourable, the Earl of Bute - -	5	5	--
—— —— —— —— Macclesfield -	5	5	--
—— —— —— —— Bath - -	5	5	--
—— —— —— —— Talbot - -	5	5	--
—— *Lord Viſcount* Folkeſtone -	5	5	--
The Right Rev. the Lord Biſhop of London - -	10	10	--
The Hon. and Rt. Rev. Lord Biſhop of Durham -	10	10	--
The Right Rev. the Lord Biſhop of Wincheſter -	5	5	--
—— —— —— —— Ely - -	5	5	--

The Rhight Rev. the Lord Biſhop of Bath and Wells	5	5	–
—— —— —— ——			
Carlisle	5	5	–
—— —— —— ——			
Rocheſter	5	5	–
The Hon. and Rt. Rev. the Lord Bish. of Litchfield	5	5	–
The Right Rev. te Lord Bp. of Cheſter	5	5	–
—— —— —— Worceſter	5	5	–
—— —— —— St. Aſaph	5	5	–
—— —— —— Oxford	5	5	–
—— —— —— Bangor	5	5	–
—— —— —— Peterborough	5	5	–
—— —— —— Norwich	5	5	–
—— —— —— St. David's	2	2	–
—— —— —— Briſtol	5	5	–
—— —— —— Waterford	5	5	–
—— —— —— Clogher	5	5	–
—— —— —— Oſſory	5	–	–
The Right Honourable, Lord Tyrawly	2	2	–
The Rev. the Dean of Ardfert	3	3	–
—— —— —— Canterbury	3	3	–
—— —— —— Carliſle	4	4	–
—— —— —— Chriſt-Church	5	5	–
The Hon. and Rev. the Dean of Durham	5	5	–
The Rev. the Dean of Exeter	2	2	–
—— —— —— Hereford	2	2	–
—— —— —— Rocheſter	4	4	–
The Rev. the Dean and Chapter of Briſtol	5	5	–
—— —— —— —— Canterbury	10	10	–
—— —— —— —— Durham	10	10	–
—— —— —— —— Exeter	5	5	–
—— —— —— —— Glouceſter	5	5	–
—— —— —— —— Norwich	5	5	–

The Rev. the Dean and Chapter of Wells -	5	5	--
—— —— —— —— Weſtminſter-	10	10	--
—— —— —— —— Wincheſter -	4	14	6
—— —— —— —— Worceſter -	5	5	--
All Souls *College* - - -	5	5	--
Brazen-Noſe *College* - - -	5	5	--
Corpus Chriſti *College* - - -	5	5	--
Eton *College* - - - -	5	5	--
Exeter *College* - - - -	5	5	--
Jeſus *College, in Oxford* - -	5	5	--
Merton *College* - - -	5	5	--
Queen's *College, in Cambridge* - -	5	5	--
Aguilar, *Baron* - - -	5	5	--
Allen, Ralph *Eſq.* - - -	5	5	--
Andrew, *Rev. Mr.* James - -	1	1	--
Ashton, *Rev. Dr.* - - - -	3	3	--
Atherton, *Rev. Mr.* - - -	2	2	--
Atwell, *Rev. Dr.* - - -	4	4	--
Aubyn, *Sir* John *St, Bart.* - -	2	2	--
Avery, *Dr* - - -	2	2	--
Aylmer, *Honble and Rev. Mr.* - -	2	2	--
Barford, *Rev. Mr. of King's College* -	1	1	--
Barker, Thomas *Eſq.* - -	2	2	--
Barnard, Rev. Dr - - -	4	4	--
Barrington, *Honble and Rev. Dr.* -	2	2	--
Basket, Thomas *Eſq.* - - -	6	6	--
Bate, *Rev. Mr.* Chambers - -	2	2	--
Bentham, *Rev. Dr.* - - -	1	1	--
Blackett, *Rev. Dr.* - - -	2	2	--
Blackſtone, William *Eſq.* - -	1	1	--
Bouchery, *Rev. Mr.* Gilbert - -	2	2	--
Bryant, Jacob, *Eſq.* - - -	2	2	--
Butler, *Rev. Dr.* - - - -	2	2	--
Chandler, *Rev. Dr.* - - -	2	2	--
Channing, *Mr.* John. - - -	2	2	--

Chapman, *Rev, Dr.*	1	1	–
Collet, Dr.	1	1	–
Cracherode, *Rev. Mr.*	2	2	–
Cuſt, *Rev. Mr.*	2	2	–
Da Coſta, Solomon, *Eſq.*	2	2	–
Delmê, Peter, *Eſq.*	5	5	–
Dickens, *Rev. Mr.*	2	2	–
Douglas, *Rev. Mr.*	1	1	–
Durell, *Rev. Mr.* Daniel	2	2	–
Durell, *Rev. Mr.* David	1	1	–
Edwards, *Rev. Mr. of Coventry*	2	2	–
Eyres, *Rev. Dr.*	1	1	–
Fanshaw, *Rev. Dr.*	2	2	–
Farmer, *Rev. Mr.* Hugh	1	1	–
Fordyce, *Rev. Dr.*	1	1	–
Fuller, Richard *Eſq.*	5	5	–
Furneaux, *Rev. Mr.*	1	1	–
Gabriel, *Rev. Mr.*	1	1	–
Gill, *Rev. Dr.*	1	1	–
Golding, *Rev. Dr.*	½	½	–
Gould, *Rev. Mr. of Clare-Hall*	1	1	–
Gray, Charles *Eſq.*	2	2	–
Hanbury, William, *Eſq.*	3	3	–
Hawkins, John, *Eſq.*	2	2	–
Heberden, *Dr.*	5	5	–
Henley, *Rev Mr.*	1	1	–
Heſſe, John Adam Frederick, *Eſq.*	2	2	–
Hetherington, *Rev. Mr.*	2	2	–
Hoadly, *Rev. Dr.*	3	3	–
Hodge, *Rev. Mr.* John	1	1	–
Honywood, Fraſer, *Eſq.*	5	5	–
Howard, John *Eſq.*	2	2	–
Hunt, *Rev. Dr.*	2	2	–

Jennings, *Rev. Dr.*	2	2	—
Jubb, *Rev. Dr.*	2	2	—
Kippis, *Rev. Mr.*	1	1	—
Lawſon, *Rev. Mr.* Robert	1	1	—
Lee, Matthew. *Eſq.*	2	2	—
Legge, *Rt. Hon.* Henry Bilſtone *Eſq.*	5	5	—
Legh, *Rev. Dr, of Hälifax*	3	3	—
Llewelin, Thomas *Eſq.*	2	2	—
Loveday, John *Eſq.*	2	2	—
Lowth, *Rev. Dr.*	4	4	—
Mallet, *Rev. Mr.*	1	1	—
Markham, *Rev. Dr.*	4	4	—
Meech, Thomas, *Eſq.*	2	2	—
Miles, *Rev. Dr.*	5	5	—
Moore *Rev. Mr.*	1	1	—
Moſs, *Rev. Dr.*	2	2	—
Muſgrave, Joſeph *Eſq.*	2	2	—
Nicols. *Rev. Dr, of the Charter-Houſe*	1	1	—
Oliver, *Dr.*	2	2	—
Parry, *Rev. Mr.*	1	1	—
Plumptre. *Rev. Dr.* Charles	5	5	—
Price, *Rev. Mr.* Richard	1	1	—
Prieſt, *Rev. Mr.*	1	1	—
Prior, *Rev. Mr.*	1	1	—
Pyle. *Rev. Dr.*	1	1	—
Randolph, *Rev. Dr.*	1	1	—
Salter. *Rev. Dr.*	3	3	—
Salvadore, Joſeph *Eſq.*	2	2	—
Sanford, *Rev. Mr.*	2	2	—
Savage, *Rev. Mr.* S. M.	1	1	—
Saunders, *Rev. Dr.*	2	2	—

Smalbroke, *Rev. Mr.* Samuel	4	4	—
Smith. *Rev. Mr.*	1	1	—
Stallard, *Mr. of Clapham*	1	1	—
Stanley, *Rev. Mr.*	1	1	—
Stennet, *Rev. Mr.*	1	1	—
Swinney, *Rev. Mr.*	2	2	—
Talbot, *Honble and Rev. Dr.* George	5	5	—
Talbot, *Rev. Mr. of Clare-Hall*	1	1	—
Taylor, *Rev. Dr. Chancellor of Lincoln*	2	2	—
Taylor, Charles *Esq.*	1	1	—
Taylor, *Rev. Mr.* George	1	1	—
Territ, *Rev. Mr*	1	1	—
Thomas, *Rev. Dr.*	2	2	—
Thompson, *Rev. Mr.* J.	1	1	—
Thornton, John, *Esq.*	5	5	—
Thorold, *Sir* John, *Bart.*	5	5	—
Townshend. *Honble* Thomas, *Esq.*	5	5	—
Turner, *Sir* Edward, *Bart.*	5	5	—
Twynihoe, *Rev. Mr.*	1	1	—
Warner, Richard *Esq.*	1	1	—
Warren, *Rev. Mr.*	1	1	—
Webb, Philip Carteret, *Esq.*	2	2	—
Wegg, Samuel. *Esq.*	2	2	—
Weston, *Rev. Mr Prebend of Lincoln*	2	2	—
Wray, *Sir* Bouchier, *Bart.*	4	4	—
Yarborough, *Rev. Dr.*	2	2	—
Yorke, *Honourable* Charles, *Esq.*	5	5	—
Youngh, *Rev. Dr.* Edward	3	3	—
ANONYMOUS	20	—	—
Ditto	1	1	—
Ditto	1	1	—

VII.

JOANN. GEORGII WENTZ,

BIPONTINI, S. MIN. CANDID.

DISSERTATIO

DE

INGRESSU PONTIFICIS M.

IN

S. ADITUM NON NISI UNICO.

§. 1.

Tanta olim impreſſa erat Judæorum animis diei הכפרים reverentia, tantaque ejus obſervantia, ut difficulter admodum reperias illuſtrius temporum ſacrorum momentum. Nec immerito. Unicus hicce dies uberiorem attulit fructum, quam totus reliquus annus. Judæi enim totum cultum operoſe admodum & moleſte dirigere conſueverunt ad unicum diem, per annum ſemel tantum reverti ſolitum. Quo ergo laborioſius cultui ſacro per longum tempus vacabant, eo magis iſtum diem deſiderabant, quo omnis eorum labor antea incerte inſumtus, Deo ſolebat adprobari ratusque haberi. Unde non poterat non ipſis infixa manere hujus diei veneratio. Omnis cultus hoc die peragendus labis ſaltem ex-

ternæ expers eſſe debebat, idque ideo, quod coram facie Dei apparendum erat, cujus tanta eſt ſanctitas, ut hominem, peccatorum ſordibus immerſum, nullo modo poſſit unquam ferre. Quam vero tam ſanctam functionem cum neque totus populus ſimul obire poſſet, nec id majeſtati divinæ deceret, omnium loco id continuo præſtitit Pontifex M. Is enim, antea rite præparatus, tempore & die a Deo præſcripto Sanctum ſanctorum, quod Deus inhabitabat, ingreſſus, piacula omnium in populo credentium expiavit, ex præſcripto cuncta peragere ſolitus.

§. 2.

Verſabitur opella noſtra circa Pontificis M. die expiationis in S. S. introitum. Quem antequam explicatius illuſtrabimus, breviter indicare debemus, non unam eandemque eſſe doctorum de hoc ingreſſu ſententiam. Dum enim alii quinquies ipſum eo die intraſſe ſanctiſſimum illud penetrale volunt *), fuerunt itidem, qui quatuor diſtinctis vicibus Pontificem M. in S. Sanctorum unico hoc die coram Deo comparuiſſe contendunt, prouti id demonſtrare anniſus eſt

*) Conf. BRAUNIUS in Comment. *Epiſt. ad Hebr.* &c.

eſt DASSOVIUS *), & alii, ne jam de Judæis, qui omnes ferme ejusdem ſunt ſententiæ, loquar. Tres Pontificis introitus intelligunt Clar. TIB. SCHELTINGA **) & alii, licet pauci. Duabus vicibus qui Pontificem introgreſſum fuiſſe ſtatuunt, non deſunt, ut &, qui plus una vice id ipſum feciſſe volunt, numerum certum non definientes ***). Tandem, ut concludam, inventi ſunt, qui ſemel tantum volunt reſeratum a Pontifice M. S. adytum, ut fecerunt CORNEL. a LAPIDE & duo, vel ad ſummum tres alii ex Pontificiis. Quibus ex Proteſtantibus præter HOCHSTETTERUM addendus eſt Celeb. JO. AUG. ERNESTI ****): quorum vero rationes ad ſtabiliendam ſuam ſententiam etiamnum me latent. Similiter JOSEPHUS, Clariſſimus Judæorum hiſtoricus, ἐισηει δε, inquit, ἁπαξ κατ' ενιαυτον μονος &c. *Solus autem atque ſemel in anno intrabat* *****). Quem vero locum meum hic non faciam, quia eum varie ſcio a Viris doctis eſſe contortum.

*) In *diſſert. academica.*

**) In eleganti diſſertat. *ad hanc materiam.*

***) WILKENS, diſſ. *de Functione P. M, in S. adyto.*

****) *Inſtit. Interpr. N. T, p. 123.*

*****) *Libro VI. Bell. Jud. c. 15.*

§. 3.

Meam igitur ſententiam ut jam adferam, fateor equidem, illam omnium mihi videri veriſſimam & textui ſacro convenientiſſimam, quæ habet, ſemel tantum die expiationis Pontificem M. coram Deo comparuiſſe. Hanc ut vindicem, א. Argumenta adferam ejus ſtabiliendæ. ב. Quasdam tollam objectiones, quæ forſitan poſſent contra eam moveri.

§. 4.

א. Rationes, quæ unicum poſſunt ſtabilire Pontificis in S. S. introitum, ſane adſunt haud ſpernendæ. Sive enim hunc ingreſſum, quo Chriſti aliquando futurus præfigurabatur, conſideres, ſ. Chriſtum, qua antitypum, hæc omnino ſtabit aſſertio. I. Id continuo loquitur S. Scriptura. Sic Chriſtus dicitur UNICA *oblatione in perpetuum conſummaſſe, qui ſanctificantur*, Hebr. X, 14. Sic ibidem verſ. 10. *ſanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti* SEMEL *factam.* Porro verſ. 12. Meſſias dicitur UNA *pro peccatis oblata in perpetuum victima conſediſſe ad dexteram Dei.* Tandem, in illa epiſtola cap. IX, 12. adfirmatur de Meſſia, *Eum per proprium ſanguinem ingreſſum eſſe* SEMEL *in ſacrarium.* Non aliter

ter quoque loquuntur reliqui venerandi voluminis libri, quos vero hic adducere nobis jam non est animus. II. Nec oeconomia Divina, si eam paullo attentius contemplamur, huic contrariatur veritati. Illa enim UNICAM tantum & totalem, ut ita loquar, satisfactionem justitiæ Dei læsæ requirebat, non plures; non opus fuisset, ut nos, si pote, pro nobis ipsis satisfacturi, plus una vice feciſſemus. Semel tantum patiendum nobis erat, toties tantum subeunda mors, toties resarcienda Dei justitia in Adamo læsa. Quæ cum sint obvia, addere quid nolumus.

§. 5.

Sic ergo vidimus UNICUM Pontificis divini, Jesu Christi, in sacrarium ingressum. Restaret nunc, ut demonstremus, eum in typo non aliter præfiguratum fuisse, in eoque unicum solummodo inveniri in S. Scriptura introitum. Sed cum hæc res melius deinceps tractari poterit, hic præteribo. Pergo itaque ad alteram rationem sententiæ meæ stabiliendæ. Quæ est, quod non temere dixerit quis, Pontificem M. die expiationis S. adytum pluries reseraſſe propter *loci*, in quo Deus habitabat, *majestatem*. Quis enim concedet, tam familiare commercium Deum inter & hominem

posse

poſſe exſiſtere? Quonam, quæſo, modo id conveniret decentiæ Dei? (A) Sed dein, licet non facile admiſerim quæ de Pontifice M. V. T. Codex JOMA tradit, eum ſcil. tamquam legatum Synedrii ſeſe juramento coram Sacerdotibus ad fidelitatem adſtrinxiſſe, quam opinionem alii jam refellerunt *), nil tamen obſtat, quo minus Pontificem M. conſideremus ut LEGATUM TOTIUS POPULI, qui, nomine omnium, rite præparatus, tempore præſcripto, mandatis, legati inſtar, i. e. peccatorum totius populi onuſtus confeſſione, ſanctiſſimum accedere debuit locum, in quo ſancta illa שכינה ſuam fixerat habitationem. Illuſtriorem hac

*) Ut Cl. DASSOVIUS &c. *in diſſ. loc. cit.*

(A) Poſtquam hæc jam ſcripſeram, perſpexi, exinde quoque novum poſſe peti pro ſententia noſtra argumentum, quod videlicet in toto hoc negotio numerus unitatis, quem dicunt, præ primis vigeat. Sic *unus* tantum dies in toto anno ad hoc opus conſtitutus erat. Sic & *uni* tantum perſonæ hoc graviſſimum negotium ſuſcipere licuit. Præterea *unius* tantum populi peccata auferebantur. Quæ ſi quis cum ſupra allatis conferat, ratione præprimis tum typi, tum antitypi habita, facile deprehendet, *unica* tantum vice Pontificem M. Deum in S. S. conveniſſe.

hac legatione non facile licet reperire. Non enim terreſtria peragebantur, non mundana & irrita, ſed Divina ſed ſanctiſſima negotia. Et Deum, in ſolio Suo, ut ita dicam, ſedentem, Pontificisque, qua totius populi legati, adventum exſpectantem, haud incommode dixeris Regem ſanctiſſimum, qui audientiam fecit confeſſioni Pontificis. Sane Deus tunc in emphaſi Rex dici potuit, & loquitur ſæpe de Deo S. Scriptura tanquam de Rege Regum & Domino dominantium. Quis vero, his rite, & ut decet, perpenſis, tam cito ſibi imaginabitur, Pontificem M. qui in tremore ac timore Deum acceſſit, ita ſua functum fuiſſe legatione, ut Deum mox convenerit, mox egreſſus ſit ſancto ſanctorum, tum iterum ingreſſus, idque vel quatuor, aut quinque, ut alii volunt, vicibus? Quonam, quæſo, modo conveniſſet Divinæ majeſtati, Deum tam diu ſolitarium exſpectaſſe, donec ingreſſus iterum eſſet Pontifex Maximus? Qui nondum hiſce convictus eſt, is tantum attendat ad conſuetudinem Regum & Principum hodierni temporis. Legatus talis, ſi ſemel coram Rege, ad quem delegatus eſt, admiſſus, functionem ſuam abſolviſſet, & aula egreſſus illam iterum repeteret, adeoque mox *abiret*, mox *rediret*, idque pluribus vicibus; nonne is dicendus eſſet regiam majeſtatem minus reverenter

verenter habere? Quæ cum quivis intelligit, dicta ſufficiant (B).

§. 6.

Alias adfero rationes unicum Pontificis M. in S. Sanctorum introitum vindicantes. Quæ

(B) Poſſent quoque, quæ hic diſputavimus, ex hiſtoria vetuſtiſſimorum populorum quodammodo illuſtrari. Apud Aſſyrios, Perſas & alios Orientis populos eadem ferme fuit Regum veneratio. quæ necdum hodie in nonnullis regionibus eſt inuſitata. Sic tradit HERODOTUS I 99, Deiocem Regem Medorum prohibuiſſe, ne quis adſpiceret Regem, ne ſcil. adſiduo conſpectu vileſceret. JUSTINUS, Libr. I cap. IX: *apud Perſas*, inquit, *Perſona Regis ſub ſpecie majeſtatis occulitur.* TACITUS, annal. l. 47. *majeſtati major e longinquo reverentia.* LIVIUS XXXV, 10: *Continuus adſpectus minus verendos homines ipſa ſatietate facit.* Nec in S. Script. hujus regum Orientalium immoderatæ majeſtatis deſunt monumenta, ut vel ex ſolo libro Eſtheræ cuivis erit obvium. Quin & apud Judæos, jure merito ad Orientis gentes referendos, ne ultimo quidem tempore, quando jamjam collapſurum erat eorum regnum, excepto, hanc conſuetudinem quod mmodo obtinuiſſe, colligat quis ex Hiſtoria Herodis, antepenultimi Judæorum Regis, Actor. XII. Conf. Ill. SPANHEMIUS *de uſu & praeſtantia numiſmatum, diſſert.* 5, &, quem magni facere teneor, Venerabilis ille Theologus, H. VENEMA, Diſſ. ad Geneſ. pag. 66. ſqq.

Quæ simul sumtæ sunt: I. Ne frequentior introitus vilescceret. II. Ut eo major populo Israëlitico de sanctitate loci inesset opinio. Hæc argumenta si quis rite inspexerit, facile concipiet nostram sententiam. Licet enim alii his etiam & similibus rationibus usi sint ad iteratos Pontificis introitus statuendos, nil tamen obstat, quo minus & nostram sententiam illis firmemus. Vilescere enim omnino debuisset frequentior introitus, si vel ipso tantum expiationis die plus una vice sanctuarium illud ingressus esset Pontifex M., prouti id patet ex simili de hodierni temporis legatis supra adducto. Et quænam, quæso, de sanctitate loci illius inesse potuisset opinio? si Pontifici M. in more fuisset suos iterare ingressus. Non equidem metuendum erat populo, in atrio exspectanti, de Pontifice in S.S. mortuo. Necesse autem duco, hac occasione quædam præmittere, quæ postea proferre animus erat. Scil. si pervolvantur, quæ tradunt Codex Joma, &, qui in eum commentati sunt, populum, in atrio stantem, metuere incepisse, quando ingressurus erat Pontifex M. hoc quidem facile admiserim. Sed, num iste populi metus ad solam tantum suffitus in sacrario incensionem referri debeat, ut faciunt, qui Codici Joma ejusque Commentatoribus Rabbinis prima fronte credunt, mihi vix persuadebitur

debitur. Facile vero tunc poterit locum habere iſta de metu populi commentatio, ſi ſtatuatur, Pontificem, ſemel S. adytum ingreſſum, ſuas functiones interrupte & ſine ullo ex ſacrario egreſſu peregiſſe. Exinde, inquam, metus fortaſſe poterat adeſſe. Quum enim temporis pluſculum *diverſæ* functiones requirere videbantur, & tam diu Pontifex manere debebat, donec perfunctus eſſet ſua legatione, metus facile ineſſe poterat populo per longiusculum hoc temporis ſpatium, isque eo ipſo major, quam ſi verſatus tantum eſſet circa Pontificem, ad ſuffitum adolendum, ingreſſum. Licet nec vel omnes diverſæ functiones in S. S. peragendæ multum temporis requirerent, ceu alia diſſertatione data opera docebo.

§. 7.

Et, ut hanc Rabbinorum traditionem paullo plenius diſcutiamus, quare tantummodo metuebat populus, quando ingrederetur Pontifex M. *ad ſuffitum adolendum?* Quare, quæſo, non ſimul etiam populus dicitur metuiſſe, ſi cum ſanguine hirci & juvenci coram Deo compareret? Aut unde iſta ſuffitus præ ſanguine prærogativa? Quam enim accurate obſervanda erant, quæ circa ſuffitum accendendum verſabantur, tam omnino adcurate & eodem obſervantiæ gradu

gradu functio, circa ſanguinis adſperſionem verſata, ſuſcipi debebat atque peragi. Quemadmodum enim ſuffitus in adytum illatus, ibidemque a Pontifice accenſus preces Chriſti poſt mortem Suam interceſſorias apud Patrem, uti aliis, ſic & mihi ſignificare videtur, ita quoque ſanguis juvenci & hirci, in ſanctiſſimum hunc uſum deſtinatus, Chriſti in paſſionibus ſuis & morte profuſum ſanguinem præfigurare ſolebat. Hoc vero admiſſo, quantum non eſt ſanguinis Chriſti pretium? Metuebant diſcipuli Chriſti, quando morti is erat proximus, ſanguinem ſuum in omni emphaſi & plenarie effuſurus, eumque relinquebant ideo, quod dubii jam antea, hoc vero temporis articulo quam maxime erant de ſanguinis ſui Magiſtri legitima effuſione; certe eo magis fideles V. T. habuiſſe mihi videntur, quare metuerent, & quidem præcipue, ubi ingredi volebat Pontifex M. cum *ſanguine animalium*, eumque ibi offerre. Rei enim cardo præcipue verſabatur in ſanguine illo offerendo, prouti Chriſti apud Patrem pro electis ſponſio præcipue ſuo ipſius ſanguine fundendo innixa erat. Hi vero adhucdum ſub umbra vivebant, corporis experti, ac incerti admodum de eventu. Unde omnino & jam metus, isque magnus, populum debebat invadere, quando Pontifex circa *ſanguinem*

adſpergendum verſabatur. Licet id nullibi dicatur, ſola tantum metus mentione facta propter ſuffitus incenſionem, prouti MAIMONIDES, ſed ab illis temporibus nimis remotus, ſeculi ſcil. XII. ſcriptor, his illud verbis exprimit *): היו מפחדים שמה אירעו מיתה כי הרבה כהנים גדולים היו מתים בקדש הקדשים אם לא היו ראויין או אם ישנה דבר במעשה הקטרת i. e. *metuebant, ne ipſi mors obveniſſet, quia multi Pontifices maximi mortui ſunt in ſancto ſanctorum, ſi inepti erant, aut opus ſuffitus mutabant.* Cui vero traditioni ſcriptoris alias excellentiſſimi, quique Scaligero illi primus Judæorum dicitur, qui ſapere inceperit, fidem his in rebus, traditione tantum nitentibus, non facile quis adhibuerit.

§. 8.

Sic ergo vidimus, duas illas rationes §. 6. allatas, plus facere ad unicum ſtabiliendum Pontificis M. in S. adytum introitum, quam plures. Pergimus nunc ad aliam rationem, qua tentabimus, num noſtra poterit ſententia adſeri. Quæ eſt: *ut ita pateret, ſemel verum Pontificem in vero ſacrario ſemet Deo eſſe oblaturum.* Scio equidem, Viros doctos eosque δυνατους εν ταις γραφαις, hoc

*) Commentar. *ad Miſchnam Joma*, V. 1.

hoc etiam uti argumento ad plures introitus ſtatuendos. Sed non poterit hoc eorum aſſertum hac ratione facile definiri. Attendendum modo eſt ad finem inſtitutionis legis. Omnis is in eo conſiſtebat, ut Mediatoris noſtri œconomia aptiſſime & ita exprimeretur, ut populus Judæorum certiſſima haberet criteria, quibus Meſſias agnoſci & præ aliis diſtingui poſſet. Quæ criteria in typis data erant populo & exhibita, quorum illuſtriſſimus procul dubio fuit Pontificatus ſub V. T. ita, ut Pontifex M. Chriſtum, verum illum Pontificem, exacte repræſentaverit ac præfiguraverit *). De Chriſto vero jam antea vidimus, Eum SEMEL tantum ſacrarium eſſe ingreſſum, UNICA duntaxat victima ſanctificandos conſummaſſe &c. Quam adcurate vero repræſentaſſet Pontifex M. typus, Chriſtum antitypum, ſi Huic *unicus*, illi vero *tres*, vel plures, ut ſupra, in S. S. aditus adſcriberentur? Accedit, doctos inter ſe non convenire in definiendo numero introitus Pontificis M. in S. adytum, aliis eum quinquies, aliis vero ter &c. contendentibus intraſſe. Quæ numquam fuiſſent in medium prolata, ſi minus fidem habuiſſent Rabbinorum commentis, magis attendiſſent ad convenientiam typum inter & antitypum, denique, ſi inquiſiviſ-

*) Conf. GODWINI *Moſ. & Aaron Libr. III, c. 3.*

sent adcuratius, num Pontifex diversas functiones in S. S. peragendas SEMEL ingressus potuerit absolvere. Quæ textui Levit. XVI. non repugnant, ut alio tempore D. v. ostendam.

§. 9.

Ultimum jam adfero argumentum sententiam meam vindicandi: quod est, quod Paulus, s. potius alius Vir θεοπνευστος, epistolæ ad Hebræos scriptor, (ut me docuit Clarissimus L. C. VALCKENAER, Præceptor summe Venerandus) in epistola illa *) expressis verbis de Pontifice M. V. T. loquens, idem profitetur, εἰς δε την δευτεραν, inquiens, ΑΠΑΞ τϰ ἐνιαυτϰ μονος ὁ Ἀρχιερευς εισελθε, *in alterum*, s. *interius tabernaculum solus quotannis* SEMEL *introibat Sacerdos summus.* Scio equidem, varie hic ludere Viros eruditos, ne ipsis exceptis, qui in Philologia græca longo post se intervallo alios relinquunt, & quotquot vidi tantum non omnes, hunc locum explicantes, illud ἅπαξ vix ac ne vix quidem *semel* significare posse, demonstrare sibi videntur. Ipsos tantum torquet, quod crediderint, Pontificem M. diversas functiones in S. adyto unico ingressu non potuisse peragere. Hæc enim si magis constitissent, impossibile erat, ut tam anxie hujus

*) Cap. IX, 7.

hujus loci interpretes inquisiverint, absque tamen, ut certum quid definitum exstet. Accedit, hujus capitis vers 4. de Sancto Sanctorum dici, *id aureum habuisse thuribulum;* unde concludunt, Pontificem M. omnino plus una vice die expiationis S. adytum ingressum esse, phrasin adeo illam: ἅπαξ δὲ ἐνιαυτῷ, significare quidem debere *semel quotannis*, generaliter; sed si specialius inspiciatur lex a Deo Levit. XVI. data, eum eo die plus una vice intrare debuisse. Sed, ut ingenue fatear, horum virorum (quod salva, qua erga eos ducor, reverentia dictum sit) in hunc locum commentationes contortæ mihi videntur. Ne jam de isto θυμιατηρίῳ, de quo deinceps agam, illud tantum proferre licet, ἅπαξ sua natura plus quam *semel* non posse significare. Neque quid impedit, quo minus & hic eodem significatu veniat. Fidem faciunt loca S. S. ne profanos hic adferam testes. Sic eadem epistola c. IX, 27: ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν; *fixa lex mortalibus est* SEMEL *mori.* Quo in loco ἅπαξ omnino significare debere *semel*, *una vice*, tum Cel. WOLFIUS exposuit, (C) tum universus rerum ordo

 decla-

(C) Doctissimus hic Vir in eo tamen sibi contradicere videtur, quod hoc in loco tantopere pro recta & simplici particulæ ἅπαξ significatione pugnans, loco ad Hebræos supra citato

declarat. Sic Hebræorum אחרית ſemper redditum legimus ἅπαξ in verſione Alexandrina, ut Proverb. XXVIII, 18. Pſalm. LXXXIX, 36. Ita quoque Judæ v. 5. ἅπαξ ſumitur, idque vi ſuæ naturæ *ſemel pro ſemper*, *ſemel omnino irrevocabiliter*, ut vertendum vult Cl. Elsnerus. Quem idiotiſmum nec Germani reprobamus, ſaepe decernentes einmahl vor allemahl. Plura hic non addo. (D)

§. 10.

Sic argumenta attuli & rationes pro unico Pontificis M. in S. adytum ingreſſu. Reſtat nunc ב) ut videamus, quomodo reſponderi poſſit ad objectiones, quæ fieri ſolent, & tolli difficultates, quæ prima fronte

citato iſtum ſignificatum huic particulæ plane detrahere ſtudeat. Quid, quæſo, impedimenti ſenſiſſet, quo minus ultimo hoc loco ἅπαξ ſimiliter reddidiſſet SEMEL? cum ipſe agnoſcat, hanc iſtius vocis eſſe ſignificationem.

(D) De voce ἅπαξ quoque egit Clariſſimus JO. NICOLAUS RICHTER, Eccleſiæ Erneſtivillanæ prope Bipontum Paſtor meritiſſimus (de cujus eruditiſſimi Viri amicitia impenſe mihi gratulor) in eleganti diſſert. ad 1 Pet. III. 18 - 22, quæ inſerta legitur *hujus Bibliothecae Claſſ. I. Faſc. 2*, ubi eam explicat per ἅπαξ, *non amplius*.

te obvenire poſſent talium rerum ſtudioſo Lectori. Quam rem tractaturi præ primis locum Lev. XVI. urgere neceſſe habemus Ibi verſ. 12. ejusmodi legitur præceptum: ולקח מלא-המחתה גחלי- אש מעל המזבח מלפני יהוה ומלאו חפניו קטרת סמים דקה והביא מבית לפרכת ונתן את-הקטרת על האש לפני יהוה וכסה ענן הקטרת את-הכפרת אשר על העדות ולא ימות: i. e. *Et accipiens plenum thuribulum prunis ardentibus ex ipſo altari a conſpectu Jehovæ, plenosque pugillos ſuos ſuffitu aromatum comminuto, inferet ea intra velum ipſum* v. 13. *Et imponet ſuffitum illum igni coram Jehova, ut tegat nubes illa ſuffitus ipſum operculum propitiatorium, quod eſt ſuper teſtimonium, & non moriatur.* Hæc, quæ hic allata leguntur, ab omnibus, quotquot ſcio, interpretibus ſine ulla cura referri ſolent ad functiones Pontificis M. in ipſo ſanctorum ſancto. Neutiquam. Nihil cogit, ut id nobis perſuadeamus. Si vero quis objiciat, hic in textu exſtare mandatum de ſuffitu *coram Jehova*, i. e. in ipſo S. S. accendendo, quod non extra illud habitaret ſanctiſſimum Numen; Quæ ſi quis regeret, reſpondemus, commode Aharonem ſuffitum adolere potuiſſe, absque ut ingreſſus reapſe ſit S. S. idque nihilominus eum feciſſe לפני יהוה. Quam rem antequam

explicabo, paucis agam de θυμιατηρίῳ illo, cujus mentionem facit Apoſtolus in Epiſt. ad Hebr. IX, 4, ubi dicitur de Sancto Sanctorum, illud aureum habuiſſe thuribulum. Fateor, iſte locus ſollicitum me diutius tenuit. In Sancto Sanctorum ipſo nullum fuiſſe thuribulum aureum, docet nos inſtitutio hujus feſti Levit. XVI, ut & Exod. XXV & XL. Quid ergo, dicet forſitan quis, quid ſibi vult illud: χρυσῆν ἐχοῦσα θυμιατηρίον? Specioſa eſt, concedo, hæc objectio. Nec, ut hoc adhuc addam, aliud quid ſignificare poteſt θυμιατηρίον, quam *thuribulum*, quidquid etiam obloquantur alii Interpretes, qui in nodo hoc enodando multum ſudant. Jam vero certiſſime ex hac ipſa exegeſi conſtabit, objiciet quis, ſanctum ſanctorum aureum habuiſſe thuribulum? Concedo quoad hunc locum. Sed jam & mihi licebit interrogare: Quomodo hic locus cum eo Levit. XVI. concordabit? cum uterque de uno eodemque ſubjecto agens longe diverſa ſibique invicem contraria exhibeat. Hæc, ut opinor, a me prolata difficultas multum illa eſt ponderoſior. Quid ergo? Abſit, ut venerando Dei verbo falſum quid imputemus. Sed aliter difficultas vix videtur poſſe tolli, niſi ſtatuamus, aut corruptum eſſe hunc locum ad Hebr. aut vocem ἐχοῦσα ibidem alium habere ſenſum,

sum, s. quod idem ferme est, nullum fuisse in S. S. thuribulum. Qua de re quædam dicamus.

§. 11.

Ut primum agamus de loco Hebr. IX, 4, mihi vix videtur illud θυμιατηριον ibi commode posse legi. Sed cum omnes non solum Codices manuscripti, sed & editiones illud vocabulum reservaverint, nec umquam Viri docti de voce ipsa, potius de re in concordantiam redigenda, modo feliciter, fueriut solliciti; ego & hic diutius non immorabor. (E) Tantum viris doctis meam proponam conjecturam ulteriore inquisitione dignam, quæ est, Apostolum ibi fortasse pro θυμιατηριον scripsisse ιλαστηριον, quæ duæ voces quoad vel solum sonum sibi ferme concordant. Hæc vero vox, quod notandum, si loco nostro legeretur, omnis

(E) Postquam hæc scripseram, certior sum factus, Cel. Göttingensium Philologum, J. D. MICHAELIS nostrum θυμιατηριον in novissimo suo *Commentario ad hanc epistolam*, reddidisse *altare suffitus*, Rauchaltar. Verum, doleo, quod non data sit facultas ejus inspiciendi. Tanta enim hujus Ven. Viri mihi est observantia, ut facile præsumam, Eum, si quis alius, huic rei aptum natumque esse.

non ſolum evaneſceret lis de thuribulo aureo, ſed egregie quoque faceret ad hypotheſin noſtram, de unico Pontificis ingreſſu ſtabiliendam. Sed nil definio, ne quis ſibi imaginetur, irreverenter me habere ſacrum codicem, & me duntaxat ingenium velle in eo exercere. (F)

§. 12.

Cogor itaque me in aliam flectere viam, qua tolli poterit difficultas ſupra mota. Quæ eſt, quod loco ſæpius citato vox ἐχουσα aliam requirat ſignificationem, Verti vero vulgo ſolet, *aureum habens thuribulum.* Cui ſignificatui nonnulli inſiſtentes ſibi ſunt imaginati, per totum annum incluſum fuiſſe thuribulum illud in S. S., adeoque vocem hanc noſtro loco ſignificare: *Firmiter retinens*, quaſi ſenſus ſit: *Poſt ſecundum velum erat tabernaculum, quod vocant ſanctum ſanctorum, in quo jugiter per totum annum thuribulum aureum ſervabatur.* Sed hæc verſio uti eſt contorta, idque ſine neceſſitate, ita quoque veritati contrariatur. a) Nulla eſt ratio

(F) Hiſce tamen non ipſa Chriſtianæ diſciplinæ fundamenta labefactari, egregie oſtendit Magnus L. C. VALKENAER, Præceptor meus ſingulari obſervantia proſequendus, in excellenti oratione *de Sacra N. F. Critice &c.*

ratio quare statuamus, verbum ἐχειν, quod aliis forte in locis hanc admittit interpretationem, nostro præcise loco ita sumi debere; præcipue, cum b) non sit verum, continuo in S. S. thuribulum illud aureum fuisse, quia Levit. l. c. nulla ejus mentio. Deinde, quod, si continuo mansisset in adyto, Pontifex die expiationis illud extrahens, absque suffitu non potuisset adytum intrare, quod tamen nullibi factum esse legimus. Quæ vero quum a doctis jam dudum sunt vindicata & demonstrata, illis abstineo.

§. 13.

Placeat ergo simplex versio; *habens thuribulum aureum*, latiore sensu. Qua verbum ἐχειν idem significaret, ac *destinatum habere*, *in proprios usus eosque peculiares possidere*, adeo, ut loci sit sensus: —— —— *Quod sanctum sanctorum vocant*, *in quo quotannis semel divinus cultus peragebatur*, *cui absolvendo inter alia destinatum erat thuribulum aureum*, *cui suffitus impositus sanctum sanctorum nube implebat fumando.* Diutius hic non immorabimur rationibus, quibus fulciri hæc versio posset, cum non videam, quid contra illam quis moveret, & pergo ad demonstrandam thesin supra §. X. in medium prolatam. Quæ est, quod, quæ Levit. XVI, 12. 13. peragenda præscribuntur,

tur, non ad ipſas functiones Aharonis in S. S. ſubeundas pertineant, ſive Aharonem omnia peregiſſe & abſolviſſe, vel, qui ejus loco Pontificatu fungebatur, absque ut ipſum ſ. adytum neceſſe haberet introire. Hoc vero demonſtrabimus ſequentibus argumentis., I. Levit. XVI. non dicitur aut præſcribitur, ut Pontifex M. intret cum ſuffitu, nulla hujus rei ibidem mentio; ſed ſtatim verſ. 3. Deus mandat, ut Aharon ingrediatur *cum juvenco ſubrumo* in peccatum, & *Ariete* in holocauſtum. Nil vero dicitur de ingreſſu cum ſuffitu. Quod ſi vero quis objiciat, verſu hujus capitis 12. illud demum exſtare, reſpondeo quærens: quare non eſt conjunctum cum illis rebus, quibus Pontifex M. ſtipatus S. S. ipſum ingredi jubetur? Quare tam procul remotum legitur? Quin, quare non eſt primo illud loco memoratum, cum tamen conſtet, primum implendum fuiſſe S. S. fumo ex ſuffitu orto? II. Ideo non poterit hoc facile admitti, quod neceſſario Pontifex M. quodammodo præſentiam Dei, ſaltem cum fumus ſeſe inciperet in aërem explicare, debuiſſet animadvertere, ſi in ipſo S. S. ſuffitum adoleviſſet, quod tamen Deus ſub mortis pœna interdixerat. Quæ ergo noſtrum aſſertum firmant.

§. 14.

§. 14.

Sed videamus jam, quonam modo Pontifex M. in ſancto adhuc ſtans ita adolere potuerit, ut id tamen cenſendus ſit in S. S. præſtitiſſe. Quam in rem in anteceſſum notari velim, ſancti adyti ſpatium non adeo fuiſſe amplum. Pontifex vero M. poſtquam omnibus ad hunc actum præparatis, antea jam vaſe bino excepiſſet ſanguinem tum juvenci, tum hirci (quæ duo animalia jam antea videntur fuiſſe mactata (G) illum-

(G) Nihil impedit, quo minus hoc ſtatuamus, licet Levit. l. c. id non legatur, imo primo intuitu textus huic noſtræ ſententiæ videatur adverſari, cum ibidem tunc demum jubeatur Pontifex M. animalia, ſaltem unum, verſ. 15. mactare, quando jam fumo impletum eſſet S. S. Sed nemo id ſibi perſuadeat. I. Statim ibid. verſ. 14. ſubjungitur: *Et accipiens de ſanguine illius hirci inſperget* &c. non ſimul legitur: *Et mactabit juvencum, accipiet ſanguinem ejus*, argumento, eum jam antea mactaſſe duo animalia. Nam idem valet de mactatione hirci, cujus fit mentio verſ. 15. II. Non poſſum mihi facile imaginari, Pontificem tunc demum incepiſſe mactare, quando illatum jam erat thuribulum. Quantum enim non temporis duorum animalium mactatio, adque ſanguinem eorum in S. aditum rite inferendum præparatio requiſiviſſent? Quæ non quadrant in Deum, Pontificem M. ibi exſpectantem,

illumque in ſuo quemque vaſe adſtans unus, vel duo minoris ordinis ſacerdotes continuo agitaſſent, ne concreſceret: ſe jam accingebat ad thus in S. adyto adolendum. Quod cum reliqui animadverterent, omnes ſancto, celeri gradu egrediebantur, vaſis duobus, ſanguine, ad ſufficientiam usque, quod facile credat quivis, agitato, plenis, ibi apud Pontificem M. ſolum relictis. Qui jam ſolus in ſancto, velo, quod Sanctum inter & Sanctum Sanctorum erat, adpropingans, accepto thuribulo, inter vectes arcæ depoſito, thus impoſuit, idque, quod notandum, plenis pugillis. (H) Exinde fumus

ſpectantem, ut ſupra jam vidimus. Male itaque Interpres BELGICUS, nec non LUTHERUS particulam Hebræam ו, qua incipit verſ. 15, tranſtulerunt **daerna**, darnach.

(H) Obſervandum eſt, duplicem hoc loco ſacrificiis deſtinatam & præſcriptam inveniri menſuram. Thus præſcribitur offerendum בחפנים, *pugillis duobus*, iisque *plenis*. Sanguis vero tantum dicitur ſpargendus באצבע, *digito*, in numero ſingulari. Gratius ergo Deo erat ſacrificium thuris præ illo ſanguinis, quod illud pleniore menſura erat offerendum, hoc vero pauciore, & quidem tam parva, ut nulla ferme ſit æqualitas. אצבע enim oritur a radice צבע,

mus ſurgebat, qui in S. S. ſeſe explicans illud ita implevit, ut Deus a Pontifice M. mox ingreſſo non potuerit animadverti. Id fieri facilius poterat, quoniam ſanctum hoc penetrale ſpatio haud adeo amplo continebatur, & ejusmodi conclave, præcipue ſi aliis jam rebus, ut arca fœderis, operculo propitiatorio, Cherubinis &c. refertum eſt, fumo ita facile poterat impleri, ut Dei præſentia non ſentiretur, in primis, quum thus adhibebatur fumo excitando, cujus herbæ præ aliis hac in re decantata eſt nobilitas.

§. 15.

צבע, quae proprie adhibetur de *pennis pictorum*, quas ut notum, ſubtiles admodum habent & acutas; quocum facit radix apud Arab. ſuperſtes צבע, quæ primaria ſua virtute ſignificat: *digito immiſſo exploravit* Gallinam, *num ovis foeta ſit*, i. e. *ſubtiliter admodum egit.* Sed nec apud ipſos gentiles ſacrificiorum thuris præ cruentis præſtantiæ deſunt veſtigia. Scribit eam in rem PLATO, *Libr. VI. de legib.* θυματα ϰϰ ἠν τοις θεοισι εωα, πελανοι δε ϰαι μελιτι ϰαϱπωι δεδεϰμενοι, ϰαὶ τοιαυτα ἀλλα ἁγνα θυματα, ϲαϱϰων δε ἀπειχοντο, ως ἐχ ὁσιον ὀν ἐσθίειν, ἁδε τϰς των θεων βωμϰς αἱματι μιαινειν. Conf. quoque PORPHYRIUS, de *abſtin. ab animal.*

§. 15.

Sic eo usque perveni, ut cum Pontifice M. S. adytum possem ingredi, functionum ejus mentionem facturus. Sed hic præprimis difficultas est tollenda, si tamen nomen meretur, quæ olim inter Judæos agitata eos tenuit sollicitos. Scil. fuerunt, qui hoc die maxime attendebant, ut Pontifex M. thus in ipso S. S. accenderet, ne, more Sadducæorum, in sancto, sed ipso sancto adito thus injiceretur prunis. Unde Codex Joma tradit, moris semper, sed præprimis stante templo secundo, fuisse, ut a reliquis Sacerdotibus Pontifex M. die expiationis juramento ad fidelitatem adstringeretur, quia expressum Dei mandatum, de suffitu in ipso S. S. adolendo, Levit. XVI. exstat, לפני יהוה, i. e. *coram facie Dei*, quod idem, ac in ipso S. S., quia extra illud Deus non habitaret. Hanc, inquam, difficultatem forsitan quis contra me moturus est, qui nimirum censeo, non in ipso S. adyto Pontificem M. thus adolevisse. Sed ex mea sententia neutiquam talis deduci poterit sequela. Adserui enim, Pontificem M. in sancto NB. adhuc stantem, velo aperto, thuribulum in S. adyto deposuisse, prunis ardentibus impleto. Quæ Pontifex κατ' ἐξοχην dici potest in ipso adyto peregisse, factum id adeo esse CORAM FACIE DEI.

§. 16.

§. 16.

Postquam igitur temporis paululum Pontifex exspectasset, donec impletum fumo esset sanctum penetrale, sanguinem duorum animalium auferebat, quo stipatus tremendum locum intravit, peccata populi una cum suis expiaturus. Sic Pontificem comitati sumus in ipsum Dei reverendi habitaculum: altera, volente Deo, dissertatione de ipsis ejus functionibus susius acturi. *)

*) Gratulor *Viro-Juveni Rev. & Doctissimo* primum hoc studiornm, feliciter in alma *Franequerana* absolutorum, specimen. Se ipsum autem haud esse in ea opinione, ac si studiis colophonem imposuisset, testatur hæc dissertatio, quæ uti studiorum ejus rationem delineat, ita spem quoque facit, fore, ut Ecclesiæ & reip. Litterariæ emolumento alacriter inserviturus sit. Alteram Dissert. Deo volente, quam primum ad manus nostras pervenerit, lubenter Bibl. hujus Lectoribus exhibebo.

N. B.

VIII.

AD VENERANDUM AC CELEBERRIMUM
BIBLIOTHECÆ BREMENSIS
NOVÆ CONDITOREM,
NICOLAUM BARKEY

AUG. LUD. ZACHARIÆ
V. D. M. COTHENIENSIS,

SCHEDIASMA,

IN QUO
DE VERSIONE GRÆCA ALEXANDRINA LOCI
JEREM. XXXI, 22.
QVÆRITUR.

ARGUMENTUM.

Proœmium §. 1. Locus Jerem. XXXI, 22. ex *verſione Alexandrina* §. 2. De antiquitate & uſu hujus verſionis elogia §. 3. De diſcrepantia ejus a textu Ebræo, & diſcrepantiæ cauſis. In ſpecie an aliquid *Catecheſi Patrum* tribuendum ſit? §. 4. De *ſcholis Propheticis* & Catecheſi Patrum § 5. Quis tunc loci ſenſus §. 6. Expoſitio illuſtratur & confirmatur §. 7. Nil deſinitur & quæritur §. 8. Concluditur §. 9. 10. Poſtſcriptum de Martialis *Anchialo* §. 11.

§. 1.

§. 1.

Quas, *Vir Venerande*, ad me dediſti literas, favoris in me tui ac amicitiæ inconcuſſæ teſtes, una cum claſſ. IV. faſc. III. illius, quam adornas, BIBLIOTHECÆ NOVÆ BREMENSIS, a. d. XVI. Octobris a. c. bene accepi; & gratias Tibi pro hoc munere ago, quas poſſum, maximas. Animadverti, Te revera illas *literas*, in quibus, data occaſione abs Te rogatus, animi mei ſenſa in locum illuſtrem JEREMIÆ c. XXXI, 22. pro vulgatiori hypotheſi, tuæ adverſa, *germana fide*, *modeſte* tamen, ut ſpero, Tecum communicaveram, inſeruiſſe. Teſtor Te de ea, quam manu mea injeceram, declaratione, me, niſi aliquid, quod faceret ad loci illius δυσνοητου dilucidationem, & quidem Te judice, in ſe continerent, nolle, ut Bibliothecam, tot politiſſimis Eruditiſſimorum Virorum & tuis ſcriptis refertam, ingrederentur. *Potuiſſent* ergo penes Te *latere;* ac forte propter illas quasdam *conjecturas*, verecunde, ut ſpero, propoſitas, quas improvidus haud ratus ſum, ſub notionem *Suſpicionum* cadere, & quod nunc revera doleo, *debuiſſent*. Verum enim vero, quia hoc meo errore, qui minus exercitato accidit, non obſtante, contrarium, quae es humanitate, Tibi placuit, & mihi placeat, neceſſe eſt. At vero, (& hoc uni-

cum ſolamen mihi ſupereſt,) ſpem inſimul eo magis concipio, Te, *Vir Eruditiſſime*, licet adhuc de aſſertorum meorum robore non convictus ſis, nihilo tamen minus quædam, qualiacunque ſint, in iis obſervaſſe, quæ pro tuo veritatis amore, *ſcrutinio ulteriori* haud plane indigna abs Te judicata fuerint. Saltem omnino nunc experiar Tecum, an ex occaſione utriusque noſtrum ſententiarum diſſidii, plures, quod ſcite dicis, *armati* Viri *lateri meo* ſe ſint adjuncturi: Si modo hac ratione ſenſus illius vexatiſſimi loci veritas *exegetica* tandem plane pleneque extra omnem dubitationem poſſet poni; vel, ſi hoc minus poſſibile, ſaltem *præſtantia* unius hypotheſeos præ altera demonſtrarier adhuc evidentius. Ita eſto, *Vir clariſſime*; nec ad illas tuas ſubjunctas *notas*, quæ ob venerandum & chariſſimum tuum nomen *N. B.* quo pro more inſigniuntur, mihi gratiſſimum ubivis *Nota Bene* fuerunt, nunc, data quaſi opera, nullum adhuc verbulum, reſpondebo, ne hoc quicquid eſt conſilii turbem, Teque aut offendam, vel & lectoribus tædium creem.

Exſpecto, ut videam curſum ſortemque libelli:
Si bonus eſt, tunc magna ſeges *clypeata* Virorum,
Ominor,

Ominor, exſurget. —— —— ——
Aut & *non tanti* res iſta videbitur ulli!

§. 2.

Ne tamen, *Vir Vener. & amiciſſime*, dum hæc ſcribo, & ſubitaneo ac minus elaborato dictionis genere iu chartam conjicio, quod χεδιαζειν dicunt, plane nihil ſcripſiſſe videar: PROBLEMATIS tantum loco, aliquid, quod *hunc noſtrum locum* JEREMIÆ, de quo diſceptavimus, concernit, paucis adhuc commemorabo; & gaudeo in anteceſſum de invento appellationis *Schediaſmatis*, quia prævideo, quam egregie ſe omne id, quod jam dicturus ſum, clypei ad inſtar, ſub hoc nomine tecturum ſit. Eſt illud nempe *mira* hujus dicti profetici *translatione* dicam, an *interpretatio*? quam GRAECA VERSIO των ο, quam rectius ALEXANDRINAM vocamus, exhibet. Ea ex editione, ſive ſplendida illa cl. Lamb. BOS, Franeq. 1709. in 4to, ſive notiſſima illa manuali cl. CHRISTIANI REINECCII, Lipſ. 1730. 8vo, utraque ad ROMANAM, quam pro *præſtantiſſima* habent, expreſſa, quod ad integrum comma, cujus verba noſtra pars ſunt, ſic ſonat: Ἕως ποτε ἀποστρεψεις θυγατηρ ἠτιμωμενη; ὁ'ΤΙ ΕΚΤΙΣΕ ΚΥΡΙΟΣ ΣΩΤΗΡΙΑΝ ΕΙΣ ΚΑΤΑΦΥΤΕΥΣΙΝ ΚΑΙΝΗΝ: ΕΝ ΣΩΤΗΡΙΑΙ ΠΕΡΙΕΛΕΥΣΟΝΤΑΙ ΑΝΘΡΩ-

ποι. Nec differunt Editiones *Complutenſis* & *Alexandrina*, niſi quod *illa* pro ἠτιμωμενη legat ἀπεγνωσμενη, & pro ἐν σωτηριω, ἐν σωτηρια ΣΟΤ: *Hæc* vero ἐν Η' (ſignate) σωτηριᾳ ſcilicet περιελευσονται &c.

§. 3.

Notum eſt, VERSIONEM ALEXANDRINAM, de qua, præter plures alios, BRIAN. WALTONUS in apparatu biblico; JO. HENR. HOTTINGERUS in Theſaur. Philol.; JO. LEUSDENIUS in Philologo Ebræo mixto; & JO. FRANC. BUDDEUS in Hiſt. eccl. V. T. Tom. II. ſuis locis conferri poſſunt, *varia eruditorum judicia*, ab invicem *ad extrema usque diverſa*, ſubire. In genere tamen nemo facile negabit, eam ANTIQVISSIMAM eſſe, utpote quæ, niſi ad ea propemodum tempora adſcendat, quibus CANON *librorum Sacrorum Vet. T.* contectus eſt, ſaltem *longe ante* CHRISTUM *natum*, concinnata ſit; eandemque, quia *omnis dictionis vis in illa ad genium linguæ Hebrææ compoſita, non Novi Teſtamenti nunc tantum dicta & textus illuſtrare, ſed & multis antiqui foederis locis lucem affundere:* Qua in re verbis utor cl. REINECCII ſupra laudati in Editionis ſuæ præfatione. Cum quo convenit cl. BOS, qui verſionem Alexandrinam vocat *inſigne eccleſiæ* κειμηλιον; ver-

verſionem, quæ magno in pretio haberi debeat; pariter in præfat. ſuæ Editionis. Et paulo poſt ſic pergit: *Magnum hodie* USUM *habet verſio hæc græca ad* INDAGANDUM *verum Spiritus S. ſenſum in Codice Hebræo. Occurrunt enim loca, in quibus Græcorum Interpretum lectio & diſtinctio præferenda eſt hodiernæ lectioni & diſtinctioni Codicis Ebræi.* Ubi & confert & laudat verba ZUINGLII ex præfat. Ejusdem in Jeſaiam: *Contra vero infiniti ſunt loci, quibus manifeſte deprehenditur, LXX. & aliter & melius tum legiſſe, tum diſtinxiſſe, quam Rabbini poſtea vel legerint, vel diſtinxerint.* Laudat quoque Eruditiſſ. Vir tandem JOH. PEARSONIUM in erudita præfatione in LXX. Interpp. qui pluribus *utilitatem* hujus Verſionis oſtendat. Imo audiamus adhuc cl. BUDDEUM, qui licet verſionem ultra modum non extollat, tamen AUCTORITATEM *ejus propter* ANTIQUITATEM, *inſignem eſſe*, ait, *&* USUM *ei tum in V. T.* LOCIS RECTE INTELLIGENDIS, *tum in ſtylo ſcriptorum N. T. illuſtrando, tantum* tribuit, *ut nemo Eruditorum de eo* TEMERE *dubitaverit*, l. c. p. m. 1040.

§. 4.

Quæ cum ita ſint, *Vir Venerande*, quid de verſione illa loci noſtri JEREMIANI

dicendum ſit, revera neſcio. Eam in litera a Textu Ebræo *diſcrepare*, aperta res eſt. *Unde* vero hoc eſt? An *vertere* illi Interpretes *neſcivere*: ברא יהוה חרשה בארץ נקברה תסובב גבר: iisque nec *eruditio* tanta, nec *verborum*, ut hoc rite facerent, copia *fuit?* Vel an *alio codice Ebræo Manuſcripto* uſu ſunt, ac nos; ut inſtituto KENNICOTTIANO opus ſit, ſi nodum ſolvere velimus: aut *ex Chaldaica quadam Paraphraſi* transtulerunt? Vel, an hic locus pertinet ad ea, ubi illam eorum verſionem *quidam*, quia ſubinde a Textu Ebræo diſcedit, *variis erroribus*, ſi non ex Inſcitia Interpretum, ſaltem Librariorum, *vitiatam* ac *deformatam* volunt; aut, ubi Interpretes hi data opera *quædam loca falſarunt*, ne fidei ſuæ Sacramenta Ethnicis perſpicue proderent, cujus inſtituti dicam an criminis, ab *aliis* accuſantur? Vel, ſi nullum horum omnium in cauſa fuit, ut verſio diſcrepet a Textu Ebræo, an fortaſſis non verſionem loci *ad verba* dare, ſed SENSUM *loci* exprimere voluerunt, atque in INDICANDO HOC SENSU, TRADITIONEM *Judaicam*, non viliori, ſed nobiliori ſenſu ſic dictam, in FIDEI ſuæ ac VETERUM EX SCHOLIS PROPHETICIS, ſive CATECHESI PATRUM, tunc adhuc in Doctrina de MESSIA & circa verum ſenſum hujus loci JEREMIANI ſibi con-

conſtanti; *documentum, pro fundamento poſuerunt?* Ut vel ſic hujus loci των LXX. Interpretatio forte unam ex illis rationibus ſiſteret, ob quas *Judæi Ebraiſtæ*, qui teſte JOSEPHO hanc verſionem in cœlum olim extulerunt, ſerioribus tamen temporibus, cum premi ſe auctoritate ejus a Chriſtianis animadverterent, eam omnibus modis vilipenderunt ac rejecerunt? quaſi *ea opus eſſet tam grave Iſraëli, ſicut dies, quo factus eſt vitulus*, quam lamentationem ex Tract. Sopherim profert cl. JO. HENR. HOTTINGERUS Theſ. Phil. p. 336. Nihil, Vir cl. hic definio. Interim, quid, amabo, in comparatione cum Textu Ebræo, hic in verſione Alexandrina eſt ΣΩΤΗΡΙΑ; quid καταφυτευσις; & quidem καινη; & tandem ſi integram phraſin ſpectes, ΣΩΤΗΡΙΑ εις καταφυτευσιν καινην; quam ΕΚΤΙΣΕ ΚΥΡΙΟΣ; Imo, cur præter hæc addunt: Ἐν ΣΩΤΗΡΙΑΙ, vel ἐν Ἡ ΣΩΤΗΡΙΑΙ (ſignate nimirum, ut Editio Alexandrina legit,) περιελευσονται ἀνθρωποι.

§. 5.

Frivolum foret ſi de SCHOLIS PROPHETICIS & CATECHESI PATRUM diſſerere vellem. Abſtruſa res eſt, de qua pronunciare vires meas multum ſuperat. Sed et quidem

dem mihi *opinio*, SCHOLAS illas & CATECHESIN, quas, *objective* conſideratas, ab eo, quod recentiores Rabbini קבלה & תורה שבעל פה, termino quaſi ſcholaſtico, dixerunt, tum in latitudine ſua; tum & puritate diſtinctas vellem, *peculiare penes populum* DEI *inſtitutionis genus* fuiſſe, ut *antiquiſſimum*, ita & *ſacratiſſimum*. Puto enim, illud ab ipſis APPARITIONIBUS FILII DEI, *patribus*, quin ipſis *Protoplaſtis* jam factis, EJUSque ORALI ΕΞΗΓΗΣΕΙ, Joh. I, 18. originem traxiſſe; pari illa ac prorſus divina ratione, qua & *ſacrificia*, *eorumque originem & primam inſtitutionem* inde derivo: *Sacratiſſimasque* proinde illas Scholas & Catecheſin Patrum *Doctrinas*, vel, ſi malimus, *principia ac ſemina quædam cœleſtis*, *ac ſalvificæ veritatis*, imprimis de DEO & futuro generis humani REDEMTORE *habuiſſe* ac *cuſtodiviſſe*, de tempore in tempus per novas Apparitiones *aucta* & *amplificata*, quæ accedentibus dein MOSIS & PROFETARUM divinis revelationibus, nunc *Scripto* conſignatis, multum *luminis* ſparſerint ad illa ipſa ſcripta atque oracula divina ab hoc tempore *fundamentum fidei* conſtituentia, recte (non equidem in clariſſima, tamen ſufficienti pro illis temporibus luce,) INTELLIGENDA ac EXPLICANDA; easque ex ore ſummi Interpretis

pretis מליץ מלאך, Job. XXXIII, 23. primitus acceptas Doctrinas, seu principia & semina veritatis, adinstar *Summarii* ac שרש רבר, Job. XIX, 28. concipienda, *ex speciali dispensatione ac providentia divina*, ADMINICULUM quasi EXEGETICUM *in populo* DEI suppeditasse, prorsus singulare, & quod *sui simile* nuspiam in mundo habuit. Inde fuisse, ut PII in populo DEI, *qualescunque*, *genuinos* tamen in summa rei sibi *conceptus* formaverint, ad dicta MOSIS & PROFETARUM, imprimis, uti dixi, in doctrina de DEO, & de generis humani SALVATORE: Ex. gr. *in Doctrina de* DEO; quod Conditor ac Creator universi (cujus Creationis veritas in initio non per argumenta artificiosa erat demonstranda, sed ADAMUS ejus, per longissimum vitæ ejus tempus, præsentissimum erat documentum,) non אלוה quo lumen naturæ ducit; sed quod ex revelatione discendum ac fide tenendum, אלהים sit, Gen. I, 1. *Jehova Elohim* (doctrina ex prioribus temporibus nunc modo repetita ac confirmata,) Deut. VI, 4. *Jehova Elohim*, & tamen יהוה אחר, ibid. coll. Gen. I, 1. verbo singulari ברא, cum nomine divino plurali אלהים constructo: Quod plures sint & distincti in DEO פנים, Exod. XXIII, 21. Jes. LXIII, 9. Qui conceptus procul dubio jam in priscis illis

&

& antiquiſſimis temporibus quodammodo quoque obtinuit, ſaltem in ſcriptis Moſis, quæ ſe ad antiquiſſima illa tempora Patriarcharum referunt, latet Gen. I, 26. III, 22. XI, 7. XVIII, 19. XIX, 24. & alibi paſſim. Plures illos & diſtinctos una & ὁμοουσίως eſſe *Jehova*, *Jehova*, *Jehova*, Num. VI, 24-26. Quod iterum ut temporum longe antecedentium fides jam refertur, Gen. XIX, 24. loco modo citato, imo Gen. IV, 26. coll. Gen. I, 1. Item, quod ille Jehova *Elohim*, בוראים, עשים, æquali ratione ſint קדוש, קדוש, קדוש, objectum divini cultus, Jeſ. VI, 3. ſive קדושים, Hoſ. XII, 1. & ſic porro. *In doctrina* vero *de generis humani* REDEMTORE: quod de illo revera agat *illud conſolationis verbum in Paradiſo* mox poſt lapſum de *Vindice aliquo generis humani*, *victore ſerpentis*, promulgatum, Gen. III, 15. quod *is* malum Δαιμονα (quaſi Δαημονα, ab aſtuta *ſcientia* qua Protoplaſtos circumvenerat, ut ערום, Gen. III, 1. dicitur,) *virtute ac potentia multum ſuperans*, futurus ſit זרע האישה *ſemen mulieris*, *filius hominis*, ſed *mira* ratione: Ex *robore* Deus; ex humana natura גואל coll. Job. XIX, 25. ex utroque איש יהוה Θεανθρωπος, Gen. IV, 1. ex עלמה ἐκ παρθενου, Jeſ. VII, 14. naſcendus, ob unionem divinæ ac humanæ naturæ hypoſtaticam

ſtaticam עמנואל dicendus, ut ſequentibus temporibus, ob officia & beneficia generi humano præſtanda, משיח (poſtquam reges in populo Dei eſſe ceperunt, & quoniam regium munus in Servatore reliquorum munerum complementum erat,) item ישועה, ישועת יהוה, Gen. XLIX, 18. Pſ. XIV, 7. Jeſ. XII, 2. XLIX, 6. איש צמח, יהוה צדקנו, Jer. XXIII, 6. Zach. VI, 12. & aliis nominibus ſub variis reſpectibus, (regnante vero ubivis conceptu de *perſona quadam illuſtri*, quin θεανθρωπω,) appellatus eſt, & quæ ſunt reliqua. Porro, opinor, illas SCHOLAS & CATECHESIN, uti *inde a mundi primordiis*, poſt primam in Paradiſo datam promiſſionem, inter PIOS, Gen. IV, 26. VI, 2. & quidem, accedente ſequentibus temporibus ipſo *juſſu divino*, Gen. XVIII, 19. Deut. VI, 7. Jeſ. LIX, 21. cet. *exſtiterint*; ita nec in corruptiſſimis temporibus, ſi vel tempora Eliæ, 1 Reg. XIX, 18. & pejora adhuc, Jeſ. I, 9. tibi concipias, unquam *in totum deſiiſſe*; CLAVEMQUE ΓΝΩΣΕΩΣ *) Luc. XI, 52. con-

*) Dum has meas *opiniones* in chartam conjicio, tempeſtive adhuc memini, clariſſimum VITRINGA de *clave cognitionis* ſuam expoſuiſſe ſententiam Obſ. S. P. I. p. 114. ſeqq. & non ſine animi quadam voluptate video, inter nos in ſumma rei convenire.

conſtituiſſe, quam quidem ſuis temporibus, certe corruptiſſimis, plurimam DOCTORUM partem *amiſiſſe*, ſive *abſtuliſſe*, *occultaſſe* & *ſubduxiſſe* Salvator ait; ita tamen, ut vel tunc, PIOS quosdam, vel integras PIAS FAMILIAS, utut pauciores, in corruptiſſimo populo reſtitiſſe, credendum ſit, qui ex illis ſcholis & catecheſi momentiſſimas veritates, de DEO, ut ſe Patribus revelaverat, & de MESSIA REDEMTORE, melius ſaltem ac plurima pars, tenuerint, & ſic το ΣΩΤΗΡΙΟΝ του ΚΥΡΙΟΥ Luc. II, 25. ac ΛΥΤΡΩΣΙΝ ibid. v. 38. phraſibus non humanis, ſed dictis profeticis κατα ῥητον, & egregio ſenſu, coll. Eph. I, 12. analogis, intente expectaverint; quo de varia Scripturæ Nov. T. loca præter modo citata, v. gr. Luc. I, 46. ſqq. ibid. 68. ſqq. Joh. I, 18. 45. VI, 14. VII, 40-42. item variæ diſputationes Servatoris *ex hypotheſi* ſuper *certis locis propheticis*, e. gr. Matth. XXII, 42. ſqq. Luc. IV, 21. &c. inſtitutæ, nos dubitare haud ſinunt; ne jam de locis 2 Tim. III, 8. & Judæ *v.* 14. ſecundum quæ certæ quædam *hiſtoriæ* vel *doctrinæ* momenta non niſi ex πατροπαραδωσει Canonem N. T. ingreſſa ſunt, aliquid commemorem. Atque ſic, quæ pars adhuc mearum opinionum eſt, ex hac ipſa πατροπαραδωσει, vel ſcholis profeticis & catecheſi Patrum, id quoque

que esse, quod non tantum in *antiquissimis autoribus Judaicis*, inprimis in *Targumim Chaldaicis*, quod ad loca *profetica*, egregia de MESSIA exstent documenta, quæ Viri Eruditi, in hoc studiorum genere exercitati, ad confusionem & ruborem hodiernorum Judæorum producere norunt; sed & *Alexandrini* in *antiquissima sua versione* talia habeant, quæ *tum*, ubi Textum Ebræum ad verba reddunt, optime *fidem antiquam* testentur, ex gr. Jes. VII, 14. ubi עלמה rectissime per παρθενος vertunt, & sic Textum dudum antea quam in N. T. a Matthæo citatus fuit, de miraculosa conceptione Messiæ in utero feminæ Virginis acceperunt; *tum* ubi a verbis Textus Ebræi discedunt, tali tamen *paraphrasi* ut plurimum utuntur, quæ ad Doctrinas de Messia, ut alibi apud profetas occurrunt, applicata, *egregium fundit sensum*, adeoque & *genuinæ Interpretationis*, ut eam a Patribus acceperant, *documentum* iterum, & *fidei antiquæ testimonium* præbet, haud facile contemnendum, nedum TEMERE, quæ BUDDEI supra citati vox est, *rejiciendum.*

§. 6.

Nihil ad hæc jam addo, *Vir clarissime.* Mecum enim habito; & video, quæ mihi desint, ad omnia illa, quæ fando protuli,

test

teſtimoniis ex *monumentis antiquis gentis Judaicæ*, & ex *ipſa Verſione Alexandrina*, ſive deducenda ulterius, ſive *comprobanda*, ad quod vix eruditiſſimi Viri BUXTORFII, ALTINGII, VITRINGÆ, MAJI, & alii tales, ſufficerent: Ultro tamen perſpicis, quid *vellem*, ſi mihi contigiſſet, per ſtudiorum rationem tam eſſe Eruditum. Hoc nimirum: ALEXANDRINOS noſtros in verſione ſua utique etiam SENSUM dicti Profetici JEREMIANI, de quo inter eos quæritur, *periphraſtice*, ac quidem eum in modum retuliſſe, ut tunc ex CATECHESI PATRUM, & ſimul exacte ad alias profetias de Meſſia, v. g. Jeſ. VII. 14. dictum inter IPSOS JUDÆOS *adhuc intelligebatur*; ut hac ratione, ſi pote, bonos hoſce Viros (& quid, ſi illi jam non *tres* aut *quinque*, ſed SEPTUAGINTA eſſent?) ſaltem ceu TESTES *veræ interpretationis*, in partes meas pertraherem, atque vel ſic aliis *armatorum* copiis non eſſet opus. Nempe Profetam heic hortari JUDÆOS in Babylone ſub nomine ΘΥΓΑΤΕΡΟΣ ΗΤΙΜΩΜΕΝΗΣ, *filiæ* idololatria ac ἀπιστίᾳ *dedecoratæ, ut ne ſe averterent amplius*, (vel a DEO *Patrum ſuorum*; vel a *fide* & *pietate Patrum*; vel & a *dictis profetæ* per incredulitatem aut abjectionem animi nimiam; a *dictis Profetæ* inquam, eos jam *conſolantis*, & ad reditum in terram promiſſionis,

sionis, ut animum addat Piis, quasi jam nunc ille reditus instaret, *excitantis:*) Siquidem *oportere*, ut eo reducantur, ὅτι ΚΥΡΙΟΣ ΕΚΤΙΣΕ, JEHOVA *creaverit*, vel *creaturus* ac *productus sit*, magna sua ac mirabili potentia, ΣΩΤΗΡΙΑΝ illam, κατ' ἐξοχὴν sic dictam, inde a mundi incunabulis ad Redemtionem generis humani sub variis nominibus, nunquam vero efficacius quam sub nomine ΣΩΤΗΡΙΑΣ aut ישועת יהוה Patribus promissam, & ab iis tum ad *os* ipsius DEI, tum ad dicta *Profetarum*, creditam, & credendam porro: & quidem creaturus (ad verba: נקבה תסובב גבר) ΕΙΣ ΚΑΤΑΦΥΤΕΥΣΙΝ ΚΑΙΝΗΝ, *per* PLANTATIONEM quasi, seu *progenerationem*, eamque NOVAM, qualis naturaliter inter homines non fit; plane, ut id jam ex luce anteriore profetica: העלמה (ΠΑΡΘΕΝΟΣ) הורה וילדת בן, Jes. VII, 14. & ex illa omnium promissionum prima & prægnantissima, Gen. III, 15. constare poterat. Quando vero dein: Ἐν ΣΩΤΗΡΙΑ περιελευσονται ἀνθρωποι *in* vel *ob* SALUTEM, nempe illam ipsam, de qua modo dictum, vel & in *Fide ac Spe illius salutis*, *profecturi*, *venturi* ac *redituri sunt Homines*, nempe illi ipsi, qui tunc ferme desperabant de *hoc itinere* ac *reditu*, subjicitur: ea verba, quia in Textus Ebræi litera plane nihil est, ad quod expressa essent, tan-

tum opinor, *ad exponendum Scopum Profetæ* ab Interpretibus noſtris *addita* eſſe, qui revera is erat, oſtendere, quod *certo* redituri ſint, & *hortari* pios, *ne de eo reditu vel minimum dubitent;* cauſam nempe eſſe MESSIAM naſcendum, & in carne manifeſtandum, quæ cauſa, vi veracitatis JEHOHOVÆ, omnem dubitationem ac incertitudinem rei tollat.

§. 7.

Non putem, quemquam facile DEXTERITATEM meam in hiſce *conjecturis*, ſive *Animadverſionibus* ad Textum Græcum ſollicitaturum eſſe: Id tantum poſſibile videtur, ut aliquis nondum ſatis perſuaſus ac *certus* ſit de *expoſitione* phraſeos καταφυτευσις καινη, quod illa CONCEPTIONEM ac NATIVITATEM MESSIÆ SUPERNATURALEM ſignificet. Sed in hoc caſu facile eſt illam *illuſtrare* ac *confirmare* ex *paralleliſmo* tum S. Scripturæ; tum Veterum Judæorum. Quod ad *Sacram Scripturam:* Quid magis proclive eſt judicare, quam eam METAPHORAM in ſe continere, deſumtam a *Stirpibus* ac *Arboribus;* & quid magis in propatulo eſt poſitum quam eam ſæpiſſime apud Profetas de ORTU ac NATIVITATE MESSIÆ adhiberi. Præter oracula enim JES. IV. 2. XI. 1. 10. JEREM. XXIII, 6. ZACH. III, 8.

8. VI, 12. jam tantum provoco ad EZECH. XVII, 22. 23. quem Textum, uti *de Messia oriundo* agit, ita eum græce ob vocabulum καταφυτευειν, quo Alexandrini ibidem quoque utuntur, referam: Διοτι ταδε λεγει κυριος, και ληψομαι Εγω εκ των Εκλεκτων της κεδρου εκ κορυφης, καρδιας αυτων αποκνιω, και ΚΑΤΑΦΥΤΕΥΣΩ Εγω επ' ορος υψηλον, και κρεμασω αυτον εν ορει μετεωρω Ισραηλ. Και ΚΑΤΑΦΥΤΕΥΣΩ, και εξοισει βλαστον κ. τ. λ. collato cum c. XXXIV, 29. Και αναστησω αυτοις ΦΥΤΟΝ ειρηνης. Si vero vero velimus eandem phrasin *in scriptis antiquis* JUDÆORUM, en eam nobis suppeditat cl. J. H. MAJUS in loco, quem jam in prioribus meis literis (conf. Biblioth. Br. N. Cl. IV. p. 515.) intendi, sed tunc, ut chartæ & tempori parcerem, exscribere haud potui. Ita namque ille in Theologia Judaica Vet. & Nova pag. 135: MESSIAM non communi vulgarique modo nascendum, itidem in confesso est apud *Veteres*, quorum sententiam ex NEZACH ISRAEL indicabo. Cap. XXX. fol. 43. c. I. med. profert locum ex MEDRASCH RABBOTH fol. 27. col. 2. quo traditur, MESSIAM PRODITURUM ממקום אחר EX LOCO ALIO. Ubi postquam libri autor tritam Judæorum expositionem adduxit, nempe indicari istis verbis MESSIAM EX RUTHA Moabitide ORIUNDUM, addit: *Deum B.*

volentem PRODUCERE חויה חדשה ESSENTIAM *ſeu* SUBSTANTIAM NOVAM, *aut ortum novum, opus habuiſſe* הרכבה מין הנטיעה אחרת COMPOSITIONE EX PLANTATIONE ALIA, *quæ non ſit primæ ſimilis: Hoc enim ſi eſſet, nihil novi hic fore. Proinde Deum B. quando adducturus ſit* SEMEN MESSIÆ *in mundum, neceſſe habere, facere compoſitionem &* PLANTATIONEM NOVAM. cet.

§. 8.

Egregie. Neque tamen ego, ſi vel hæc omnia ita ſe habeant, quicquam definio. Memini me non differere, ſed *quærere* tantum velle. Quid ergo? 1.) Annon *hæ locutiones*, illic in *verſione Alexandrina* κατα-φυτευσις καινη; & hic in *Midraſch Rabboth* נטיעה אחרת, plane inter ſe conveniant? 2.) Annon id indicio ſit, eas *Veteribus Judæis* de *Ortu* & *nativitate* MESSIÆ, nova ac mira ratione divinitus efficienda, *fuiſſe familiares?* Et ſi hoc, annon 3.) ex illa verſione ALEXANDRINA TESTIMONIUM peti poſſit, quod niſi ſupra id monuiſſem, jam SEPTUAGINTAVIRALE dicerem, pro *præſtantia*, nedum *veritate* ac *certitudine* HYPOTHESEOS, quæ in explicando Dicto נקבה תסובב גבר ponit MIRACULOSAM MESSIÆ CONCEPTIONEM ac INCARNATIONEM? Etenim hæc verſio

ſio procul dubio eſt ANTIQUISSIMA; &, ſi VIR in Literatura, quam ORIENTIS dicunt, SUMMUS, BOCHARTUS, audiendus eſt, *ex multis Interpretationibus ſemper ea, quam* ANTIQUISSIMAM *habemus*, PRÆFERENDA *eſt; niſi cauſæ ſint graviſſimæ, cur ab ea recedamus*, in Hieroz. P. II. Lib. II. c. 31. p. 341.

§. 9.

Jocari me aliquantulum in hac poſtrema argumentandi ratione, inquies, *Vir Venerande?* Imo, ſic aliquando, ubi, & in quantum id a moribus boni Viri, & a gravibus dictis Apoſtoli Col. IV, 6. quin ipſius optimi Servatoris, Marc. IX, 50. non abludit, ſoleo. Verum enim vero nunc, pendente adhuc LITE, vix ſe ita habet. Etenim, ſi vel M. TULLIUM, at quantus in cauſa dicenda Vir? *Quæſt. Tuſc. L. I. §. 26.* audiamus, ANTIQUITAS, *quo propius abeſt ab* ORTU & DIVINA PROGENIE, *hoc* MELIUS *ea fortaſſe, quæ erant* VERA, *cernebat.* Quare & ego, ex tanti Viri auctoritate, perſuaſus ſum, rem ſe heic quoque ſic habere, nempe, *ut* VERSIONI ALEXANDRINÆ FIDEM *habeamus eo majorem præ* RECENTIORIBUS *hujus nationis Scriptoribus, quo magis* ILLIUS AUTORES, *vel dudum ante* CHRISTUM *natum, veteri populo,*

cui propemodum ipſos Profetas, Viros Θεοπνευσους, *interrogaſſe datum fuerat, interfuerint; vel ab illo tempore ſaltem propius abfuerint: & quo magis ii boni Viri,* INTERPRETES ALEXANDRINI, *nec tanta malitia, tantoque odio, ut* RECENTIORES, *acti, antiqua diffingere, nova, ut libitum fuit, confingere, Scripturas detorquere, & Spiritui Sancto ac majoribus ſuis obloqui haud ſuſtinuerunt.* Conf. cl. JO. ROD CRAMERUS in præfatione lectu digniſſima, quam b. Fratris JO. JAC. CRAMERI operi præſtantiſſimo, *Theologiæ Iſraëlis*, præmiſit.

§. 10.

Atque ita Vale, *Vir. Ven. ac Dilectiſſime.* Nec unquam, ut hactenus feciſti, permitte, ut COLLATIONES noſtræ, ubi in ſententiis facimus divortium, abeant in COLLISIONES, quæ amicitiam noſtram turbent vel minimum. Imo vale iterum, DEO T. O. M. quem VETERES PII de Semine ABRAHAMI adorarunt, & EI, qui & ΣΩΤΗΡ & ΣΩΤΗΡΙΑ eſt, commendatus ex animo! Dabam Cothenis, ad 31. Octobris, qui in faſtis, ob REFORMATIONIS memoriam, ſacer eſt, MDCCLXIV.

§. 11.

§. II.

POSTSCRIPTUM.

Cum nuper quædam *Scriptionum Fragmenta* perluſtrarem Viri non illiterati & dum viveret, amici conjunctiſſimi, *J.F.H.* qui heic munus publicum obiit, ſed ante plures annos in flore ætatis *Scholæ* noſtræ ereptus fuit: incidi in *Schedam*, in qua

de

MARTIALIS ANCHIALO,

Lib. XI. Epigr. 95.

Ecce negas, jurasque mihi per Templa Tonantis:
Non credo; jura, Verpe! per ANCHIALUM.

ſequentia notata legi:

JOSEPHUS SCALIGER primus eſt, qui huic voci Ebraicam attribuit originem, eamque ex duabus vocibus ebraicis חַי & אֱלֹהַּ, id eſt, *vivit* DEUS, quam ipſe contracte legit *Chi ala* vult fuiſſe enatam. Sam. PETITUS eandem ex tribus conflavit, ex אֵין חַי עֶלְיוֹן hoc eſt, *non vivit Excelſus*. CROJUS eam ex אֵל חַי עוֹלָם, i. e. DEUS *vivit in æternum*, compoſuit. Alii adhuc aliam excogitaverunt etymologiam. Ex *ebræo* fonte equidem hauriendam eſſe etymologiam, exiſtimo; ſed hac ratione vocis ſtructuram face-

rem & absolverem. Nempe vox ebraica ענה, quæ inter alia significatu *affligendi* seu puniendi venit, utique primo heic locum habet. Hanc excipit altera חי, quæ contracte etiam a Viris doctis חי legitur, denotatque *viventem*; & denique עליון, quæ *Altissimum* significat, tertia vox est. Has tres autem voces in unam coaluisse, ut ex iis nostrum *Anchialum* fabricatum sit, sic demonstrarem. Litera ע, præsertim Judæorum more, non ut *gn*, si nempe syllabam incipit; sed ut א cum subtrata sua vocali heic legenda, & sic ענה *anah* efferendum est; id quod etiam fit in voce עליון. His ex usu certissimis, ad vocem ענה in structura mea exasciandam progredior: Quæ est verbum quiescens tertiæ radicalis ה, quorum verborum proprium est, ut accedente in fine incremento, ה illud cum antecedente abjiciant vocali. His igitur abscissis, nil nisi unica syllaba עַן *an* remanet, cui si vox jungatur altera חי, quæ etiam punctum Tzeri præsertim in regimine admittit, quod Tzeri sæpe cum Chireck alternat, hinc nullus dubito, quin ex his dimidiam vocis *Anchiali* partem, *anchi* conglutinare queam. Quid igitur restat, nisi ut duas postremas syllabas adjiciam ex voce עליון *Elijon* formandas, quæ sponte sese ad captum meum accommodabunt. Jod enim facile hic

potest

poteſt extrudi & abeſſe, tum ad terminationem, latino propriam genio, tum ad *pedem* verſus conſtituendum, quo autem demto, ך ad ultimam trahitur ſyllabam, & primam vocali brevi inſignitam reddit imperfectam, cui ut ſuccurratur defectui, vocali iſti brevi Segol oppoſita longa Tzeri, in certo autem caſu etiam Kametz, hic quoque locum habens, ſubſtituenda; hinc jam nobis altera pars dimidia fluit, ita ut jam nobis inde integra vox ANCHIALON, ſive ut terminatione illam efferam *latina*, ANCHIALUM, emergat. Cujus igitur ex hac compoſitione ſi etymologiam formemus, hiſce POETA verpo hoc juranti imponit negotii, ut ſibi quævis imprecetur diriſſima, dicendo: *Affligat* ſeu puniat (me) *Vivens*, ſive *Viventium Altiſſimus*, niſi ſcil. veritatem hoc jurejurando aſſeram. Oblectavit me hæc ingenioſa etymologia. An vero ea ipſius mei Amici, adeoque ſic nova ſit; an vero is eam aliunde deſumſerit & in chartam ſuam conjecerit, me latet. In genere quoque neſcio, an attentione tua, Vir cl. digna ſit. Commemorare autem eam hac occaſione & per modum P. S. placuit, ne pars chartæ meæ maneat vacua. V.

IX.

NICOLAI BARKEY

AD

PRÆCEDENTEM EPISTOLAM

PL. REV. ET DOCTISSIMI

ZACHARIAE,

IN LOCUM

JEREM. XXXI, 22.

OBSERVATIO.

§. 1.

Præcedens *pl. Rev. & Doct.* ZACHARIÆ Epiſtola abunde teſtatur amiciſſimum erga me animum, quem exoſculor, neque unquam ſinam, ut ſententiarum divortium amicitiæ pariat divortium vel minimum. Hoc qui ex hac cauſa patiuntur, ſibi ipſis ſuffeni cenſendi ſunt, nec digni quibuscum vel leves aut mediocres paciſcamur amicitias. Imo mea quidem ſententia ipſa amicitiæ neceſſitudo poſtulat, ut amicorum quisquis in ſententiarum divortio teneatur placide alteri oſtendere, ubi alter errore aliquo captus ſibi viſus fuerit, eundem autem ſi monitus teneat

teneat, jure vel immerito, pati, ut ſua fruatur libertate, cum & ipſe errori ſit obnoxius. Hæc amicitiæ jura ſervavit optime *Doctiſſimus Amicus*, & dum objectionem aliquam contra meam de loco JEREM. XXXI, 22. ſententiam ex *Septuaginta-virali Verſione* elicit, illi, qua eſt & humanitate & modeſtia, *quæſtionis* formam induit. Et ego hæc amicitiæ jura ſanctiſſime ſervare conſuevi, ſemperque erga quemvis ſervabo. Reſponſurus itaque ad propoſitam quæſtionem, eodem amiciſſimo animo, & placide & libere, *primo* quæ ex Epiſtola ipſi concedenda eſſe opinor, recenſebo, *dein* vero propoſitis contra affirmantem quæſtionem aliquot dubiis, ipſam ſeptuaginta-Viralem verſionem explicitum ibo.

§. 2.

Concedenda Ipſi omnino reor 1) quæ de *Scholis Propheticis* & *Catecheſi Patrum* diſſeruit. Utique pii Patres dogmata fidei de Deo & Meſſia Redemtore futuroque Rege in Scholis ſuis Propheticis, pro menſura revelationis ipſis conceſſæ, explicuiſſe & inculcaſſe cenſendi ſunt. Nullum eſt hac in re dubium. 2) Concedendum utique, Septuaginta-viralem verſionem ſe *antiquitate* & *inſigni*, quem collatio ejus præſtat, *uſu* commendare. Neque hoc quenquam fugit.

fugit. *) 3) Concedo quoad locum *Jerem. XXXI*, 22. nullam eſſe inter verba textus Hebræi & verſionis Alexandrinæ convenientiam; diſcriminis autem hujus rationem haud eſſe repetendam ex ignorantia linguæ Hebraicæ, & multo minus ſignificationis verborum alibi obviorum, utpote quæ vice plus ſimplici rectiſſime juxta litteram explicuerunt, neque a variantibus Textus Hebræi lectionibus; hinc 4) *quarto* Concedo, *LXX Interpretes* quandoque Verſionem ſuam παραφραστικως inſtituiſſe, quando verba phraſesque Hebræi Codicis ſecundum ipſam litteram vertere non poterant, Græcis haud reſpondentibus Hebraicis; vel ſi quicquam habebant *ænigmatici*, quod vulgus prima fronte difficulter admodum intelligere poterat. Similiter *Targumim* Judæorum hac methodo uſi fuere. Exemplum præbet *Targum* vel *verſio*, ut dicitur, JONATHANIS, (quem Docti aliqui Viri eundem eſſe cum *Theodotione* ſuſpicantur, quæ procul dubio

*) Varia lectu digna hanc in rem protulit, præter citatos a pl. Rev. *Zachariae*, b. MOSHEMIUS in den Anmerkungen zu Auguſtin Calmets Bibliſche Unterſuchungen P. V. Unterſ. XXXVII. & cel. J. S. SEMLERUS, Vorbereitung zur Theologiſchen Hermeneutik 2ten Stücks p. 317. f.

dubio omnium antiquiſſima eſt, diciturque ante Chriſtum natum adornata: immo de qua quidam dubitant, numne Verſione Septuaginta-virali ſit antiquior; quod tamen probatu admodum erit difficile,) in hoc ipſo Jeremiæ loco. Ita ſe habet כי ברא יי חדתה בארעא עמא הנא בירא ישראל יתנהון לאוריתא: *Quia Ecce creavit Dominus Novum in terra. Et populus domus Iſrael incumbet legi.* Neglexi, fateor, hanc verſionem vel paraphraſin in Diſſertatione mea ad h. l. quam inſerui *Bibliothecæ hujus Cl. II. p. 549. ſq.* ſed ab Amico, qui ex verſione Septuaginta-virali teſtimonium petiit, excitatus, eandem poſtea in expoſitionis meæ ſubſidium vocabo. Hinc utique lubentiſſime concedo, Septuaginta-Viralem loci noſtri Verſionem conſiderandam eſſe ut *Paraphraſin*, qua dicti Hebraici, *ænigmatis* habentis rationem, ſenſum realem interpretati fuerunt, plane ut *Jonathan* fecit. Hos ſecutus fuit eodem, ſaltim ſimili, more THEODOTIO apud MONTFAUCONIUM in *Hexaplis* ORIGENIS, qui hoc modo verba tranſtulit: *quia creavit Dominus ſalutem novam, in ſalute circuibit homo.* Obſcurius, ac ſi ſenſum priorum non fuiſſet adſecutus.

§. 3.

§. 3.

Hactenus itaque inter nos convenit, Scholas Judæorum Patrumque Catecheſin quod attinet, & Verſionem των ο, & in ſpecie circa locum controverſum. Addo me non poſſe non Venerando Viro adſurgere, ſtatuenti ortum & nativitatem Servatoris in ſcriptis Prophetarum promitti locutionibus metaphoricis, a *ſtirpibus* vel *plantis* & *arboribus* deſumtis, quibus quoque Judæi veteres frequenter utebantur, uti *Jeſ.* IV, 2. XI, 1. 10. & *Ezech.* XVII, 22. 23. licet vocem צמח, *Jerem.* XXIII, 6. & *Zach.* III, 8. VI, 12. obviam, eo non retulerim, quia LXX. Interpretes eandem rectius per Ἀνατολήν, cui *Zacharias*, Johannis Bapt. Pater, Luc. II, 78. ἐξ ὑψους jungit, interpretati fuerunt. Nihil evidentius. Omnino quoque Ipſi adſentior, redemtionem generis humani κατ ἐξοχην vocari Σωτηριὰν vel Σωτηριον, imo dulciſſimum *Servatorem* tropice ita dici poſſe, ut pote qui *Unicus omnis veræ & æternæ ſalutis fons* eſt & *ſcaturigo.*

§. 4.

Jam vero in *omnia alia diſcedo*, ac quæſtioni a Viro *pl. Venerando* prolatæ absque ulla hæſitatione το *Nego* adpono, ſc. *ex Verſione Alexandrina peti poſſe Teſtimonium pro*

præ-

præſtantia, nedum veritate ac certitudine hypotheſeos, quæ in explicando dicto נקבה תסובב גבר *ponit miraculoſam Meſſiæ conceptionem & incarnationem.* Ut autem pateat, me non ſine gravibus cauſſis negativam ſententiam ferre, oſtendam *primo*, ſi vel concederem *Vener. Amicum* Septuaginta-Virali hoc præſidio inſtructum eſſe, eum tamen *nihil ex eo lucrari*, & *dein* probabo, *LXX. Interpretes alia omnia dicere*, quam quæ Doct. Amicus eos loqui juſſit, copiasque has in ſubſidium expoſitionis meæ vocabo, eisque *Jonathanem* jungam.

§. 5.

Poſito, ſed non conceſſo, LXX *Interpretes* id voluiſſe, quod *Doct. Amicus* eos dixiſſe perhibet, nihil certe is lucratur, niſi ſimul probare poterit, eos interrogaſſe ipſos Prophetas, ad quorum oracula interpretanda animum adpellebant, vel eosdem non longe abfuiſſe ab ætate eorum, quibus Prophetas de ſenſu vaticiniorum interrogare datum fuerat. Hoc ſi poterit evincere, aut ſaltim probare, eos hanc interpretationem a Viris θεοπνευσοις per traditionem accepiſſe, illico eandem, licet non *omnia*, quæ Sancti hi Viri *locuti* fuerunt, ex θεοπνευσιᾳ profecta eſſe exiſtimem, ut unice veriſſimam amplectar. Cum vero hoc nunquam demon

monſtrare poterit, nihil quoque lucratur. Provocare quidem videtur *Doct. Zachariæ* ad *Scholas Judæorum Propheticas & Catecheſin Patrum*, in quibus doctrina *de Meſſia Redemtore* pie & fideliter propagata fuit; verum nec ex hoc capite lucrabitur quicquam, niſi Scholas Propheticas ſub unoquoque Doctorum velit & probare poterit fuiſſe *falli neſcias*. Largiri hanc prærogativam aliquo modo poſſem *Samuelis*, *Eliæ*, *Eliſæ*, & ſimilium extraordinariorum Vatum *Scholis* aut potius *Inſtitutionibus*; verum poſt tempora reductionis Iſraelis ex Babylone, quibus LXX. Interpretes ac Targumim certo ſunt recentiores, quis *talem* Judæorum *Scholam*, aut *Catecheſin* quoque reperire poteſt? Mirum dictu, dogmata ipſa fidei quam ſequenti tempore pedetentim fuerint corrupta, mutilata, enervata, contorta, & quomodo clavis cognitionis ærugine inutilis reddita ſit, uti vel ex hiſtoria Evangelia ſatis patet; ne alia cieam teſtimonia. Ubi vero & quamdiu dogmata etiam fidei incorrupta manſerunt, atque Catecheſis Patrum illibata, *quis dixerit* eadem in expoſitione S. Codicis rite *adplicata* fuiſſe? Dei beneficio Scholæ Chriſtianorum purioris religionis luce Evangelii gaudent gratiſſima & locupletiore, quam Scholæ Veterum Judaicæ. Dogmata fidei eorum ut ſunt veriſſima ita &

exaſcia-

exaſciata. *) Verum enimvero, ſi adplicantur ad hæc illave S. Codicis V. imo N. T. loca, aut ſi ex his illisve locis probantur, quot, nexu momentisque omnibus penſitatis, quot, dico in commentationibus Interpretum noſtrorum detegi poſſunt errores? —— Talibus erroribus obnoxii quoque fuerunt LXX. *Interpretes* & Commentatores *Chaldaicæ dictionis*, —— Hinc ſemper *tuto* deferendi ſunt, graviſſimæ ſi adſint cauſæ. —— Interpretationes enim *vel antiquiſſimas* nunquam pro norma expoſitionis ponamus, ſed unusquisque, adminiculis neceſſariis inſtructus, ſe obſtrictum adgnoſcat, res omnes exacte perpendere, & ipſe vires ſuas in timore Domini periclitari. —— Ubi vero quis expoſitionem ſuam, fundamentis ſat ſolidis ſuperſtructam, *teſtimonium quoque antiqui ævi* ferre videbit, illi *ſuperpondium* acceſſiſſe haud temere exiſtimare poteſt *Superpondium* dico, *non* eo ſenſu, ac ſi omnis veritas & certitudo a teſtimonio Patrum eccleſiæ vel Judaicæ vel Chriſtianæ unice dependeat, *ſed* quod ipſi hi

*) Conf. LUD. CAPPELLI Commentationem *de Eccleſiae Chriſtianae ſupra Veterem Judaicam, praerogativa, dignitate & excellentia.* Notarum Criticarum *in V. T. p. 213. ſ.*

hi Patres, tot, quot nos gaudemus, adminiculis deſtituti, nobiscum conſentiant; qui Patrum conſenſus expoſitionis noſtræ tum *ſimplicitatem gratiſſimam*, tum *antiquitatem* oſtendit, eamque his ex cauſſis commendat.

§. 6.

Verum nunc verba τῶν Ὁ propius inſpiciamus, ac videamus, *num revera ipſis inſit, quod pl. Rev.* ZACHARIÆ *ex eis elicit.* In Diſſertatione mea ſuper hunc locum Jeremiæ, Verſionis hujus mentionem injicere nolui, aut eandem in ſubſidium Interpretationis meæ advocare, cum prima ſtatim fronte cognoſcerem, verba hæc generaliora eſſe, quam ut ex eis certi quid definiri queat, imo verba hæc ipſa, ſi quis eadem ad ſpeciale aliquod Dei beneficium adplicare velit, Interpretatione indigere. *) Quum vero *Doctiſſimus Amicus* in eis pro ſua expoſitione præſidium inveniſſe ſibi viſus fuit, & mihi ex eisdem pro mea ſententia teſtimonium petere licear. Judicent eruditi, *quis*

*) LUD. CAPPELLUS *in Notis Crit. ad N. T. p. 530.* ait: *Quomodo hæc congruant cum Hebraico non video; aut quomodo illi legerint conjicere, aut divinare non poſſum.*

quis potiori jure! Ad minimum, ni fallor, adparebit, utrumque noſtrum verba hæc in ſuas partes trahere poſſe, & ſi dicere liceat quæ ſentio, plures judicabunt, me potiori jure.

§. 7.

Nemini ignotum eſt vocem Σωτηριαν, ſignificatus eſſe *generalioris* & ampliſſimi, neque *ſemper* ſalutem κατ' εξοχην ſc. redemtionem generis humani, vel ipſum Chriſtum Redemtorem deſignare; ſed quando vox hæc occurrit, procul omni dubio de illa ſalute explicandam eſſe, de qua in ſubſtrata materia agitur. Jam *ſalus* in proxime præcedentibus & ſequentibus in eo dicitur conſiſtere, quod Judæis danda erat *libertas redeundi in priſtinas ſedes*, poſtquam tamdiu, in Captivitate Babylonica detenti, exules ex eis fuiſſent. Hanc igitur *ſignate cum Articulo* ſalutem mea ſententia innuerunt LXX. Interpretes, quia eandem in vaticinio Prophetæ reperiebant. Interpretes enim hi haud cenſendi ſunt ſalutem hanc parvi pendiſſe, dum ipſi erant Judæi, quibus Captivitas Patrum ſuorum cogitatu moleſtiſſima erat, quique poſſeſſionem terræ promiſſæ & libertatem, ut beneficium Divinum genti Judaicæ conceſſum, maximi faciebant. De redemtione generis humani

per Meſſiam nihil in proxime antecedentibus & ſequentibus dictum fuerat. —— Præterea ultimorum verborum εν σωτηριᾳ περιελευσονται ανθρωποι Interpretatio nimis mihi videtur eſſe ſubtilis, quin contorta. Εν σωτηριᾳ explicatur per *in* vel *ob ſalutem*, vel *in fide & ſpe illius ſalutis profecturi, venturi & redituri ſunt homines.* Σωτηριᾳ in *priori* hemiſtichio eſt *redemtio generis humani*, in *poſteriori* vero, *fides & ſpes hujus ſalutis.* Sit venia verbis, hoc pugnat contra analogiam conſtructionis verborum eorumque ſignificarum, & revera eſſet hypotheſi δεδευειν. Sed nulla verbis venia, dum non ſtatuit Venerandus Auctor, ſed quærit. Scopum autem verborum cum Ipſo *eundem* figo, ſc. hortari pios, ne de reditu in terram Cananæam vel minimum dubitent; certitudinem enim reditus hujus Propheta ex Dei Ipſius opere, ſub creationis idea propoſito, demonſtrat, quia Creatore & promiſſore Deo nihil impoſſibile eſt. Verum quando *pl. Rev. Amicus* fundamentum certitudinis hujus in Meſſia naſcendo & in carne manifeſtando ponit, ab Ipſo non plane diſcedo, quum jam in nota ad priorem ejus Epiſtolam, *Biblioth. hujus Cl. IV. p. 499* conceſſi, omnes vias Dei cum Iſraele ad ortum Meſſiæ ex populo Judaico in terra Cananæa reſpicere. Solummodo nego

heic

heic eauſſæ hujus ſpeciatim mentionem fieri.

§. 8.

Pergo ad καταφυτευσιν καινην. Non ivi inficias §. 3. καταφυτευσιν per ſe referri poſſe ad *plantationem ſeu progenerationem*, ut loquitur Amicus, *Meſſiæ novam*, quia quandoque ſub emblemate *plantæ* aut *ſtirpis* deſcribitur. Hinc quoque, ut facilis ſim, concedo, licet in MIDRASCH RABBOTH *non* legatur נטיעה חדשה *ſed* נטיעה אחרת, locutionem καταφυτευσις καινη & modo dictam נטיעה אחרת, *inter ſe convenire*. Cum vero cl. MAJI *Theologia Judaica Vetus & Nova* mihi ad manus non ſit, neſcio an verba ab Auctore citata ad expoſitionem *loci Jeremiæ* adferantur, nec ne. Stringeret hæc citatio in *priori* caſu, ſed in *poſteriori* nihil omnino præſidii habet locus ex *Midraſch Rabboth*, cum Judæis emblema hoc ex locis Jeſaiæ §. 3. citatis, quibus addo c. LIII, 2. ſatis notum erat. Verum enimvero, ſi mentem LXX. Interpretum adſequi annitamur, diſpiciendum erit, quo ſenſu vocem καταφυτευειν plerumque adhibuerint. ABRAHAMI TROMMII, ſi conſulas, *Concordantias Græcas*, opus immenſi laboris, locaque ibi citata, quæ non exſcribo, conferas, præcipue e *Jeremiæ* Vatici-

nio, dubitare non poteris, quin hoc verbo plerumque uſi ſint ad deſignandam *populi Iſraelitici in terra Canaanis plantationem.* Unicus locus, & quidem *ex ipſo hoc capite XXXI.* exemplo ſit, ubi clariſſime de reportatione Judæorum in terram Cananæam eorumque & animalium multiplicatione, nemine contradicente, ſermo eſt. Exſtat *v.* 28. Και ἐσαι ωσπερ εγρηγορκν επ' αυτες καθαιρειν καὶ κακὸν, ὀτως γρηγορησω επ' αυτες τ οικοδομειν καὶ καταφυτευειν, (Hebraica habent לנטוע) φησι κυριος. Jam vero nonne veriſimilius eſt, LXX. Interpretes verbis his εις καταφυτευσιν καινην deſignare voluiſſe & determinare, quæ & qualis ſit illa ſalutis ratio, quam Deus creaturus erat? verbo, ſalutem, quæ *plantationem Iſraelitarum* hucusque in regno Babylonico captivorum, in *terra Canaanis Novam* paritura erat, *Novam* dico, quia haud pauci de tanta ſalute deſperabant? Salutem igitur hanc jure merito me fixiſſe mihi videor in concedenda Judæis *libertate* exeundi ex captivitate Babylonica, & non ſolum exeundi ex Babele, ſed etiam *de novo*, ut ita loquar, iterum ingrediendi terram Cananæam, (Sanctam denuo, cum ab Anathemate Divino liberanda eſſet, futuram,) ibi commorandi, & rempublicam & cultum Divinum, ut olim moris erat, *de novo* quaſi reſtaurandi, de qua in proxime antecedentibus

cedentibus & ſequentibus promiſſio gratiſſima & clariſſima occurrit. Salus hæc ad Deum *Creatorem* & quidem unice referenda eſt, nam ſolius Dei eſt *flectere corda Regum*, & Ipſe teſtatus fuit, ſe reductione Iſraelitarum in Canaanem velle demonſtrare Se ſolum eſſe Jehovam, & præter Se neminem, conf. Jeſ. XLV, 7. 8. ubi de *Cyro* agitur, ejusque gratia erga Judæos captivos promittitur &c. Imo notandum eſt, in editione LXX Interpretum COMPLUTENSI, quam BR. WALTONUS in *Bibliis Polyglottis* cum *Aldina Romana* & *Veneta* contulit T. VI. p. 97. legi: εκτισε κυριος των δυναμεων, ὁ Θεος Ισραηλ σωτηριαν κ τ. α. Adpoſitiſſime.

§. 9.

Neminem fore arbitror, qui in hoc verbis τον Ὁ tributo, quem diximus, ſenſu quicquam abſoni aut contorti reperiat. Poſterius hemiſtichium hunc ſenſum confirmat. Nam verba, εν σωτηρια περιελευσονται ανθρωποι, recte vertuntur *in ſalute profecturi ſunt homines*, id eſt, per paratam hanc ſalutem liberi exibunt Judæi & introibunt Canaanem, non ut illi, qui fuga ſibi conſulunt & feſtinant vitæ ſervandæ cauſſa, ſed placide & cum gaudio. Conferri hanc in rem poſſunt non tantum, quæ in *hoc capite*

pite Jeremiæ de hoc Judæorum reditu habentur, ubi ad *v* 9 videas SIXT. AMAMA *loco mox citando*, ſed etiam in aliis Vaticiniis, veluti *Jeſaiæ* c. XLVIII, 20. XLIX, 9. LII. præſertim *v.* 12. *Non feſtinato exibitis, neque per fugam proficiſcemini, quia Jehova coram vobis incedit, & agmen veſtrum cogit Deus Iſraelis.* Dicerem præterea, verbo περιερχεσθαι ſignificanter uſos fuiſſe LXX. Interpretes, & ſignificare voluiſſe, fore, ut *ad omnem circumquaque Palæſtinam concurſuri eſſent liberati ex Captivitate Judæi*, reverſuri *quisque ad urbem ſuam*, niſi clare pateſceret το περιερχεσθαι etiam alibi ab eis uſurpatum fuiſſe pro τω סבב, quod textus Hebræus habet. Hinc hoc ſenſu adpoſite.

§. 10.

Solutionis itaque ænigmatis Vaticinii Jeremiæ נקבה תסובב גבר, quam LXX Interpretes ex mea ſententia dederunt, hæc ſumma eſt. *Creabit Deus Libertatem novam populo ſuo, in plantationem Novam terræ promiſſæ; in libertate profecturi ſunt in Canaanem homines, eamque undiquaque inhabitabunt.* Unde autem, dices, & quidem jure merito, illa interpretatio? cum in textu originali voces haud reſpondeant, exceptis hiſce tribus, περιελευσονται, καινη, &

& aliquo modo ἀνθρωποι? An dicendum eos ignoraſſe fœdus, quod Deus cum Iſraelitis pepigit, ſæpius in vaticiniis conſiderari & proponi ut *foedus conjugale*? Minime hoc eos latuit, & hoc minus quam ab eis ignorari poterat, *miraculoſam Meſſiæ conceptionem & incarnationem* verbis Jeremiæ indigitari, quum in ipſo Jeremiæ vaticinio emblematis hujus notio vice plus ſimplici recurrat, & recte ubique juxta litteram translata ſit. Certam verſionis hujus rationem, fateor, indicare difficile admodum eſt. Forte, quisquis ille fuerit inter ששׁ 'o, qui hanc Vaticinii partem interpretatus fuit, *brevis* hujus ænigmatis ſenſum non ſatis adſecutus fuit, &, oblitus emblematis uſitati, auguratus fuit verbis his idem illud beneficium indicari, quod modo promiſſum erat, ſc. *reductionem Judæorum captivorum in Canaanem;* hinc libere ea & paraphraſtice *in hunc ſenſum* tranſtulit, retentis tribus jam annotatis verbis, ex quorum *ultimo* ἀνθρωπος, loco גבר, clare patet, eum ænigma hoc juxta *communem æque ac meam*, quam adoptavi, interpretationem *non intellexiſſe*, quod quoque de mox hoc §. citandis lectionibus dicendum eſt. —— Forte in Paraphraſi ſua ſcripſit Interpres plura, quæ omiſerunt & neglexerunt deſcriptores. —— Forte reperiuntur illa aliis in Codicibus, &

forſan Editio *Breitingeriana*, quam mihi nunc ad manus non eſſe doleo, ea exhibet. Hoc nemini mirum eſſe poteſt, cum SIXTINUS AMAMA miretur, *unde Cl.* JUNIUS, *in notis ad editionem Francofurtanam, illam* SYMMACHI & AQUILÆ *lectionem hauſerit:* γυναικες περιελευσονται ανδρας, ac *unde* rurſus *hauſerit illud* THEODOTIONIS *fragmentum:* εκτισε κυριος σωτηριαν καινην, γυνη περιελευσεται ανθρωπον, *Antiharbari Biblici p.* 731. 732.

§. II.

Forte autem plenior Paraphraſis LXX. Interpretum conſervata fuit in verſione vel paraphraſi JONATHANIS, quam mox §. 2. exhibui. Saltim Judæos Paraphraſtas, *ſi recentiores ſunt*, verſionem Septuaginta-viralem, quæ ut plurimum in uſu erat, contuliſſe veriſimile forte alicui videri poſſet, nec de ipſis odium adverſus hanc verſionem vel præſumi poteſt, quale juxta SCALIGERUM in *notis ad Euſebii Chronicon p.* 134. Hebræis fuiſſe ob exteræ linguæ profanitatem fabula fert, utpote qui *Chaldaica dialecto* ipſi uſi fuerunt. Dici quoque forte poſſet, eum omiſiſſe, quæ ipſi ſuperflua videbantur ſc.: indicata jam in antecedentibus & ſequentibus, qualia ſunt ea, quæ LXX. interpretes habent

habent; sed nolo diutius conjecturis tempora morari. *) —— Quicquid sit verbis his ועמא בית ישראל יתנהון לאוריתא *Et populus domus Israelis incumbet legi*, (vel *accedent* aut *congregabunt se ad legem*, plus certe dicunt, IDEM sc. quod cum aliis Commentatoribus in prima Dissertatione pluribus explicui. Revertentur Israelitæ, *populus domus Israelis*, hactenus Idololatræ ad Deum Dominum suum. *Præstabunt se obedientis legi Divinæ, atque adeo, repudiatis gentium Idolis, soli vero Deo, Deo Patrum suorum adhærebunt*, quod ipse Judæus ut חדתא בארעא, NOVUM IN TERRA considerat. Conferantur autem quoad phrasin יתנהון לאוריתא, in versione *Jonathanis* loca *Jerem.* III, 17. & præsertim HOS. II, 15. 16. ubi, *quod notandum*, eadem fere horum *Hoseæ* verborum: והוה ביומא ההוא תקרי לי אישי ולא תקרי לי עוד בעלי, datur paraphrasis

*) Non esset res plane inutilis, si quis eruditorum Criticorum per collationem LXX. Interpretum & Paraphrastarum Chaldaicorum inquireret, num alteri alterorum versiones in interpretatione Codicis Hebræi viderint & contulerint. Multum mea opinione referret ad ætatem horum illorumve determinandam.

ſis, quæ cum noſtris *Jeremiæ* verbis, ſenſum quod attinet, examuſſim convenit, ſed clarior eſt. Ita autem JONATHAN ויהי בערנא ההיא אמר יי תתנהון לפולחני ולא תפלחון עוד לטעותא עממיא *Et erit in tempore illo, ait Dominus, vacabitis cultui meo, & non ſervietis ultra idolis.* Obſervare autem fere neglexeram, *Paraphraſin* JONATHANIS ab *antiquitate* quoque ſua, qua LXX-Viralem Verſionem e veſtigio ſequitur, aut illi ferme coæva eſt, expoſitionem meam quam maxime commendare. Et hac ratione & mihi ſumo verba M. TULLII, at quanti in cauſa dicenda Viri! imo *Cl.* CRAMERI, quæ *Doct. Amicus* §. 9. citatum ivit. Conſuli poſſunt de *antiquitate Jonathanis Cll. Viri* PFEIFERUS, CARPZOVIUS, WOFFIUS *Bibl. Hebr. T. II. p. 135. 159.* SEMLERUS *l. c. p. 368.* alii.

§. 12.

Plura non addo. Judicet jam ipſe *pl. Venerand. & Doctiſſimus Amicus*, cujus a latere ſtent *Septuaginta Alexandrini.* Judicent eruditi, qui amicas has contentiones legere haud dedignabuntur. Si quis plura ad hunc locum legere cupiat, adeat, qui eundem quoque excuſſerunt, antea a me non conſultos, DAVIDEM PAREUM in *Cal-*

Calvino Orthodoxo, & ad hunc locum *a crimine Judaismi absoluto p. 166.* & SIXT. AMAMA l. c. quos cum JONATH., OECOLAMPADIO & JO. TARNOVIO non solum in *Exercit Biblicis* ab *Amama* cit. sed etiam in *brevibus notis ad aliquot S. S. loca Rostoch. 1624.* ubi ad objectiones sibi motas respondet, & M. JO. LEON. RECKENBERGERO sing. diss. *de Foemina virum circumdante Jenæ 1732.* Septuaginta Viris jungo, si *Auctoritati* aliquis locus dandus sit; M. CHRISTIANUM GODOFR HASE itidem sing. diss. *de muliere ambiente virum Halæ 1753.* qui hanc paraphrasin exhibet: *Vide, quod veracissimus & summus Deus ex infinita Sua potentia hucusque inauditam rem suo tempore certissime productarus & procreaturus sit, nimirum nova Ecclesia, gentium videlicet, convertenda sedulo & diligenter circumibit, conjunctionem suam quæret cum Christo ut viro suo & marito sempiterno.* En aliam expositionem aliquo modo nostræ convenientem! Ne dicam de singulari hypothesi b. c. A. HEUMANNI, qui Vaticinii hujus implementum *in conjugio Estheræ, cum Principe Persarum* ponit, sicuti doceor ex *Biblioth. Germanique T. XXXVIII. pag. 192.*

§. 13.

Liceat tandem ad Etymologiam vocis vel Juramenti Judaici ANCHIALUM ap.

MARTIALEM exſtantis, quam Vir Doctus J. F. H. in ſcheda quadam reliquit, fateri, eandem & me, qui ſtudia hæc nunquam deſpicio, oblectaſſe; licet non opus eſſe exiſtimem, talia Judæorum verba Latinis auribus percepta tam accurate & quoad punctorum rationem Grammatice enucleare, cum ſatis conſtet, verba cujusque linguæ apud exteros, qui linguam alienam non ex profeſſo addiſcunt, quod de MARTIALI concedent omnes, varias ſubire mutationes, absque ut mutationes hæ grammaticam rationem habeant. Exprimunt ea, prout audiunt, ſive male ſive bene, & raro bene. Si vel lectionem inſtituat Dictionis Latinæ, Gallicæ aut Anglicæ Illitteratus Germanus, linguas has haud callens, mirum dictu quam hallucinatur! hoc magis, quando vel decies audita ſcripto conſignabit! Interim derivationem vocis ipſam non contemno, neque memini me eam unquam legiſſe; ſaltem non exſtat in multitudine earum, quarum Catalogum dedit P. ZORNIUS in *diſſ. de Scholis publicis antiquorum Judæorum Ploenæ 1716.* & Cel. C. VITRINGA P. in *diſſ.* prima *de Cauſis affictæ Judæis* Ονολατρειας *Franeq. 1681.* quam ZORNIUS non citat, neque conjecturas *Vitringæ*. Lubet præter eas, quas dedit *Anonymus noſter*, reliquas verbo adnotare, ut potiores ſaltim heic colligamus. ZORNIUS refutat

LE

LE MOINIUM, qui pro *Anchialum* mavult legere *Aigialum* & juxta notionem vocis Græcæ intelligit *Juramentum per littoralem Deum* vel *proſeucham littoralem*. Inſulſe. Adfert THOMÆ FARNABII ſententiam, qui *Martialem* ita emendat אם חי אלהי *Amchiala*, h. e. *Si vivit Deus*. Sunt qui legunt *per Aedchialam* אר חי עלם *per teſtem, qui vivit in æternum*. SELDENUS vocem *per* jungit τω *Anchialum* & vult eſſe יפרע חי עולם, i. e. *vindictam ſumet is, qui vivit in æternum*. Et hanc Etymologiam *Zornius* videtur adoptaſſe. Cl. VITRINGA vero refutat VOSSIUM, qui cum in vetuſtiſſimo *Martialis* codice *Thuanæo*, jam ante 900 annos exarato, ſcriptum ſit *Anchalium*, pro eo mavult legere *ancharium* αγγαριον, & per hanc vocem *Aſinum* intelligit, quia *aſini* erant αγγαριοι. Ceterum poſt citatas *Scaligeri*, *Farnabii*, *Petiti* & *Seldeni* derivationes ipſe derivationis periculum fecit, variasque conjecturas hunc in finem profert, easque data occaſione illuſtrare promittit, quod an exſecutus fuerit neſcio & dubito. Sunt inter has dignæ, quas recenſeam; ſua enim ſe ſimplicitate commendant, earumque cauſa imprimis hunc §. adpoſui. Ita ait. "Si non placeant citatæ, habe אנכי עולם, "quæ ſi interpreteris, habes *anchialum*: vel "אני חי עולם, quæ iterum jurandi for-

"mula

"mula & familiariſſima erat: *Ego vivo in ſe-*
"*culum:* & quæ voces conjunctæ אנחי
"עולם adeo accurate exprimunt illud *An-*
"*chialum*, ut vix ſit, quin credam hancce
"genuinam fuiſſe *Martialis mentem:* vel habe
"חן חי עולם, *Vere vivit in ſeculum:* ſi-
"quidem illud חן in aſſeverationibus uſur-
"patum fuiſſe conſtat ex *Maimonide* in *Peah.*
"*c. V.:* Quod חן חי עולם, transferres
"idiomate Latino *Anchialum*, ſiquidem τὸ
"ה potius per א quam per ſpiritum aſpe-
"rum efferrur: vel habe denique רע חי
"עולם *Novit is, qui vivit in ſeculum*,
"adeo uti plane hoc conferendum eſſet cum
"formula juriſjurandi Apoſtolici 2 Cor. XI,
"11." Ὁ Θεὸς οἶδε! DEUS NOVIT. —— Sed
jam ſatis; hinc manum de tabula.



X.

JANI GRUTERI EPISTOLA AD UBBONEM EMMIUM *).

Ubboni Emmio Janus Gruterus,

S. P.

Orbis ergo illa ambidextri lampas exſtincta aurea eſt,
Luminis ſui ſereno quæ tenebras cordium
Omnium fugabat inſtar Solis? Ergo Atlas jacet
Galliæ ſuæ THUANUS? Ergo Neſtor Galliæ
Deſiit loqui THUANUS? Ah! amico illo optimo
Maximo-

*) Ad fugam vacui hac *Gruteri* Epiſtola, cujus Mſ. vel Autographum vel Apographum humanitati & amicitiæ pl. Ven. & Doct. Collegæ JO. SMITHII debeo, vel potius Magni *Thuani* elogio hunc Faſciculum finio. Lectu ſane adeo jucunda eſt, & *Thuano*, *Grutero* & *Emmio* digna, ut, ſi forte jam excuſa ſit hæc Epiſtola, quod vix crediderim, nemini moleſtum eſſe poſſit, eam denuo heic reperiri.

N. B.

Maximoque destitutis quid relictum est,
quam simul
Publice cum orbe universo flere veras lacrimas?
Funus unum quippe factum funus est & omnium:
Qualiter si Sol laboret, nulla non gens obvias
Ilico sentit tenebras: & timet quivis sibi.
In THUANO flos profecto corruit Virtutium,
Gemmaque Eruditionum, margaritaque Artium.
In THUANO dignitatum perdita innocentia est.
Norma morum puriorum, spiritus Modestiæ:
Denique in THUANO obivit omnis Excellentia.
Hæc mea est opinio, hæc est, EMMI, item scio Tua;
Utpote illi corde, mente, literis & moribus
Proximus, si Belgio omni quispiam ipsi proximus,
Ac proinde agnosces, Heros optime, Heroum penus.

Francofurti in Nundinis
20 Septt. 1617.

BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-
THEOLOGICA

CLASSIS QVINTAE

FASCICVLVS TERTIVS
ET VLTIMVS.

BREMÆ & AMSTELODAMI
Sumptibus Bibliopolarum
Viduæ b. G. W. RUMPII & H. VIEROOT.
MDCCLXV.



VIRO
SUMME VENERANDO
ET
CELEBERRIMO,
NICOLAO NONNEN,
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI
ET PROFESSORI P. O.
IN ILLUSTRI BREMENSIUM LYCEO,
EJUSQUE RECTORI MAGNIFICO,
UT ET
ECCLESIASTÆ AD D. VIRGINIS,
ET VENERANDI MINISTERII
SENIORI,
SUO
EX PARENTIBUS UTRINQUE UTERINIS
ADFINI,
ET IN UTROQUE MUNERE,
ECCLESIASTICO ET PROFESSORALI,
COLLEGÆ MULTO NOMINE HONORANDO,
QUI
SUO OLIM EXEMPLO
IN ADORNATO MUSEO BREMENSI,
SOCIATA OPERA
CUM B. THEODORO HASÆO,
MAGNI NOMINIS VIRO,
OSTENDIT
TALEM COLLECTIONEM
SYMBOLARUM ERUDITARUM
IPSI NON ESSE INGRATAM,

QUINTUS DECIMUS HIC

BIBLIOTHECÆ

BREM. NOVÆ

FASCICULUS,

EXISTIMATIONIS DEBITÆ,
ÆQUIQUE ANIMI SUI ET ADFECTUS
TESTANDI CAUSA,
SACER ESTO,

ET UT

IPSI IN UTROQUE MUNERE
BENE SIT,
EJUSQUE DOMUI,
USQUE DUM CONFECTUS SIT ÆVO,

QUIN

IN SERA POSTERITATE
BENE SIT,

ATQUE,

QUOD CUNCTIS HIS LONGE
LONGEQUE BEATIUS EST,
PROPITIO FRUATUR NUMINE
AD OMNE BONUM OPUS,
ET ADIPISCENDA TANDEM
SALUTIS ÆTERNÆ
IN CHRISTO GAUDIA,
PIA FUNDUNTUR VOTA

AB

EDITORE

NICOLAO BARKEY.

SYLLABUS
OPUSCULORUM
FASCICULI TERTII
CLASSIS QUINTÆ.

I. MAGNI BERONII, nuper *electi regni Suio-Gothici Archiepiſcopi & Academiæ Upſalienſis Pro-Cancellarii Eminentiſſimi*, Pietas Camenarum Upſalienſium *in beatos manes Reverendiſſimi Patris* ERICI BENZELII, *deſignati Regni Suio-Gothici Archiepieſcopi & Academiæ Upſalienſis Pro-Cancellarii Upſaliæ a 1744 die XVIII. Oct.* parentali ſermone declarata pag. 395

II. JO. CHRISTOPHORI HARENBERGII Cogitata *de Poena ſervi bicordis ac promiſſum faüentis* MATTH XXIV, 45-51. LUC. XII, 42-48. JAC. IV, 8. V, 12. pag. 455

III.

II. EJUSDEM Vindiciæ Abrahami, *quibus refelluntur proterve in eum dicta ab Auctore libri* DICTIONAIRE PHILOSOPHIQUE PORTATIF, cum mantissa *adversus Censorum Batavum* Y. v. H. *ad res Abrahami pertinente* pag. 499

IV. JOANNIS NICOLAI RICHTERI, *V. D. M. Ernestivillani*, Observatio *ad* JOH. VII, 38 pag. 544

V. JOANNIS PHILIPPI CASSELII, *Prof. Brem.* Observatio Critica, *Cæsarea Mauretaniæ Urbs unde* JOL *vocata* p. 555



I.

MAGNI BERONII,

NUPER ELECTI

REGNI SUIO-GOTHICI ARCHIEPISCOPI,

ET

ACADEMIÆ UPSALIENSIS PROCANCELLARII

EMINENTISSIMI,

PIETAS CAMENARUM

UPSALIENSIUM

IN BEATOS MANES

REVERENDISSIMI PATRIS

ERICI BENZELII,

REGNI SUIO-GOTHICI ARCHIEPISCOPI,

ET

ACADEMIÆ UPSALIENSIS PROCANCELLARII

EMINENTISSIMI,

UPSALIÆ, IN ACADEMIO CAROLINO MAJORI,

ANNO MDCCXLIV. DIE XVIII. OCTOBRIS,

PARENTALI SERMONE DECLARATA.

AUDITORES OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI MOESTISSIMIQUE.

Extulit ſuperiore anno Orientalis Gothiæ urbs incluta & Epiſcopalis ſedes, Lincopia, luctuoſiſſimis exſequiis, Præſulem ſuum, immortalis memoriæ & divinis in Eccleſiam, in Patriam, inque univerſam Rem Literariam meritis fulgentiſſimum Virum, Patrem ac Doctorum Reverendiſſimum, ERICUM BENZELIUM. Extulit, proh! extulit eodem hoc funere, deſignatum principis hujus Diœceſeos, immo totius Eccleſiæ Suiogothicæ Summum Antiſtitem, hujusque Academiæ Ephorum & Procancellarium Eminentiſſimum. Fata, quæ vitam diſpenſant mortalium, ſi fas audacula, Chriſtiano tamen ſenſu temperata voce uti, fata, inquam, inviderunt nobis hanc felicitatem, qua cœleſti hoc, quod nobis oſtenſum tantum erat, depoſito frui apud nos liceret ſolide, quave magnus hic Vir & ſemo ſeculique ſui rarum decus, intra hæc mœnia & tecta, hæc templa & ſacraria, has curias, hæc Palladia noſtra,

ſtra, quod boni omnes deſiderabant, receptus, Metropolitanam hanc Sionem & Arctoum hunc Helicona, vivus aliquamdiu nobis & ſuperſtes, benefactis ſuis, propiore velut numine, beare poſſet ac demereri; & porro dein prorogato vivendi ſpatio ad eam metam, quam mortalitatis leges permiſſuræ forent, poſtquam orbem amplioribus adhuc meritis devinxiſſet, tandem annorum laborumque ſatur, hac ſede ſua, & apud has ſuas Camenas, beatum ſpiritum ſuum patrio cœlo reſtitueret, beatas poneret exuvias, noſtro imprimis fletu & comploratione majorum tumulo inferendas. Non ita fortunatis nobis eſſe licuit. Quantum vero cunque hæc ſequior nobis conditio fuerit, numquam committemus ulla inclementis ſortis diritate eo adigi, ut, qui aliis hac felicitate inferiores ſumus, etiam pietatis officiis cedamus. Muſæ Lincopienſes, grande hoc Patriæ & Eccleſiæ funus decenti pridem pompa & honore proſecutæ, totæque in lacrumas effuſæ, parentalibus etiam næniis communem hanc cladem defleverunt; quod vero illæ facientes, ſi, re juſte penſitata, vera diſſimulare nolumus, Præſulem hunc, non tam ſuum amplius, quam noſtrum, nec tam ſibi, quam nobis ereptum, nobis amiſſum, atque in tam cari jactura capitis noſtra verius, quam ſua damna deplorave-

runt: relicturæ quippe, nolentes, volentes, reddituræque hunc Noſtrum nobis, ſuo tempore, ſi fata Deusque benignior diuturnioris ævi uſuram largiri voluiſſent. Quid igitur? noſtræne ſilebunt Camenæ, dum omnia luctu & plangoribus circumſonant? Aliorumne, noſtris ingemiſcentium malis, noſtramque ſortem miſerantium, queſtus ac lamentabiles voces exaudiemus ipſi inflexiles & immobiles, ſine ſenſu doloris, ſine ulla triſtis deſiderii teſtificatione; quaſi nihil horum ad nos pertineat? Siccis nos oculis hæc adſpiciemus? non reor: niſi ingratiſſimi eſſe mortalium, aut pro iis haberi velimus, qui noſtra infortunia non ſentiamus, aut, ſi ſentiamus, noſtri partes officii indecore negligamus. Quod igitur huic Lyceo bene vortat, Veſtro, Patres conſcripti, tam laudabili nutu, tamque cordato ſuffragio, Camenæ etiam Upſalienſes, quæ ut ſolent mentes repentino perculſæ metu obſtupefieri, deficientibus ad inſperatam hanc cladem, una cum ſenſu, ipſis etiam verbis, magnitudinem mali intra præcordia ſua, triſti in hunc usque diem ſilentio, preſſerunt; nunc, ſtupore demum ſuo velut expergefactæ, venient in communes leſſus & lacrumas, ſuoque planctu cum Lincopienſibus ſociato, ſupremæ hoc pietatis pulcerrimum certamen inibunt. Non quod exiſtimemus

ſtimemus tanti nominis ſplendori aliquid noſtra commendatione accedere; ea enimvero eſt BENZELIANA virtus, quæ vulgares ſupergreſſa modos ſeque ipſam complexa, menſuram ſuam tota in ſe habeat; nec illa ex nobis, verum nos ex illa gloriam & famam conſequamur: Sed quod jubet Pieridum noſtrarum pietas hoc fieri debere in alumnum, quem ſuo hoc jugo natum, ſuo educatum gremio, ceu fulgidiſſimum ſidus ſuum ſuſpexerunt ſemper; quemque porro etiam dulce decus & præſidium ſuum habituras ſe ſperabant, quemadmodum antea collegam optimum, præceptorem veterem & doctorem, divinæ omnis & humanæ ſapientiæ adfluentiſſimum, habuerunt. Invitat tanti nominis decus: neque enim quidquam huic ſocietati contingere poteſt honorificentius, quam ejus ſibi vindicare laudes, quem in tanta rerum ampliſſimarum luce & faſtigio collocatum, velut perfectiſſimam virtutum imaginem & exemplar, ſeculique hujus Phœnicem, atque inter ſingularia ævi noſtri miracula coruſcantem Virum, & noſtri, & exteri homines admirantur & colunt. Ne dicam ex veterum & recentiorum exemplis non eſſe quidquam hujuscemodi pietate noſtra æquius, ſplendidius illuſtriusque: cum & magna Eccleſiæ lumina, ATHANASIUM & BASILIUM, non modo emortua-

lia loca, Alexandria & Cæsarea, funebribus elogiis condecorarunt, sed & in aliis urbibus, ecclesiis & scholis multi eo tempore præstantes viri has ad se partes existimarunt pertinere, ut tantorum nominum encomiastas & siticines agerent; Alexandrini quidem Præsulis, inter ceteros, GREGORIUS NAZIANZENUS: Cæsareensis vero, præter eundem Nazianzenum, fidum studiorum ac itinerum sodalem, etiam alter ille GREGORIUS, Basilii frater, Nyssenus Præsul, & AMPHILOCHIUS Iconiensis, & una eademque tempestate diversis locis complures alii. Atque apud nos, cum, ante hos quatuor annos & quadraginta, ad superos evasisset Occidentalis Gothiæ Præsul, B. PERUS RUDBECKIUS, Scarenses pariter ac Upsalienses Camenæ supremæ in defunctum senem pietatis pensa ita inter se distribuerunt, ut illæ quidem sui Episcopi, nostræ vero sui præceptoris & doctoris manibus parentalia justa persolverent. Ad incomparabile quidem hujus doloris levamentum plane supra vota nostra accidisse nobis gratulamur, quod vacuam Archiepiscopalem sedem Fraternæ successioni, divino munere, destinatam hodie videamus; tamen ne sic quidem amissi Præsulis hujus desideria apud nos obsolescere patiemur: cum & filii Israelis defunctos Aaronem & Mosen multum multisque

que diebus deflevere, quamvis utrique ſucceſſor jam deſignatus eſſet a Domino, huic ad regendum populum Joſuas; illi ad obeundum ſummum Pontificatum Eleazarus. Unum, Auditores, unum fortaſſe ſit, quod in veſtra hac pietate deſiderari poſſit: quod non is illi laudator contigit, qui dicendo illius adſequi virtutes valeat. Quapropter, dum hoc ego ſubire onus ſuſtineo, fatebor ingenue, non ſatis feciſſe, id ut facerem, vel eorum, quibus hoc in negotio obtemperare debui, voluntatem; vel veterem meam adverſus hunc Virum obſervantiam, graviſſima alioquin in ſe ad hoc officii genus momenta: ſed ipſa, quod vix dictu credibile eſt, Viri merita per ſuam magnitudinem, ipſamque, quæ exinde dependet, operis difficultatem; quæque adeo terrori eſſe poſſint aliis, ea, ut hanc ſpartam non detrectarem, mihi ſtimulo fuiſſe ac incitamento: conſideranti quippe, neminem ex ſplendidiſſimo hoc cætu veſtro, Patres conſcripti, etiam exercitatiſſimum, fore, qui in hunc, quo nunc ego deprehendor, articulum incidens, non agnoſceret eandem ſe experiri, in ſummo rerum clariſſimarum fulgore, ingenii hebetudinem ac defectum, inque laudum meritiſſimarum copia eandem eloquii inopiam ac ſterilitatem, quam ego heic experior. Quo tamen ipſo hoc admi-

rabilior Is haberi debet, quod ejus laudes non ſupra meas tantum ſunt vires, quæ minores etiam quam mediocres ſunt, ſed & eorum, qui facultate & ingenii & artis in hoc genere ſupra alios excellunt. Enitar vero hoc, quod mihi injunctum eſt, munere, quantum in me eſt, defungi: Vos adeſte & favete.

Editus in hanc lucem Noſter anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo quinto, vergente ad finem Januario menſe; quod tempus, Patriæ noſtræ auſpicatum imprimis ac feſtivum, Auguſtiſſimi Septemtrionis Monarchæ, CAROLI XI. inauguratione Regia faſtos noſtros Suiogothicos nobilitavit. Editus, inquam, parente ERICO BENZELIO, tunc temporis Profeſſore ad hanc Academiam celeberrimo & Theologo conſummatiſſimo, facto dein Epiſcopo Stregneſenſi, tandemque metropolitanæ hujus Diœceſeos Antiſtite ſummo, totiusque Regni Suedici Archiepiſcopo eminentiſſimo, viro propter magnam eruditionem ac ingentia in Eccleſiam remque literariam merita nomen conſecuto, quod non

Poſſit diruere aut innumerabilis
Annorum ſeries, aut fuga temporum.

Matre vero, lectiſſima ſui ſexus gemma, MARGARETA ODHELIA, quondam inclutiſſimi

tiſſimi ad hanc Academiam Profeſſoris Theologi, poſtea primarii apud Holmenſes Paſtoris, Conſiſtoriique Urbici Præſidis graviſſimi, Doctoris ERICI ODHELII filia: matrona pietate, pudicitia, feminèoque omni decore ſui ævi Hecubis & Andromachis vel æquali, vel ſuperiore. Natus primo loco inter ſeptem fratres, quorum duo, una cum noſtro, paternum inclareſcendi genus ſecuti, infulata hodie Eccleſiæ Suiogothicæ lumina fulgent: reliqui omnes imaginibus clari, inſignibusque in republica meritis ac officiis illuſtres Viri exſiſtunt; ex quibus Te, Nobiliſſime Generoſiſſimeque Secretarie Regie, GUSTAVE BENZELSTIERNA, fraterna hæc juſta & pullatum hunc conſeſſum exoptata præſentia Tua cohoneſtantem, cernui veneramur. Adoleſcentulo his natalibus orto, ac præterea ſuopte ingenio ad egregia quævis adſpiranti, quis dubitet a majorum exemplis multum deinde cum annis acceſſiſſe ſtimuli, multum alacritatis atque animi ad ſectanda ſuorum veſtigia? Nemo quidem ſapiens, alienis meritis, & quæ propria non ſunt, ſuas unice laudes metitur, cum & Noſtri Parentis, BENZELII majoris, virtutes oſtendant, homines, ad magnos Patriæ uſus natos, ſæpenumero ex tenui primum caſa proſiluiſſe: tamen ubi contigerit ingeniis excitatis & ad ſingulares

ſpes progenitis, præter naturæ bonitatem, etiam parentum, cognatorum, avorum atavorumque exſtantia per orbem merita, oculisque, in quam ſe cunque vertant partem, ingerentia ſeſe vivendi decora & exempla, velut in patrimonio habere, haut quisquam inficiabitur hæc multum in ſe continere efficaciæ ad vivam virtutis imaginem mentibus imprimendam, multumque ſufficere roboris ad id conſectandum, quod in laudatiſſimis conatibus conſummatum ducimus atque excellens. Itaque novus hic Paternarum laudum ſectator æmulus, quamprimum ad id ætatis pervenit, ut in virtutis ſtadium immiſſus gradus aliquos carpere cœpiſſet, in Paterna domo, illuſtrium exemplorum fecundiſſima, varia eaque validiſſima, quæque ante oculos ipſi verſabantur quotidie, virtutum habuit incitamenta. Erant Illi Fratres in eadem ſecum arena currentes, quorum acri accenſus æmulatione, niteretur aliquid præ illis habere, quo, ut ætatis, ita ſtudiorum anticipatis ſpatiis, emineret excelleretque. Intra eosdem lares frequenter, ut fit, audiebat celebrari Materni ſanguinis ſatores, ODHELIOS, LAURELIOS, KENICIOS. Poſtremo una, unis ædibus & jugi convictu, adoleſcebat nunc inter ſurgentes laurus & inclareſcentia auſa trium Avunculorum ODHELIORUM, ſub

BEN-

BENZELII Majoris, horum Adfinis, Noſtri vero Parentis, lima & auſpiciis ad ſolidioris ſapientiæ & virtutis apicem generoſis paſſibus tum maxime tendentium. Quo modo concipimus, idem illi accidiſſe, quod Maroniano Aſcanio, ad quem genitoris aurea hæc vox ſonat apud vatum principem:

Tu facito, mox, cum matura adoleverit ætas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum
Et Pater Æneas & avunculus excitet Hector.

Nec fruſtra fuerunt hæc calcaria. Namque in diſciplinam mature traditus peritiſſimis magiſtris, LAURENTIO MOLINO & DANIELI GADDIO; quorum ille poſtmodum utriusque Pindi, Pernavici puta & Upſalici, ornamentum cluebat inſigne: hic in Athenæo Stregneſenſi Lectoris munia, magna cum laude, explebat. His ducibus, horum ſub vexillis, tenellus puſio adoleſcentis tirocinii rudimenta, ea ingenii felicitate, ea, quidquid adſundebatur, apprehendendi retinendique ſollertia, depoſuit, ut non cæco jam augurio Pater in filiolo ſuam agnoſceret imaginem, commilitones ſuperiorem ubique ſuſpicerent, omnes vero lepidiſſimum

hoc

hoc aviti decoris pignus, ceu novum aliquem Piſonem, intuerentur, qui

Ore puer, puerique habitu, ſed mente ſagaci
Æquarat ſenium atque aſtu ſuperaverat annos.

Argumento erat neutiquam fallaci, quod in orientalium Muſarum ſcholas, quæ ſub exercitatiſſimis in hoc genere viris GUSTAVO PERINGERO & JOHANNE PALMROTHIO, ea tempeſtate, in Camenarum hac ſede, magno vigebant fervore, duodecennis admodum puer reciperetur, receptus vero ipſorum exſpectationem doctorum plane anteverteret, inque ſapientum Ebrææ gentis ſpinoſiſſimo quantumvis ſtudio ea, intra breviuſculum tempus, ſpatia emenſus eſſet, ut anno ætatis ſuæ duodeviceſimo luculentam & egregiam commentationem Rabbinicam de *Siclis Judæorum* in lucem ederet, editamque ſub umbone Peringeriano ex his roſtris publice defenſitaret. Res miraculo proxima in tantilla ætate, & fidem vix inventura, niſi aliorum exempla, licet rariora, comprobatam ac poſſibilem oſtenderent. Nam & magnum illud literaturæ Sionicæ lumen, JOHANNES DRUSIUS, de filio ſuo, quem præcocis ingenii juvenem mors æque præcox & immatura nimis

mis interceperat, hoc perhibet teſtimonii luctuoſus genitor, præter latinas & græcas literas, quas pridem accurate tenuiſſet, in Chaldaicis etiam, Syriacis atque Ebraicis eas in conſimili ferme, qua hic Noſter jam erat, ætate feciſſe progreſſiones, ut Judæus quidam, qui tum Lugduni Batavorum Arabicam linguam profitebatur, juniorem Druſium Ebraica punctis ſuis exuta, atque in his Gemaricos etiam Talmudicosque textus perfecte legentem interpretantemque, cum admiratione, audiverit. Vix alia dies ſtupore magis defixa tenuit hæc ſubſellia, Auditores, quam hæc ipſa, quæ novum hunc Eoæ Pallados Alumnum in ſapientiæ hoc theatrum produxerat: quando cernere licuit adoleſcentem adhuc prætextatum in Orcheſtra ſua ita ſe gerentem, quemadmodum ſe geſſiſſe non pœnituiſſet maturæ ætatis viros, & nunc integra fragmenta Rabbinorum ſuorum recitantem promte atque expedite, nunc ſententiarum divortia ſolide percenſentem, ante omnia vero impugnantium tela fortiter excipientem, fortiter repellentem; verbo, tanta hic verſantem cum dexteritate, ut, qui præclaræ hujus concertationis tenebat gubernacula, cum vellet commilitoni præcipuum palmæ decus adſerere, non haberet amplius quo id præſtaret, quam quod vivaciſſimi hujus ſodalis, nihil quidem

dem in hoc articulo ægrius ferentis quam silere, egregie & appositè responsis plerumque silenti nutu & applausu adstipularetur, suumque calculum adjiceret. Ita, qui Pierio natus erat jugo, inter hos primæ ætatis nisus ac initiamenta, in ipso velut Musarum dein gremio positus, miris indies adolescebat incrementis.

Irradiabant tum Pindum hunc arctoum sidera inoccidua, SCHVEDII, SALENII, LAGERLOFVII, NORRMANNI, OBRECHTI, NORCOPENSES, DIURBERGII, quorum singuli in ejus fingendum expoliendumque ingenium suas quique dotes, ceu in Pandoram aliquam, certatim contulerant: hic vero tantorum luminum benigniore velut adflatu & perenni cum iis conversatione exsuscitatus, hauserat illud generosum & erectum animo, illud literis moribusque politum ac elegans, illud doctum ac subactum ingenio, quod per omnem vivendi agendique habitum in ipso emicuit exsplenduitque; Noster in omni vita servavit, numquam deposuit.

Interea, labentibus aliquot annis, visum erat, producendo ulterius ingenio, transmarinas etiam debere Musas adiri. Ecce vero peropportuna ad hoc ipsum sese obtulit occasio. Incidebat forte tempus, quo

quo rerum Septemtrionis noſtri Stator maximus, Rex glorioſæ memoriæ CAROLUS XI, in incrementa rei literatæ, & ad provehenda ſtudia Theologica in his oris, conſtituit coloniam doctiſſimorum aliquot juvenum extra limites regni deducere, qui, munificentia regia mactati fuffultique, peregrinando induſtriam ſuam apud exteros vel locupletarent vel acuerent, ſeque ad magnos Patriæ atque Eccleſiæ uſus præpararent. Jamque

- - - - *Altera, quæ vehat, Argo*
Delectos - - - -

juvenes, in procinctu erat. Cogitur, Auguſtiſſimi Mæcenatis juſſu, agmen ſelectiſſimorum ingeniorum hominumque, qui velut ad novam Colchida expeditionem facturi, aliquid aureo vellere pretioſius in patriam reportarent. Horum in numero Noſter ſua virtute, quæ tum pridem potentiſſimi Principis non fugiebat notitiam, ac inſuper gratia, qua Parens BENZELIUS apud clementiſſimum Regem florebat, cetero quidem comitatu ſola ætate, non ingenio, non eruditione, non ſpe impar aut inferior, inſignem obtinuit locum: ſodalibus etiam ſuis hoc nomine felicior, quod, in quemcunque mundi eruditi angulum penetraturus eſſet BENZELIUS, in quas oras delatus

is

is foret, magni Parentis famam, & avorum merita, & nunc recentiſſime Avunculorum ODHELIORUM ſignata per literatum orbem veſtigia, obvia ſibi paſſim haberet; totidem ſui ingenii, avitarum laudum capacis, oſtendendi, totidem avitæ virtutis æmulandæ futura incitamenta: immo quæ totidem ad eruditos homines parandi acceſſus facilis ac perbenigni auſpicatæ occaſiones ac inſtrumenta eſſent exſtitura. Id vero cum alibi, tum Hamburgi, in ipſo limine itineris, expertus eſt. Nam cum, anno ſuperioris ſeculi XCVII, in florentiſſima hac urbe conſalutaret MAJERUM, ibi magnus hic Theologus, audito nomine BENZELII, primum obtutu hærere in novi hoſpitis vultu, mox ubi ex ipſo ore, ex ſermone & omni habitu BENZELIANI agnoſceret ingenii igniculos, tum vero toto exhilaratus animo advenam complexu premere, & ut lare, ut menſa, ut ſupellectili libraria, quæ quidem numero ac delectu voluminum inter privatas in Germania habebatur eo tempore princeps, inveteratæ jure amicitiæ, cum Parente olim contractæ, apud ſe frueretur, non tam invitare, quam jubere. Proficiebat autem, quamdiu in amœniſſimæ hujus urbis hæſerat ſeceſſu, non tantum in Majeriano hoſpitio, ſed etiam ex aliis, imprimis PFEIFFERO, EDZARDO *ſeniore* & FABRICIO; horum

rum bibliothecis, tamquam ſuis, diligenter uſus: ut non abs re dicere poſſimus, Noſtrum per tantorum Polyhiſtorum amicitiam fundamenta jam tum jeciſſe ſtupendæ iſtius notitiæ literariæ, cujus deinde uſus ipſi in longitudinem patuit, quave, dum in vivis erat, paucos habuit æquales, priorem neminem. Cogitabat in ſuperiorem Germaniam propter ſtudia ſacratiora: ſed ut, facto modico diverticulo, viam dirigeret per Hannoveranam urbem, alliciebatur imprimis fama magni LEIBNITII, qui, deprehenſa Noſtri in rimandis artibus ac ſcientiis diligentia & acumine, illam, ut ingeniorum æſtimator hic erat Lynceus, mox de BENZELIO cepit opinionem, quam dein omni, quo mortalium generi ſuperaverat, ævo per amicitiam & literarum commercia, nullis umquam temporum & locorum rupta intervallis, abunde teſtatam dedit. Flexo hinc tramite per Brunsvigam Guelferbytum acceſſit, urbem loci amœnitate, mœnium præſidio, ipſa Principis aula, &, quod Noſter ante omnia reſpiciebat, Bibliotheca incomparabili conſpicuam; ut quæ codicum impreſſorum & manuſcriptorum copia, raritate, pretio, nullam in univerſa Germania, ſi Vindebonenſem excipias, agnoſcit ſe excellentiorem. Excuſſis igitur hic pluteis forulisque librariis, excuſ-

ſis chartophylaciis indicibusque ſapientiſſimi Principis GUSTAVI SELENI, qui propria ejus manu exarati, religioſe heic cuſtodiuntur; denique omnibus, quæ mentem literatæ curioſitatis avidam ſatiare poterant, perluſtratis perveſtigatisque, Helmſtadium divertit; ubi Doctorum Juliæ Academiæ celebratiſſimorum, SCHMIDII, *von der* HARDTII, COERBERI, BÖHMERI jucundis colloquiis animum, Guelferbytanis nonnihil defatigatum lucubrationibus, egregie paſcebat refocillabatque. Viſa in transcurſu Parthenopoli, Halam Saxonum advenit: paulliſper heic ſuſiſtendum ratus, tum ut CELLARIANA proficeret polyhiſtoria; tum ut magna literati orbis columina, STRYKIUM, THOMASIUM, LUDEVIGUM, intimius cognoſceret, ab eis viciſſim cognoſcendus; tum denique ut ſagaciſſimus obſervator altius introſpiceret in receſſus novæ iſtius Theologiæ, quam triga Doctorum ejus loci, BREITHAUPTUS, FRANKIUS & ANTONIUS, orbi Evangelico tum maxime propinabant, non ſane absque ingruente novaturientium adplauſu; at ſimul, ab altera parte, non ſine magno animorum motu laceſſente eos, qui intemeratæ Sionis mœnia, & aras, & focos conſtantius tueri volebant: ſed

--- *Quis*

Quis prælia fando
Explicet, aut poſſit lacrimis æquare labores?

Contemplatus hic etiam Frankiani orphanotrophii ſurgentia tunc tecta, ad quorum ſtructuram, divina quaſi virgula, & miraculi in modum, ex ignotis certe locis hominibusque ſubmiſſæ opes & bonorum myrmecia indies adfluere credebantur. Lipſiæ ad CARPZOVIOS, MENCKENIOS, RECHENBERGIOS, ITTIGIOS, acceſſus habuit faventiſſimos. Jenenſium Doctorum DANTZII & BECHMANNI; illius quidem in Arabicis & Talmudicis: hujus vero in Polemicis ſtudiis uſus eſt fideli informatione. Et BECHMANNI ſane miram in docendo facilitatem, inque controverſiis tractandis perſpicuitatem inimitabilem a noſtro non ſemel collaudatam accepimus. Viſa Erfurtenſi Academia, quæ in antiquiſſimis Germaniæ numeratur, Gotham petiit. Superbiebat tum hic locus magno Polyhiſtore & menſtruarum recenſionum ſcriptore amœniſſimo WILHELMO ERNESTO TENTZELIO. Hic noſtri captus ingenio, non modo variis eum innexuit eruditorum hominum amicitiis, ſed etiam propius contingere divos fecit, inque Principis Svartsburgici Sereniſſimi, ANTHONII GUNTHERI, ora indulgentesque affatus produxit, qui, cognita novi advenæ curioſitate ac peritia

in re numiſmatica, ingentis pretii cimeliarchium Arnſtadienſe, theſaurum numarium, cui, ante id tempus, par nihil aut ſecundum in hoc genere vidit Germania, hoſpiti huic hyperboreo juſſit recludi, & quantum ſat erat, viſendum examinandumque exhiberi; quando ſimul hac occaſione acquiſivit ſibi familiaritatem doctiſſimi MORELLI, Viri in elegantioribus hiſce ſtudiis, iſthoc ævo, per orbem celebratiſſimi. Jamque Giſam profectus, in convictu & familiari converſatione cum MAJIS, BILFELDIIS, GERHARDIS, LANGIIS aliisque menſes aliquot, magno ſtudiorum emolumento, tranſigit, cum nundinæ ingruerent *Francofurtanæ*, negotiantium frequentia & mercimoniorum artificiis, pretio, varietate, copia, toto orbe famigeratiſſimæ. Nec tamen hæc erant, Auditores, quamvis curioſi peregrinatoris attentione in ſe haut indigna, quæ Noſtrum huc evocarent arceſſerentque: erant alia, pro ſuo inſtituto, multo excellentiora: erant integræ bibliothecæ, integra bibliopolia & librorum plauſtra, huc ad mercatum convehi ſolita, tot rariores libri, tot nova ingenioſæ Pallados inventa, & quidquid literato homini, rerumque in erudito orbe ſagaci indagatori, cælaturam, ut ajunt, olere poſſet, jam ſimul unum cuncta ſub conſpectum provenientia;

tot

tot denique commeantes huc ex universa Europa eruditi viri, alias forte numquam visendi, nunc vero compendiaria via adeundi singuli, cognoscendi, usurpandi. Sed & ipsum CHRISTIANUM DIPPELIUM, matæologorum hujus ævi coryphæum, Nostro tum primum hac occasione conspectum accepimus. Quod vero tamen portentum hominis, exactis postea sex lustris cum dimidio, Holmiæ, sub ipsis comitiis Regni, denuo vidit, &, postquam cum eo collocutus esset, obstupuit. Relicto Francofurto, secundo flumine recta devehitur in Belgium; nisi quod in transitu Colonia Agrippina, urbs ampla & imperialis, ac insuper Academia, collegiis fratrum Lojolitici ordinis variisque antiquitatum monumentis præclara, moram aliquot dierum sibi deposceret: simul videndæ aulæ Palatinæ Neoburgicæ, Dusseldorfii jam tum residentis, opportunitate usus; procurante ipsi hanc rem Libero Barone de MULLERN, qui legati Suedici munere in his oris, eo tempore, fungebatur.

Ubi ad Batavos accessit, quod ex patrio litore solvens sibi persuasum habuit, id ipso nunc expertus opere, elegantiores Musas in nativo cultu & splendore suo heic vidit & veneratus est. Sedes ac deliciæ præ-

cipuæ nobilitatis Belgicæ Ultrajectum eſt, qua quidem nulla in hac gente cultior politiorque civitas. Hic eum detinuit, ante alios, humanitas ſummi LEIDECKERI, Theologi. in quo cum profunda eruditione certabat animi temperata gravitate moderatio. Detinuerunt GRÆVIUS, KUSTERUS, GRONOVIUS, SICKIUS, nomina, an numina dixerim? quibus in literatura Orientali, Græca & Romana nihil cogitari poteſt doctius, nihil perfectius, nihil prope divinius. Amſtelodamum ingreſſus, in quod, velut in orbis forum, litora ſub utroque Phœbo jacentia congeſtas opes & communem Mercurium in medium adferunt, Noſter non alias opes, non alios quæſtus reſpexit, quam quos ſibi parare poſſet ex eruditis hominibus; quos inter heic tum fama percelebres erant SURENHUSIUS, CLERICUS, BRECKLINGIUS, OLIGERUS PAULI, alii, numero plurimi. Etiam cum Judæis, quorum magna vis intra hæc mœnia concluditur, commercia habuit; non cum circumforaneis illis propolis, bipedum nequiſſimis, qui undique æruſcantur & corradunt: ſed cum Soharicis luminibus, & caliginoſi Talmudis ſui exegetis ac interpretibus eximiis, cum doctoribus & patriarchis Synagogæ utriusque, Alemannicæ & Luſitanicæ; hujus vero præcipue, cui, vel ædificii

ficii ſuperba ſpecie & ſtructura, vel poſſeſſorum opulentia & divitiis, præferendam aut æquiparandam non habet recurita gens aliam in univerſo orbe. Non ſemel etiam colloquio congreſſus cum famoſo Apoſtata MOSE GERMANO, a gente, unde oriundus, nomen ſortito, qui, abjuratis (horribile dictu) ſacris Chriſtianis, ad blasphemæ gentis ſuperſtitiones & affanias, inuſitato ac deteſtando facinore, defectionem fecerat. Quid cetera commemorem omnigenæ ſapientiæ oracula, MARCKIUM, SCHAAFIUM, POIRETUM, MORINUM, HELMONTIUM, PETR. de MASTRICHT, JURIEUM, LIMBORCHIUM, MAJERUM, JACOBUM GRONOVIUM, VITRIARIUM, &, quem primo fere loco nominare debuiſſem, HERMANNUM WITSIUM, ſui ævi Lactantium; aliosque, quos, Belgium peragrando, vel Hagæ Comitum, vel Amſtelodami, vel Roterodami, vel Harlemi, vel Haiderovici, vel Delphis, vel ipſa Palladis Batavæ ſede, Lugduni, amicos atque eruditæ conſuetudinis federe ſibi reddidit conjunctiſſimos.

Incidebat tempus, quo etiam viſeret
- - *toto diviſos orbe Britannos.*

Prima in Caledonio litore ſtatio fuit Londini. Placuit in hac domina regni Britannici urbe primis ignoti ſermonis difficultatibus

expugnandis aliquamdiu teneri, antequam ad alia loca discurreret. Quo facto mox ad principes in hoc orbe Academias, Cantabrigiensem & Oxoniensem, concessit; longiori etiam mora apud famigeratissima hæc Musarum domicilia hærens, nisi quod primam sedem suam, Londinum, captandæ quasi relaxationis caussa, subinde, ac per intervalla, repeteret: Virorum vero doctissimorum conciliata sibi ubique familiaritate, in primis COVELII, BARNESII BENTLEJI, PARKERI, LANGTHONI, POTTERI, DODWELLI, MILLII, WANLEJI, ALLIXII, SMITHII, HODLEJI, HICKESSII, HUDSONII, GRABII, SLOANI, BURNETI; insigni quoque honore habitus TENISSONO, Archiepiscopo Cantuariensi, cujus humanitas ad Bibliothecæ Lambethanæ quotidianos usus liberum ipsi impertivit accessum. Longum foret enarrare, quos Viros alios, eruditione claros, compellarit, quas Bibliothecas, vel publicas, vel collegiales, vel privatas, adiverit, cognoverit, examinarit, quid viderit, quid observaverit; quos rariores manuscriptos codices evolverit, rimatus fuerit, exscripserit, quid annotaverit inque adversaria sua impiger & profundus scrutator congesserit, comportaverit, constipaverit. Ceterum quod ad Britanniam, ut brevitati studeamus, hoc memorare

morare ſufficiat, inſulam hanc fortunatam Noſtro mirifice placuiſſe, non tantum propter ſummam, quam & a natura & a cultu habet amœnitatem, ſed vel inprimis propter excellentes Bibliothecas & eruditos viros, quorum omnium nulla plaga fertilior; denique propter ſcientias & artes, quas heic in ſummo eſſe vigore conſtitutas, nemo tam hoſpes eſt in regno literato, ut ignoret, aut tantus oſor veritatis, ut inficiari ſuſtineat. Trajecto freto, per Picardiam recta Lutetiam Pariſiorum, quaſi in novum aliquem eruditorum orbem, ut ipſe dicere ſueverat, defertur. Gallia notæ civilitatis eſt adverſus hoſpites. Inprimis literati in ea gente exterorum, qui propter ſapientiæ cultum magna huc frequentia commigrare ſolent, fovendis expoliendisque ingeniis prope nati factique eſſe videntur. Unde ſine mora inſinuatus fuit in familiaritatem cum excellentiſſimis quibusque Viris, HOSPITALIO, MALEBRANCHIO, LONGERUEO, LAMYO, TOINARDO, LE QUIENO, VAILLANTO, FRATRIBUS BOIVINIS, MONTFAUCONIO, BALUZIO, HARDUINO, & quotquot vel politioris ingenii laude, vel abſtruſæ alicujus eruditionis fama, in regina hac literatorum urbe, digito quaſi monſtrabantur; quorum ſinguli non obiter, verum certatim, quibusvis benevolentiæ teſſeris & humanita-

tis officiis Noſtrum ornare ſtuduerunt. In cereris ex nobilitate Suecica, qui heic tum hoſpitabantur, eminebat JACOBUS CRONSTEDTIUS, illuſtre hoc tempore nomen inter ſummos Heroas Comitesque Septemtrionis Sviogothici, idemque Regis Regnique ſummæ fidei Vir ac Senator Excellentiſſimus. Contigit Noſtro frui conſuetudine magni hujus Viri, per ſuas virtutes ad altiora illa munerum ac honorum, quibus fata eum deſtinarant, faſtigia, tum maxime viam ſibi ſternentis; qui & ipſe, ut oſtenderet ſe non fruſtra coli a BENZELIO, aut veteris immemorem eſſe amicitiæ, Noſtrum quamdiu in vivis erat, ſingulari proſequutus eſt gratia & favore.

Ingruit novum ſeculum. Atque idem ille annus, qui æræ hodie decurrentis introitum aperiebat, Ulyſſem hunc noſtrum, tot jam, Palladis ſuæ ductu, terræ pelagique defunctum laboribus, ingenii vero ſupellectili ac omni eruditionis adfluentem copia, ſoſpitem & incolumem in patriam reduxit. Capto quippe itinere per Antverpiam, Dordracum, Goudam, Amſtelodamum, inferiorem Saxoniam, Stralſundam, & denique Scaniam, intempeſto Novembri, Stregneſiæ, in paterna Epiſcopali domo, a parentibus, conſanguineis & amicis iis lætitiarum ſigni-

ſignificationibus excipitur, quas tali in caſu locum habituras quivis ſibi facile perſuaſum habere poterit.

Hactenus Noſtrum per diverſa locorum incertis vagantem ſedibus ſequuti fuimus: nunc alia ſeſe rerum aperit ſcena. Nunc in publicorum munerum ſtadio decurrentem, excultæque mentis dotes in patriæ ampliſſimos egregie diſpenſantem uſus, videbimus. Annus erat labentis hujus ſeculi ſecundus, quum Pindi hujus hyperborei immortale & excelſum decus, LAURENTIUS NORRMANNUS, deſignatus Gothoburgenſium Epiſcopus, eodemque tempore ad cœlites evocatus, præfecturam Bibliothecæ publicæ Upſalienſis vacuam relinqueret. Noſtro, datis Regiis literis, ſucceſſio in id munus clementer injungitur. Vix potuit digniori hæc Sparta obtingere, quam illi, qui inter alia, quibus ſub diuturna peregrinatione animum imbuerat, ſtudia, etiam rei literariæ accuratam adeo ſibi curæ cordique eſſe voluit notitiam, ut quaſi propter hanc unice ſuſcepta profectio, unice inſtituta familiaris cum tot Europæ luminibus converſatio fuiſſet: quique proinde literarii ſtatus arcana omnia ad unguem ſibi explorata reddidit: quo Bibliothecas publicas privatasque, quibus orbis excellit Europæus, nemo

nemo ſibi perſpectiores, nemo ſingularum dotes ac theſauros magis in numerato habebat: qui florebat annis, florebat amicitiis procerum totius eruditi orbis, florebat literarum commerciis; quam unicam eſſe viam noverat, qua federa neceſſitudinum, quæ apud exteros contraxiſſet, domum etiam redux, illibata ab omni oblivionis rubigine ſervaret: ſecus ac pleraque noſtratium turba peregrinantium facere ſolemus, qui, ex longinquo itinere in patrium revecti litus, vix oſcula matri terræ adhuc tulerimus, cum occurſantes aliæ curæ, aliis implexos negotiis, aliis diſtractos occupationibus, moxque velut in oblivionis campum abductos, cogunt ſæpenumero extera illa ſodalitia, non ſine opprobrio noſtræ gentis, cum ipſis pene nominibus dediſcere ac obliterare. Ad præfecturam igitur hujus Bibliothecæ, cum præſtantioribus Europæ de principatu contendentis, quum his inſtructus præſidiis accederet, nihil deinde eorum omiſit, non dicam quæ ad internam ejus adminiſtrandæ rationem ſpectant, (ſive novos coëmendos libros, ſive univerſam ſupellectilem in ſuas claſſes facultatesque diſpeſcendam, ſive conficiendos indices accuratos, ſive infinita alia conſideres, integris meritiſſimarum laudum commentariis ab aliis exponenda, a nobis vero, qui ſpatiis iniquis

quis excludimur, data nunc opera ſicco prætereunda pede:) ſed, quæ ad ipſum etiam apicem conſequendum artis ac peritiæ, Bibliothecarium omnibus numeris abſolutum reddentis; verbo: quæ ad Polyhiſtorem faciendum viſa fuiſſent conducere, nihil, inquam, omiſit, omnia vero ſtudio proſequutus eſt incredibili. Ergo nulla ingeniorum monumenta, quæ vel priſca vel recens Pallas in lucem procuderit, huic intacta, immo imperveſtigata fuiſſe novimus. De ſcriptoribus ſapientiæ omnis, omnis ætatis, populi, eorumque vel vitiis vel virtutibus, ecquis limatius judicare, aut de eruditorum in hoc genere cenſuris cautiones præſcribere potuit circumſpectiores? quis typographorum & officinarum merita, & quod cum eo conjunctum eſt, librorum editiones accuratius expendere? quis codicum manuſcriptorum æras, raritatem, pretia delicatius æſtimare? Nihil dicam de menſtruis auctoribus, quorum in lucem prodeuntia quotidie volumina excutere ac perveſtigare illi neceſſum fuit, qui rerum, quæ in univerſo regno literato gererentur, non arbiter minus eſſe voluit, quam eſſe debuit curioſus inveſtigator: nihil de ortu & progreſſu literarum per gentes & ſecula: nihil de cauſſis florentium vel frigentium ſtudiorum: nihil de fatis eruditorum, horumque controverſis

troverſiis novisque opinionibus: quorum ſingulis ſcite, copioſe, enarrandis, percenſendis, ſententiæque in his ferendæ, nemo, ſicubi res poſcebat, ſolidius operam adferebat, quam idem hic Vir magnus, qui, accedente ad divinum ingenium tot annorum apud exteros uſu, & dein apud ſuos quatuor luſtrorum cum dimidio ferme (tot enim annis Bibliothecæ huic præfuerat) in his ſtudiis exercitamento atque experientia, totam, quaqua patet, rem literariam capaciſſimo pectore penitus exhauſerat, penitus complexus fuerat. Hæc tamen omnia, (nam & hæc laus ipſi non eſt inficianda,) non ut ſibi ſaperet, ceu ſolent, qui ſapientia ſua, velut qui clauſis theſauris incubant, nec uti ſciunt, nec frui poſſunt: ſed ut polyhiſtoriam ſuam ad communes literati orbis uſus, ad famam Bibliothecæ noſtræ apud exteros, & ad germanos denique patriæ juventutis profectus ac emolumenta, diligenter referret. Arguit incredibile, quod hic habuit, per orbem Europæum literarum commercium, cujus in diariis & actis Gallicis, Anglicis & Lipſienſibus; in Bibliothecis FABRICIANIS, WOLFFIANIS, LELONGIANIS; in ſcriptis MENKENIANIS, & alibi luculenta paſſim proſtant indicia, ac ſimul honorifica doctorum hominum ſeſe offerunt teſtimonia, quibus illi Bibliothecæ Upſalienſis

sis latifundiis & Polyhistoriæ Benzelianæ infinita se debere, ingenue agnoscunt, & grata commemoratione percelebrant. Longe vero illustriora ejus rei in aprico posita forent documenta, si suæ ad doctos Viros, horumque ad se mutuæ epistolæ, quæ Heredum fide adservantur, publicam lucem aliquando adspicerent. Arguunt dissertationes ab eo evulgatæ, non admodum frequentes illæ, sed quæ demorsos sapiunt ungues, & vel argumenti vel subactæ elaborationis præstantia raritatem suam ita compensant, ut, ceu pretiosæ gemmæ, quærantur a suis amatoribus. Arguunt collegia in illustrandam historiam, cum literariam, tum etiam patriam, ab eo nunc publice in Bibliotheca, nunc privatim in sua domo subinde instituta; quorum accuratam editionem a Te Generosissime Secretarie Regie, GUSTAVE BENZELSTIERNA, cupide exspectamus. Arguunt, ut cetera taceam, homiletices eruditæ quædam velut tirocinia, statis illis diebus, quibus ad necessitates studiosæ pubis Bibliotheca publica patebat, novo exemplo, a Nostro introducta. Tum enim doctæ conversationi totus hic vacabat, totus sui non minus, quam universæ supellectilis librariæ, copiam impertiebat cunctis, qui rerum suarum tantæque opportunitatis non essent negligentiores, aut qui non subrustico

quodam

quodam abſterriti pudore, ignorare mallent quam diſcere. Quo minus autem abſterrerentur, miro Is efficiebat conciliandi animos artificio, mira affabilitate ſua. Ergo tum ad illum, ceu ad Bibliothecam aliquam vivam & obambulantem, unusquisque libere accedere, libere de re aliqua ſciſcitari, disquirere, conſulere, de auctore judicia expoſcere: Ille hilari vultu & ingenua comitate rogata excipere, ſermones placidus miſcere, codices, ſi qui exigerentur, depromere, monſtrare, ipſe loca evolvere, ungue notare, de quæſitis apte differere, commentari, neminem niſi doctiorem, niſi lætiorem reſponſis & in ſinu gaudentem, dimittere. Id ita uſu veniſſe novimus, quotquot ex ea ſuperamus ætate, qua Polyhiſtore BENZELIO tum heic loci fruebamur. Mihi certe hanc rem animo recolenti, (recolo autem libenter,) ſacrorum Apollinis Myſtagogi hujus non modo videor audire ſermones, ſed & ora, vultus, facies, habitus in palatio noſtræ Bibliothecæ adhuc quaſi ſtantis, quaſi reſponſa dantis, ante oculos verſantur & oberrant; non ſine pia recordatione ejus felicitatis, ad me tum, ſicut ad ceteros mei ſimiles, egregie redundantis. Nec publicæ librariæ cancellis hæc inſerviendi promtitudo & alacritas ſe terminabat: etiam ad proprios ejus usque ſeſe

profe-

proferebat lares. Quis enim ignorat Benzelianam domum tamquam aliquod oraculum & Musarum delubrum patuisse, ad quam nostra juventus diligenter festinabat, quotiens ad eruditionem aliquam retrusam reconditamque ductore egeret ac indagine sagaci, vel etiam in schediasmate aliquo Academico edecumatioris curæ, quodque lucernam oleret, elucubrando, ipsorum fontium exquisitiori opus esset cognitione, subsidio, apparatu. Ventitabant etiam alii omnis ætatis, omnis, etjam patritii & purpurati, ordinis Viri, qui de artium & scientiarum incrementis solliciti, vel Nostri requirebant judicia, vel sua cum ipso communicabant consilia. Ventitabant parentes, qui, filiorum suorum apud hanc Academiam educationi bene consultum cupientes, eorum moderandis inspiciundisque studiis Nostrum præfecerunt. Quare multi præstantes viri ex hujus scholis, velut ex Trojano equo, prodierunt, qui hodieque fulgentissimis in patria officiis admoti, studiorum suorum cursum feliciter peractum Ejus inprimis curæ fideique acceptum ferunt. Sed & hæc commemoranti aurem mihi vellit res ab hoc loco, & ab ea, in qua Noster collocatus jam erat, statione, hautquaquam aliena & abhorrens; ab alio vero, quam ab eo, qui insatiabili propagandarum scientiarum flagra-

bat ſtudio, ac inſuper animo a curis Academicis vacuo aciem illuſtribus cœptis vigilem ſemper ac intentam habere, cumque uſus ferret, manum tranquillus & non impeditus admovere poſſet, haut temere exſpectanda. Nondum, Auditores, orbi ſatis innotuerat, quid rerum agebatur inter eruditos Sueciæ: quo genio, quove naturæ impulſu in excolendas artes ac ſcientias ferebatur gens nata ſub Arcto: num ſua Pallas ut ad arma, ita ad literas æque eſſet habilis & expedita: quos fœtus literarios conciperet, aut quos, favente Minerva, in lucem ederet. Conveniebant paſſim apud Italos, Gallos, Batavos, Anglos, Germanos, ac politiores quasque gentes alias, eruditi in ſuos cœtus, academias, ſocietates, collegia; obſervabant, disquirebant, conferebant in commune de omni ſcibili: ſoli Sviones, ulli neutiquam populo ingeniorum felicitate & cultu ſecundi, ſed tantum oſtentatione ſcribendique libidine aliis diſſimiles, videbantur adhuc frigus quoddam in hoc pati, ſiderisque ſui tardiores ſecuti motus, in pulcri certaminis conſortia ſerius venire. Quid tum hic Noſter! Annus agebatur ſeculi hujus, ſi recte memini, XII, cum Quinqueviratum, membris ab omni ſapientiæ parte celebratiſſimis conſtantem, intra Muſæi ſui umbracula cogere cœperat BENZELIUS; quorum in eo ver-

verſaretur labor, ut propoſitis inter ſe quæſtionibus, non protritis & triobolariis, ſed Archimedeis prorſus, ſubobſcuris ac involutis, ſed ex ipſis penetralibus artium petitis, & in quibus extricandis ſubinde Oedipo aut Delio aliquo opus eſſet natatore, collatisque in commune ſententiis, illuſtrarent multa in Mathematis, multa in Mechanicis artibus, multa in arcanis naturæ; quam & ipſam, naturam inquam, non raro ſui nimis invidam, & humanæ fugitivam curioſitatis, lubricam, contumacem, refractariam, mille procos eludentem, mille repellentem, e latebris imisque receſſibus ſuis, ſi fieri poſſet, erutam evulſamque in conſpectum protraherent. Qua enim rerum antiquarum erat peritia, ſatis noverat, hanc regiam quaſi fuiſſe viam, qua moratiores quique populi, Ægyptii, Chaldæi, Perſæ, Indi, Græci, Galli, ſcientias partim invenerunt, partim inventas locupletarunt, propagarunt. Et cum recenti hoc ævo nationes quæque per Europam ab ingenii cultu famam conſecuræ, in inſtituendis ſocietatibus literariis, æmulatione quadam inter ſe ſuſcepta, prope inſaniant, noluit is noſtram gentem rei tam conſpicuæ emolumentum ac elegantiam diutius apud ſe deſiderare. Fuit igitur hic conventus nobilioris alicujus conſociationis inſequuturæ, cu-

jus formam a longo pridem tempore animo fuerat complexus, quædam velut imago & periclitatio. Et hunc quidem quinqueviralem cætum egregie inceptum & aliquamdiu, insigni cum usu, continuatum partim sociorum in fata properantium decessus, partim increbescentes tumultus bellici dissiparunt, donec, elapso octennio, hoc est anno hujus seculi XX, Benzelianis iterum instauratus auspiciis, vires resumeret, inque societatem illam illustrem, quæ hodieque in hoc Musarum constituta Olympo, spargit suos radios quaquaversum per orbem, auspicato omine commutaretur. Si hujus esset loci & temporis, quod tamen non est, Auditores, in societatis istius laudes excurrere, quid dici posset tam magnifice de ea, cujus vel præcipua pars meritis Benzelianis non debeat vindicari & transscribi? Si diceretur de ejus ortu & incunabulis: Nostro inventionis gloria soli debetur. Si de celebri consessu, ejusque per illustre præsidium, tamquam numinis influxum, regimine; si de ipsis membris, quorum alia natalium lumine, aut purpura sua munerumque eminentia literato huic cœtui splendorem & decus, alia nominis claritudine famam, alia doctrinæ celebritate auctoritatem, alia laborandi industria perennitatem conciliant; porro de scriptorum recensionibus, de experimentis Chemicis,

cis, de obſervationibus Mathematicis, Phyſicis, Mechanicis, Aſtronomicis, Meteorologicis inſtituendis; de hiſtoria, lingua antiquitatibusque gentis noſtræ illuſtrandis, de ceteris, quæ ad ejus vel munia, vel internam ſtructuram ſpectant: quis neſcit hæc omnia, formam & conſilia ſuggerente Benzelio, ordinante & diſponente cuncta Benzelio, propoſita primum, dein approbata, tandem confirmata, recepta denique introductaque fuiſſe? Quod legibus & ſtatutis munitus hic ſociorum conſeſſus, quod privilegiis & immunitatibus Regiis mactatus, quod Secretario inſtructus, quod fiſco pecuniæ delegatæ dotatus, munus eſt BENZELII, qui, quo valuit favore apud Mæcenates, amicitia apud potentes, apud ipſum Regem gratia, Societati hæc beneficia, hæc ornamenta exoravit, obtinuit, impertitus eſt. Veſtram teſtor fidem, Collegii hujus illuſtris, de quo jam loquor, ſplendidiſſima membra, quotquot heic præſentes intueor ac veneror. Vos ipſi dum inquiritis & ſcrutamini, dum obſervatis, dum invenitis & detegitis antea numquam viſa, numquam audita, multa quidem Veſtro debetis ingenio ac induſtriæ, & grata debebit poſteritas: quando tamen hæc agendo ſingula, famam Veſtram extenditis per orbem, volitatis per ora virûm, atque ipſi æternitati

nomina vestra inseritis, hæc, procul dubio, statori vestro tam excellentia merita, quibus certissima itidem gloriæ pabula vobis præbuit, qui vobis candor est ingenuus, haut quaquam denegabitis. Macti estote hac virtute, & qua cœpistis alacritate, perficite spem eruditi orbis, urgete pulcerrimum opus, in scientiarum incrementa, in Patriæ, in Vestrum & Societatis vestræ perenne decus ac ornamentum.

Sed e diverticulo in viam. Anno hujus seculi tertio, Idibus Juniis, Noster hymenæos celebrabat cum nobilissima Virgine, ANNA SVEDENBORGIA, B. Episcopi Scarensis, Patris & Doctoris Reverendissimi, JESPERI SVEDBERGII filia natu maxima, sponsa pietate, formæ præstantia, castimonia & virginali omni decore fulgentissima; quæ, sub quadraginta annorum & aliquot mensium suavissimo connubio, maritum decemplice prole beavit: unde superstites adhuc Filii quatuor & Filiæ binæ, una cum vidua Matre, atrocissimam hanc domus suæ cladem ac orbitatem profusissimis lacrumis deplorant. Nec defuerunt aliæ munerum ac dignitatum accessiones, ut ipsius genio ac studiis, queis pridem a juventute sese dicaverat, congruentes, ita

Magnis sæpe viris & magna exempla daturis,

ad

ad amplificanda ſua merita dotesque in eccleſiæ uſus ac emolumenta, viam parare ſolitæ. Quo ſpectat, quod anno hujus ſeculi IX, quum forte ſocer ejus, reverendiſſimus Scarenſium Præſul, vacante heic ſede Epiſcopali, ſacri miniſterii candidatos aliquot & Epoptas divinis ritibus, ad aram Baſilicæ noſtræ, inauguraret; eorum tum in numero hic eſſet, qui ſanctiſſimi ordinis inſignibus & auctoramentis initiabantur. Quod quidem nihil aliud fuit, quam ſolutio ejus voti, quo & ſua, & Parentum, & Supremæ Majeſtatis voluntate, ab eo pridem tempore obſtrictus fuerat, quum ſtipendiis publicis & regiis juſſis ad transmarina loca in hunc finem ablegaretur, ut ſanctioribus Camenis animum imbueret. Excepit hanc, decennio interjecto, alia inauguratio, non quidem inſtitutionis divinitate ita inſignis, ut prior illa, at priſco tamen eccleſiæ ritu & immemorabilis ævi conſuetudine per ſe conſpicua & venerabilis; nunc vero, ſuper omnia divæ ULRICÆ ELEONORÆ auſpiciis illuſtrior facta, quando Septemtrionis hæc Auguſta, populique ſui amor ac delicium, avitum thronum heic Upſaliæ, antiqua Regum inaugurali ſede, conſcenſura, pridie ipſius feſti coronationis, inter infulata eccleſiæ lumina virosque maximis meritis cumulatiſſimos, quos inter hic erat, brabea illa fece-

rat distribui, quæ summo in Theologia gradui debentur. Factus eodem tempore, Præbendæ, uti vocant, beneficio, Ecclesiarum Hagbyensis & Ramstadensis Pastor, adjacentisque territorii Præpositus. Cui provinciæ, velut prolusioni ad majorem in eo genere, cui fata ipsum designaverant, admotus, tam luculenta pastoralis curæ ac boni ordinis exhibuit documenta, ut, quotquot ex ungue leonem perpendere novissent, secreta jam æstimatione tacitisque apud se auguriis præciperent, qualis quantusque hic olim exstiturus esset ecclesiæ præsul & antistes in mitratis illis functionibus, quæ spatiosiori circo & ambitu circumscribuntur: sicut Pythagoram corporis Alcidæ magnitudinem ex Pisano stadio, quod heros pedibus suis metatus fuerat, collegisse ferunt.

Jam plusquam viginti annos in curanda Bibliotheca hacce publica consumserat Noster; quod ante eum nemo fecit. Unde mirabantur alii de functione isthac cum publica aliqua apud hanc Academiam docendi sparta quantocius mutanda non fuisse sollicitum: sed hi ferme erant, qui, in quo vera otii literati consistat felicitas, numquam didicissent. Habet præfectura Bibliothecæ nostræ hoc sibi peculiare, quod occupationibus illis, queis docentium scholæ & multiplices

tiplices curæ apud Academias distringi solent, non sit obnoxia: igitur Bibliothecarius Upsaliensis, sibi suisque libris totus relictus, non alligatur scrupularibus illis horarum momentis, quibus laboriosæ informationis mancipia tenentur per multam etiam noctem elucubrata meditamenta sua in rostra publica & privata proferre, & circumfusæ coronæ, magna laterum contentione, & ad raucedinem usque, edisserere & ebuccinare. Non ille instantis apparitoris importuna voce exterritus librisque suis excussus cogitur, quod artium Professoribus sæpenumero accidit, cogitationum telam abrumpere & pulcre cœptarum meditationum abortum facere, ut inter Consistorialium defatigationum Sisyphia saxa & tædiosas quandoque deliberationes bonas diei horas misere dilapidet. Ille in tranquillitatis hoc asylum subductus, hoc Heliconiadum Pantheo, hoc magnarum animarum Prytaneo receptus, inter suavissima cum æternis illis mentibus divinæque omnis ac humanæ sapientiæ oraculis commercia & quotidianos quasi convictus, iis perfruitur deliciis, quas aliorum vel curiositati, vel ambitioni securus opponat. Proinde quam diutinam in hac statione moram interpretabantur alii, Noster pro brevissima habebat; non facile ab hoc Musarum lenocinio divortium facturus, nisi jubenti-

bus fatis illud jam adeſſet tempus, quo ſtudii Theologici, cui ab ineunte juventa, propria inclinatione, paterna diſciplina, avitis exemplis, Regia denique munificentia, innutritus addictusque fuerat, propiorem fructum ac uſuram Academica hæcce pulpita demum ſibi depoſcerent adſererentque. Juſſus quippe fuit regio diplomate profeſſionem Theologicam ad hoc Athenæum capeſſere; quam primum ut quintus ejus Facultatis adminiſtrabat: mox in fata concedente Diœceſeos hujus Archipræpoſito, Theologo ſummo, Doct. LAURENTIO MOLINO, in vacuam docendi ſpartam tanti anteceſſoris & præceptoris olim ſui, anno hujus ſeculi tertio & viceſimo, ſucceſſit; non ſine exemplo ſummorum eccleſiæ luminum, CLEMENTIS ALEXANDRINI & ORIGENIS Adamantii, quorum ille quidem magni PANTÆNI, hic vero ipſius Clementis cathedras, diſcipuli iidem & ſucceſſores minime degeneres, pari dexteritate, pari eruditionis copia & flore, animarunt. Novimus per id tempus publicis acroamatis ab eo excultam fuiſſe eam doctrinæ cœleſtis partem, quæ morum Chriſtianorum prudentiam complectitur, inque eo negotio uſum eſſe ſecundis animis juventutis, allectæ quippe excitatæque partim novitate argumenti, partim doctoris in proponendo gratia, candore,

re, acumine, facilitate mira. Aperiebant interea fata viam ad majora honorum incrementa. Noſter, vocante Clero hujus Diœceſeos, Comitialibus jam congreſſibus aliquoties intereſſe cœperat; ejusque hac adeo occaſione quaſi in ponderoſiſſimorum regni negotiorum luce ac theatro conſtituti ita noſcitari virtus, inque conſiliis rerum maximarum ita explorari, ita inclareſcere dexteritas; ut, cum, vacante Epiſcopatu Gothoburgenſi, non niſi pauciſſima pro ipſo ſuffragia miniſterii in tabulis deſcripta ſtarent, voluntate tamen Supremæ Majeſtatis & Purpuratorum Senatus conſulto, reſpectu ad virtutem non ad ſcita multitudinis habito, in locum defuncti Epiſcopi POPPELMANNI, anno hujus ſeculi ſexto & viceſimo, fauſtis ominibus ſufficeretur. Integri hæc luſtri fuit adminiſtratio, & quidem ineffabili cum laude noſtri Præſulis. Anno enim ſeculi hujus triceſimo primo unanimis Presbyterii Oſtrogothici votis expetitus, & a S. R. M. novus creatus Epiſcopus, Gothoburgenſem cum Lincopienſi mitra commutavit, quæ ordine ſecunda in hoc regno poſt Metropolitanam cenſetur. Quo quidem in munere, quod ſupererat ævi, tanta animi cum tranquillitate, tam pronis collegarum totiusque Cleri voluntatibus, exegit, ut integros duodecim annos, quibus huic præ-

præfuit provinciæ, haut secus, ac totidem fluxisse dies sibi visos, ipse suo ore non semel ingenue fassus fuerit. Qualem vero in utroque hoc gerendo Pontificatu se præstiterit, si quis singula, pro rei dignitate, enarrare vellet, dicenti commentarii opus exsurgeret: cum nulla pars Episcopalis exsistat officii, in qua hic consummati Præsulis non dederit exactissimum typum ac imaginem. Sive enim tu in Episcopo requiras solidæ robur eruditionis; sive in religione zelum poscas absque tepore; sive in conversatione sanctitatem respicias sine labe, probitatem sine mentis ærugine, candorem sine fuco; in obeundo munere labores sine defatigatione, vigilantiam sine somno & desidia; in consiliis perspicaciam sine nube, prudentiam sine temeritate: ita hæc decora ad Nostrum pertinent, ita ipsi propria fuerunt, ut, cum veteris ecclesiæ annales evolvens mireris in BASILIO doctrinam, in AUGUSTINO pietatem, in ATHANASIO invictæ mentis robur, in CYPRIANO disciplinæ rigorem, in AMBROSIO gravitatem, deprehendas facile hunc omnes omnium expleviſse numeros, & omnes omnium virtutes complexum, e singulis laudem sibi vindicare eo gradu, quo ceteri in una aliqua excellebant. Quæ quidem magnificentius jactata, quam verius dicta, nemo bonus accusabit

bit propterea, quod magni viri merita dotesque longe noſtram ſupergreſſæ Suadam, non niſi Demoſthenea penicilla, aut meros Nazianzenos efflagitant, qui virtutes ad ſeculi gloriam ac venerationem comparatas & inſtructas vivis ſuis coloribus depingant. Quis raræ ac diffuſæ eruditionis luculentiora dedit ſpecimina, publicis etiam ſcriptis apud noſtrates obvia, apud exteros celebrata, apud ipſam æternitatem eam ſibi ſtipulata famam, quam nulla venturi ævi oblivio delebit, nulla tam opaca exſtitura eſt barbaries, quæ obliterabit? Loquantur VASTOVIANÆ vitis ab eo in proventus uberiores productæ plantagines. Loquantur eruta e tenebris carceribusque ſuis antiquitatum monumenta, diaria, chronica, rem ſacram & civilem arctoæ hujus plagæ egregie illuſtrantia. Loquantur Characterum THEOPHRASTEORUM commentarii indicesque, Noſtri certe ductu & auſpicio, a doctiſſimo juvene HEDELINO tanta cum induſtria concinnati elaboratique, ut, ſi plures ſimiles in optimos quosque ſcriptores Græcos exſtarent, jam res in vado, jam via complanata foret magnis STEPHANIS & NORRMANNIS ad compilandos ejus linguæ theſauros, utramque paginam facturos. Quid ULPHILAM a Noſtro plane reſtitutum commemorem, nova adornata verſione Latina, nova ipſius

textus

textus lectione, qua a JUNIO &, qui Junium ſequuti, MARESCHALLIS, STIERNHIELMIIS atque aliis, mirabile dictu, multa falſo lecta, multa omiſſa, multa denique, quæ in textu non exſtant, interpolata ac ſuppoſita ad oculum a Noſtro oſtenduntur? opus ſane criticum, quo, ut ad elucidandos Græcos Evangeliorum libros nihil utilius, ita ad linguæ Gothicæ gentisque decus nihil poteſt eſſe glorioſius magnificentiusque. Quid CHRYSOSTOMEA dicam analecta & fragmenta? quid commentationes literarias circa res Judæorum? quid, ut cetera prætermittam, operum PHILONIS, incredibili & adſiduo, per multos retro annos ſtudio ac labore recognitorum, paratam a Noſtro editionem, utinam publicæ umquam lucis compotem futuram? Evangeliorum vero codex Ulphilanus, prelis, ut accepimus, Sheldonianis evulgandis, Te inprimis operam commodante, vir max. Reverende & præclariſſime, CAROLE JESP. BENZELI, Concionator Regie, cui ſuprema B. Parentis voluntas hanc curam delegavit, anxia ſui exſpectatione eruditum orbem aliquando levabit. Alia, brevitatis cauſſa, nunc ſciens prætereo. Quis in gubernando Clero hanc legem ſanctius coluit, ut, qui aliis facienda præcipit, ipſe ſibi præciperet primus, & exempla præberet virtutum,

quas

quas ab aliis requireret, non vitiorum, quæ in aliis reſtringeret inhiberetque? Intemperantia, luxus, vana ambitio, avaritia, phariſaiſmus, Simoniacæ artes, id genus opprobria ita ab hoc aliena fuerunt Præſule, ut, ſuo quidem exemplo ſi res ſtaret, hæc dedecora ad orcum pridem relegata non invenirent amplius locum, niſi inter immeritas illas calumnias & petulantis ſeculi profana mendacia, quibus veteres Prophetæ &, qui his ſuccedebant, novi federis legati, ex ſententia Salvatoris, omni ævo expoſiti eſſe debuerunt. Quem fugiunt excubiæ illæ exſomnes, quas habuit cuſtos hic & paſtor animarum fideliſſimus, contra vulpeculas in vinea Domini fodientes, inſidiantesque præſepibus lupos ac prædones; contra hujus ſeculi Novatianos, novos Catharos & Donatiſtas, eorumque diſcidia & ſeparata a noſtro cœtu conciliabula: contra novellos Prophetas & Theophorumenos, novos Corybantes: novas Ægerias & Carmentas? Quid contra hæc mala is non attentavit? quid non dedit conſilii? quid non egit? quanto ſe oppoſuit ſpiritu, famoſo illi Democrito, ut ſe ipſe vocat, hoc eſt, ne volenti fiat injuria, Evangelici Iſraelis Sanaballato, ſannioni & ſycophantæ atrociſſimo, quum intra regni hujus viſcera receptus, multa is in patriæ religionis perniciem machi-

chinarétur, ac, inter omnia, infelix lolium hic ſpargeret diſſeminaretque? Qua ſollertia duri iſtius ac infreni oris in ſe, & in alios honoratos viros, effuſas abſterſit virulentias? quam zelo ſæpe exacerbatus eſt religioſo adverſus ævi hujus Mezentios, Divi Numinis ſacrorumque contemtores, illos

Æthnæos fratrès, cælo capita alta ferentes,

qui immani credendi ſentiendique efferati libertate, Pelion Oſſæ imponunt, ut ipſum ſolio ſuo Tonantem tantum non deturbent? quantum huic illacrimatus peſti? quid contra eam monuit? quid ſuaſit? quid hortatus eſt? In annuis Eccleſiarum luſtrationibus quæ quantaque ille, pro re nata, in cerimoniis, in diſciplina, in moribus, in plebeculæ informatione; quanta circa ædes ſacras earumque fundos, exſtructiones, ornamenta; circa miſerorum & languentium diverſoria & ſuſtentàcula; circa juventutis inſtitutionem in pædagogiis pariter ac majoribus artium officinis, quam multa, inquam, quamque egregia & ſalutaria inſtaurarit, digeſſerit, ordinarit, diſpoſuerit: tot habet non a nobis enarrandæ fidei teſtimonia, tot reliquit induſtriæ bonique ordinis veſtigia, quot exſtant eccleſiæ, quot fana, delubra, ſcholæ, xenodochia in diœceſi, primum Gothoburgenſi, dein Lincopienſi,

utrius-

utrisque a se administratis. Sed & operæ pretium fuerit, nisi forte patientia, A.-O., Vestra abutar, levi tantum brachio attingere, quem morem servarit Noster in præparandis ministerii Candidatis, & qualem se gesserit Scholarcham ac Gymnasiorum Ephorum Antistitemque, cum in hoc etiam offerant sese momenta in omnis ævi memoriam transfundenda. Ut igitur cum his, qui administrantia, uti vocant, dona non habebant infra mediocritatem constituta, facile transigebat, si non illiterati, eorumque, quæ ad rite secandum Dei verbum requirebantur, ad sacra munia accederent imperiti: ita in donis sanctificantibus oculos habebat, si quis alius, apertos, nec quidquam per inconsultam conniventiam temere indulgentes; id quod res est, indignum ratus ac intolerabile, si, qui ad hoc constituti ordinatique essent in ecclesia, ut eorum vita tamquam lux coram hominibus coruscaret, pro luce tenebras offunderent mortalibus: qui omni munere & officio, vultu denique ipso & vestitu ab aliis distincti incederent, quique sapientiæ & sanctimoniæ professione eminerent conspicui in populo, si deprehenderentur nonnunquam ipso opere Catones quidam larvati & personati Curii, opinione virtutis ad hoc usi, ut iis, qui eorum fide sint concrediti, eo securius imponant.

Tales igitur, ne in ovile Chriſti irreperent, paſtorali pedo inhibiti coërcitique jubebantur, ceu profana turba, procul eſſe,

- - - - *totoque abſiſtere luco.*

Ad inſtitutionem in Scholis & Gymnaſiis non adhibebat Mercurios ex quovis ligno edolatos. Valebant potentiorum, valebant amicorum, cognatorum id genus hominum, commendationes; ſed magis valebat commendata conſcientiæ patriæ juventus. Valebant anni: ſed Noſter non tam numerabat annos, quam æſtimabat perſonas meritis in ſuo genere, ſtudiis, capacitate, informandi dotibus. Præterire ætatem, ſi cetera reſpondeant, iniquum eſſe; contemta vero virtute, ſola ætate niti, & unius hominis, ejusque ſæpe inutilis, commoditatibus ſacrificare ſalutem totius patriæ juventutis, id vero crudele & prope tyrannicum arbitrabatur. Idem laboribus docentium diſcentiumque in ſchola ſolebat quandoque inobſervatus, & cum minime exſpectares, ſupervenire, omnium, quæ agebantur, cenſor & æſtimator adcuratus; nec grave ducens, ſubinde docendi partes, in infimis etiam ſubſelliis, occupare, ſicubi præceptores, forte per oſcitantiam aut alia impedimenta, a ſtatione ſua abſentes deprehenderentur: quo pacto & diligentiam acuit, & ſocor

ſocordiam ademit, & informantium dotes exploravit, & ſcholarium profectus, ingenia, & ad certa ſtudiorum genera inclinationes, ceteraque huc attinentia ita ſibi reddidit perſpecta, ut non magis in numerato haberent ipſimet magiſtri.

Quis denique neſcit, quanta Noſtri, Comitiales inter congreſſus in rem ſacram pariter & civilem exſtiterint merita, cum alias ſemper, tum præcipue binis hiſce comitiis proximis maxime conſpicua, quando is oratoris ſimul & ducis munia in ordine ſuo, immortali cum laude, ſuſtinuit? Dicant, queis præſentibus præſentis magnas intueri licuit dotes ac virtutes, miro ubique vigore ac vivacitate, in tanto rerum cardine, ſeſe exſerentes: illam igneæ mentis in arduis quibusque comprehendendis celeritatem: illam acrem diſpiciendi vim, qua, quæ intricatiora erant, diſcuſſis ſtatim confuſionum nebulis, domitaque omni ſphinge perplexitatum, limpidiſſima & ſibi & aliis repræſentabat luce: illam in proponendo facilitatem: in eruenda circumſtantiarum ſerie ac nexu diſtinctæ perceptionis claritatem, candorem, jubar: illam in conſultando judicii ſublimitatem, acumen, maturitatem: in tractandis negotiis adſiduitatem, fidem, dexteritatem: in operando nervum & efficaciam:

eaciam: in providendis periculis ſagacitatem, curam, circumſpectionem: illud, ut verbo complectar, conſummatæ per omnia prudentiæ robur, ut ingenio, ita doctrina rerumque uſu ſubnixum.

Sed plura perſequi volentem me mea latera, tempus ipſum & veſtra, A. O., patientia deficiunt. Pergo igitur ad ultimum vitæ actum; niſi quod in anteceſſum corporis animique habitum atque expreſſiorem velut effigiem paucis interponere lubet. Membrorum erat ſpecies apta & concinna. Corpus non prolixum, ſtatura tamen juſta & eximia, quæque dignitatem ac venerationem præ ſe ferebat. Frons exporrecta & amœna. Supercilia grata. Vultus, qualis animus, erectus, generoſus, apertus, intentus in ora affantium, mentisque index, curate, quæ dicebantur, audientis & penſiculantis acute. Oculi hilares, jucundi, compoſiti, interni ſpiritus ac vigoris pleni. Genæ vernantes & ſub junioribus annis aliqua ſua purpura decoræ. Barba, qualem veteres Picos & Auruncos geſtaſſe credibile eſt. Vox ſonora & virilis. Sermo Charitum plenus & ſalibus ſuis conditus, quodque fere magnis mentibus innatum eſt, apophthegmatum acumine ſcintillans. Ingenium nobile & excelſum; altiſſimarum rerum

rerum ut capax, ita iis ſemper infixum & inhærens. Judicium acre, politum, limatum, defæcatum, fulminis inſtar ardua quæque perrumpens. Gravitas morum temperata, tantaque ſuavitas amabilitasque, ut mentes ad alloquium aut aliquam conſuetudinem ſemel admiſſas, non ſecus ac magnes lapis metallum, aut Cæcias nubes, ſibi attraheret. Pectus candidum & hyperboreæ ſuæ brumæ concolor: nullo ſuffarcinatum livore aut ærugine: nullis veteratoriis gyris & mæandris tortuoſum: non officina fraudum: non ſchola verſutiarum: ſed pietatis templum, ſed probitatis & fidei ſacrarium: rectum, ſimplex, innoxium, & cujus fida ſemper interpres erat lingua: cautum tamen idem & in futura providum. Animus ad omnem fortunæ habitum paratus; conſtans ſibi ſemper æquabilisque: idem in lætis, idem in aſperis: eodem vultu fortunæ & minas & blanditias adſpiciens: ſecunda reverenter habens, in adverſis fixus & propoſiti tenax, & quem, ſi fractus illabatur orbis, impavidum ferirent ruinæ.

Hic erat ille BENZELIUS noſtras: talem amiſimus Virum: talem habuiſtis, *Gothoburgum* & *Lincopia*, Præſulem: talem tu quoque, *Upſalia*, habitura fuiſſes, ſi fortuna ſuis donis addere voluiſſet perpetuitatem.

tem. Abibat hinc a nobis ad ſuperos vir incomparabilis, vir immortalis memoriæ annisque dignus Neſtoreis, Reverendiſſ. Pater, Doct. JOH. STEUCHIUS. Rex Clementiſſimus, tanti hominis jacturam huic diœceſi reparaturus, grande hoc depoſitum communiſſimis Miniſterii noſtri votis ac ſuffragationibus indulſit. Capiebant hoc boni omnes læti omi,nis loco, & augurabantur fore, ut BENZELII majoris, ERICI primi exploratæ olim virtutes ac immortalia in Eccleſiam merita in hujus Archiepiſcopali pedo, tamquam in Aaronis virga, refloreſcerent. Sed o! vanas, o! fallaces ſpes mortalium, numquam tutas, numquam fidas, ipſo ſæpe ortu occiduas, & quando integerrimas putes, jam fini ſuo proximas. Oſtendunt hunc tantum nobis fata, & vix oſtendunt, nec ultra eſſe ſinunt. Prædituſ erat Noſter valetudine per totius vitæ curſum ſic ſatis inoffenſa; niſi quod, inclinante ætate, duobus potiſſimum cœperat infeſtari morbis. Unus in oris ſuperficie conſiſtebat, ulcera maligna & ardentia gignens; aphthas vocant medicorum filii: alter icterus erat, flavam bilem per totum corpus ſuffundens. Et a priori quidem illo, qui in annum ætatis quintum & quinquageſimum inciderat, feliciter liberatus fuit; hic vero fati jam approperantis vel præſagium exſtitit, vel initium. Ex illo

lo quippe ſalus corporis retro ſublapſa referri incepit, fractæque vires licet in ſpeciem renovari ſubinde paullisper viſæ, numquam tamen in integrum reſtitui potuerunt. Ingraveſcebat jam ſenecta, ipſa per ſe morbus. Incumbebat ordinaria Eccleſiarum cura. Superveniebant negotia publica nuperis comitiis obeunda: onera, quorum ſub mole vel angelici humeri fatiſcerent. Hæc omnia, ut ipſo non impediente, nec ullam admittente a curis ordinariis relaxationem, reparandæ ſaluti quietem neceſſariam intervertebant; ita, exhauſtis demum viribus, laſſitudinem extremam toto corpore ſurrepentem auxere mala dein alia turmatim irruentia: tuſſis irrequieta & contumax, noctes inſomnes, ſudores crebri, febres per intervalla recurrentes, poſtremo exulcerati pulmonis egeſtiones ſanguineæ, tabes & anguſta reſpiratio. Ubi inprimis dictu memorabile, nihil interea Ejus in vultu, nihil in ſermone duriuſculi quidquam in humanæ fragilitatis leges animadverſum fuiſſe: quin potius, cum Æſculapiorum fideles operæ rem plane deſperatam jam relinquerent, ille quidem in hoc articulo, quo etiam filii deorum percelli ſolent, tantum abeſt ut ex immotæ mentis habitudine quidquam remitteret, ut conturbatos neceſſitudinum animos conſueta ſibi feſtivitate ac lepore erigeret exhilararetque. Curioſitati

rioſitati etiam adſtantium medicorum inaudi-
ti cujusdam, ejusque præſentiſſimi, remedii,
quo, in extremas neceſſitates a ſe reſervato,
uti ſe adhuc poſſe confideret, ſpem velut
injiciens; arrectis rei novitate, quidve illud
demum foret arcani, avide exſpectantibus,
immo vero panaceam, inquit, habeo: &
hanc vocari PATIENTIAM. Quid multis?
hoc ſtatu, finitis proximis comitiis, Holmia
relicta, Lincopiam ad ſuos ſe confert. Quod
quidem iter, ceu decretoria, ut ajebat ipſe,
ex hac vita migratio, ſimul nil niſi perpetua
mortis meditatio fuit: ita cogitata, ſuſpiria,
ſermo, vultus, ad beatum exceſſum omnia
comparata, teſtabantur virum pientiſſimum
inter cœlites, ad quos anhelabat, toto nunc
animo verſari. Summa interim votorum
erat, ut ſaltim intra lares proprios animam
poneret inter ſuorum gemitus & complexus.
Quam primum igitur eo perrexit iter, ut
Epiſcopalem, ad quam tendebat, urbem in
conſpectu jam haberet, mox, oculis præ
gaudio manantibus, colloquium cum Deo
exorſus ex pſalmo hocce Davidis: *Benedic,
anima mea, Domino, & omnia viſcera mea
nomini ſancto Ejus: benedic, anima mea, & ne
obliviſcaris omnium beneficiorum Ejus;* cygnea
quaſi concione in ſingula verba hujus hymni,
aliquid Baſilio aut Chryſoſtomo ſuo ſimile
commentari cœperat, & nunc in preces, nunc

in

in gratiarum actiones effuſus, immortalis Dei beneficia in Eccleſiam, in Patriam, in ſe denique ipſum, alta & ſonora voce extollere ac celebrare: inter cetera, quod Comitiis pridem transactis patriæ res ex turbulento & conclamato ſtatu, mira quadam cataſtrophe, nec ſine manifeſti Numinis interventu, in lætum & optimæ ſpei plenum, ſe etiam vidente, converſæ fuiſſent. Ubi ordine odes euchariſticæ ad hæc verba delatus erat: *qui propitius eſt iniquitati tuæ, & qui ſanat omnem infirmitatem tuam:* tum vero divino corroboratus ſpiritu, totusque entheus factus, ac veluti cum univerſa hoſtium ſpiritualium caterva in agona deſcendere viſus, fortiſſima utebatur exprobratione his aut ſimilibus verbis: "agite dum, o mei hoſtes "deterrimi; tu lex conſcientiarum accuſa- "trix: tu tentator, jurate humani generis "hoſtis: tu mors hujus lucis terrifica ſpolia- "trix: agite, venite, laceſſite quantumvis, "exaſperate iras, ingeminate ferales voces: ita "tu peccaſti, ita tu Dei gratiam contemſiſti; ita "tu accumulaviſti tibi iram in die iræ: habeo, „quod vobis opponam, aliud: *ita, ITA Deus me dilexit, ut Filium ſuum unigenitum dederit. Hic me dilexit, & tradidit ſemet ipſum pro me. Scio, quod hic redemtor meus vivit; & ego videbo eum.* His & aliis cœleſtiſſimus ſermo ad portas urbis protractus

fuit; non ſine ſacro quodam ejus horrore, qui lateri itineris comes adſidebat. In penates redux, viſus eſt aliquot dies, neſcio quam, periculi aliquantisper levati præ ſe ferre ſpem: ſed eventus docuit in ſpeciem tantum fuiſſe, morbique diſcrimina, in gratiam caritatum ſuarum, callide eum diſſimulaſſe.

Venit ſumma dies & ineluctabilis hora.

Cogitur, præ tumore pedum, lectum occupare, cui jam per triduum affixo, inter ſermones extremi diſceſſus flagrantiſſimos, animique cœleſtis gloriæ primitias jam deguſtantis indicia, ſexagenario cum octo inſuper annis & octo menſibus, placidiſſima vitæque ſuæ ſimillima morte finem adtulit menſis ſuperioris anni September præceps. Quem diem triſti nota exſecraremur, niſi, profligatis ſuperſtitionum tenebris, divina colluſtrati luce, ſciremus mortem nil niſi novæ occaſionem vitæ, quodque eam conſequitur, æternæ initium gloriæ, æternæ felicitatis eſſe. Non igitur mortuus, cui *mors lucrum*, *Chriſtus* vero *vita factus eſt* per hoc, quod Is mortem ſua morte vicit, ejus ſpicula fregit, ejus poteſtatem domuit ac ſubegit. Non obiit, ſed abiit, ad nos quidem non rediturus; nos vero ad illum abituri ſumus. Non occidit, qui ſuo occaſu

ſu novum ſidus exortus eſt in cœleſti olympo. Non interiit, qui interitura hæc, vel potius jam intereuntia, virtutum vero exempla, in quibus poſt mortem vivit, numquam interitura poſt ſe reliquit. Hæc nos intueamur, hæc imitemur, hæc exoſculemur; in hoc, quod unice poſſumus, BENZELIO noſtro adhuc quaſi ſuperſtite fruamur. Tu vero, beatiſſime Pater, qui militia tua in his terris defunctus, decertaſti bonum certamen, curſum conſummaſti, fidem ſervaſti, & corona tibi repoſita nunc fulges, tamquam ſplendor firmamenti & tamquam ſtellæ, in perpetuas æternitates: qui ſidera, unde ortus eras, & ad quæ redire debebas, transvectus, agis nunc inter antiquos illos Patres & Patriarchas tuos, quorum Tu ſimilis exſtitiſti in his terris, & quorum hinc abiens expreſſam in Te apud nos reliquiſti imaginem: qui cœleſti paſtus nectare & ambroſia, angelicisque immixtus choris, ſempiternos pæanas cantas coram throno & agno; fortunate ſenex, ſi quis inter has delicias, ſi quis terreni tibi ſenſus adhuc, accipe hæc ſupremæ officia pietatis, accipe has lacrumas, accipe hæc filiorum in patrem, diſcipulorum in doctorem, clientum in Mæcenatem, amicorum in amicum obſequia & qualiacumque devotæ mentis indicia. Jamque vale

le decus virorum. Vale ſeculi noſtri Phœnix. Vale ſtator orbis literati. Vale ſidus Eccleſiæ. Vale æternitatis candidate, vale æternumque vale. Nos ivimus, celebravimus exſequias: numquam melioris civis, numquam melioris Civis, Patris, Mæcenatis funus videbimus.

DIXI.

In cineres
b. defuncti ARCHI-EPISCOPI,
DOCT. ER. BENZELII.

Conditur hoc tumulo docti, BENZELIUS, orbis
Fama, & hyperborei gloria magna ſoli.
Princeps Suionidum Myſtes. Eccleſia zelo
Quem Patribus priſcis æquiparare queat.
Quem mens ſublimis gravibusque exercita curis,
Pectoraque indigena candidiora nive,
Veri amor, ingeniumque ſagax, doctrinaque vaſta,
Scriptaque inoccidiuum quæ peperere decus,
Nominaque æternis meritis in ſacra Minervæ,
Et quicquid clarum ſecula noſtra ſtupent,
Condecorant ex aſſe virum. Neu, Patria, ſperes
Laudibus his multos poſſe videre pares.

M. B.

II.

II.

JOANNES CHRISTOPHORI HARENBERGII

COGITATA DE POENA SERVI BICORDIS AC PROMISSUM FALLENTIS,

MATTH. XXIV, 45 -- 51. LUC. XII, 42-48. JAC. IV, 8. V, 12.

SYNOPSIS.

§. 1. *Sensus parabolae Jesu indicatur.* § 2. *Poena dissecti per medium corporis ab hac parabola est aliena.* §. 3. *Poena praefecti ceteris servi generatim significatur.* §. 4. *Interpretes vetustissimi Latini & Syrus reddunt* διχοτομεῖν *per* dividere. §. 5. *Parabolae velo remoto indicatur poena in Judaeos constituta.* §. 6. *Exempla e LXX. adferuntur verbi* διχοτομεῖν *& nominis* διχοτόμημα. §. 7. *Joannis Maldonati & Joannis Harduini interpretationes expenduntur, additurque Joannis Martianaei explicatio.* §. 8. *Christfridi Waechtleri sententia removetur.* §. 9. *Lis critica C. A. Heumanni & C. Fr. Krumbholzii de significatu verbi* διχοτομεῖν, *ad servum adplicati, exponitur & dijudicatur.* §. 10. *Poena dissectionis servorum Judaeis semper fuit inusitata.* §. 11. *Notio verbi* διχοτομεῖν, *ac nominum* διχοτομος, διχοτομία, *generalior, consistens in qualicunque divisione, comprobatur exemplis.* §. 12. *De*

J.

J. Jac Wetſtenii animo ad Matth. XXIV. 51. §. 13. De natura διψυχίας, quam Jacobus in Epiſtola notavit, & de variante lectione ad c. IV, 8.

§. 1.

Ut Jeſus adſectatores ſuos doceret, fidem ipſi ac virtuti ſemel datam inviolatam perpetuo eſſe colendam atque ſervandam, parabolam adhibuit, a *ſervo* deſumtam, quem herus peregre abiturus agnovit fidelem, ideoque cetero *famulitio* *) ſervisve præfecit, diſpenſaturum his labores victumque, donec ipſe herus reverteretur. Quemadmodum vero fieri poteſt, ut animus hominis tandem degeneret & limites migret præſcripti, ita Jeſus caſum eventumve ponit, quo ſervus ille vel ab initio fidelitatem ſimulet, introrſum turpis, ſpecioſus verbis virtutem ſpirantibus; vel ſucceſſu temporis memoriam promiſſi deponat ſeu indolem exuat hero probatam. Priori caſu ſervus eſt ſimulator ſeu hypocrita; poſteriori dicitur infidelis. Si herus redux deprehendit, ſervum ſuæ fidelitati defuiſſe ac demandatos adminiſtrationi ſuæ ſervos injuſte tractaſſe genioque ſuo ad luxuriem usque & ingluviem

*) JOSEPHUS ſervorum Regis numerum vocavit θεραπείαν βασιλικήν, *Bell. Jud.* II, 7. p. 158. edit. Havercampi.

viem comeſſationesque ebrietatis comites indulſiſſe, ipſe officio illo exuit amovetque, & talem ſe ei præbet, qualem juſtitia poſtulat & exigit. Poenam ipſe irrogat in ſervum, qui ſubjectos ſibi ſervos contra jus fasque verberibus adfecit, partes officii ſui neglexit, & gulæ litans rem familiarem heri damnis mactavit. Parabolæ hujus documento Jeſus condocefecit Chriſtianos, ipſorum eſſe, fidei virtutique numquam renuntiare, niſi malint pœnas divinitus definitas incurrere. Speciatim vero indicat triſtiſſimas Judæis imminentes pœnas, per Romanos ab ipſis experendas. Id ipſum ex *Matthæo* dilucide pateſcit. Maxima enim Judæorum multitudo tunc obedientiam, Deo virtutique debitam, ex animo ſuo deleverant, illecebris vitiorum capti & indolem ſervorum male feriatorum imitati.

§. 2.

Pœnæ, quas Romani, Deo exigente, Judæis irrogarunt, *non conſtiterunt in diſſectione corporum ad partes duas æquales.* Et quis ignorat, huic ſupplicio inter *Judaeos* tunc omnino locum haud fuiſſe relictum? In *ſervos* Judæis haud licuit tam duriter ſtatuere. Ad Judæorum mores Jeſus, in Judæa docens, reſpexit, ſiquidem degenerem Judæorum animum præcipue in ipſo parabolæ

bolæ uſu ob oculos habebat. *Lucas* ipſe indicat XII, 47, ſervos, qui ſervis ſibi creditis verbera injuſte inflixerint, verberibus ex jure talionis adfectum iri. *Matthæus* vero XXIV, 51, eum talemque malo ſervo finem imminere ſignificat Jeſu verbis, ut calamitatem eam ferre debeat eumque locum, qui ſit lacrimis & ſtridore dentium inſignis. Ei enim, qui fata ſua miſerrima ſentiebant, a lacrimis non poterant ſe abſtinere, & præ dolore maximo, præ indignatione ac ira dentibus ſtridorem ciebant, ad carcerem vel ergaſtula vel ad metalla damnati. *Romani*, in Judæos devictos dominatum nacti univerſum, Judæos vinculis conſtrinxerunt captos, alios gladio trucidarunt, alios in cruces ſuffixerunt, alios ad metalla prope Phæno in terminis Judææ meridianis vel in Ægyptum vel aliorſum miſerunt, alios beſtiis objecerunt, alios triumpho reſervarunt. Quantum lacrimarum, indignationum & miſeriarum viguerit in fodinis metallorum, DIODORUS SICULUS & AGATHARCHIDES memoriæ litteris prodiderunt. Si Jeſus dixiſſet, infidum ſervum abſtractum iri ad eam pœnam, qua is in partes duas æquales ſit diſſecandus, ſibi ipſe contradixiſſet. Quomodo enim homo ſic diſſectus poteſt verberibus ſubjici? Quomodo is poteſt miſeriam ſuam deplorare? Quomodo is pœnam,

quam

quam ſuſtinet, indignatione ſumma poteſt proſequi, qui medius fuit diſſectus? An Jeſus dehortari voluit Judæos a crimine fidei repudiatæ per ſupplicia, quæ tunc nec inter Judæos nec inter Romanos in uſu erant? Vir Celeb. CHRISTIANUS BENEDICTUS MICHAELIS in *Diſſ. de Suppliciis capitalibus Hebræorum* oſtendit quidem, more Orientalium criminoſis quibusdam manum dextram & pedem ſiniſtrum fuiſſe amputatum; at id ſupplicium tamen nec ad nationis Judaicæ mores nec ad hominis in partes duas æquales diſſectionem quadrat.

§. 3.

Hiſce potiſſimum rationibus adducor, ut illa Jeſu verba, quibus pœna, in ſervum male feriatum irroganda, ſecus ac vulgo fieri ſolet, interpreter. En verba ipſa: Διχοτομήσει αὐτὸν καὶ τὸ μέρος αὐτῦ μετὰ τῶν ὑποκριτῶν θήσει. *Matth.* XXIV, 51. Haec verba ſic interpretor: *Declarabit* Dominus ſervum *illum in partes duas dividendum eſſe, & illam ejus* propriam *partem* non cum ſervis ſinceris ac fidelibus, ſed *cum ſimulatoribus ponet*, id eſt, *adnumerabit eum in rationario ſuo hypocritis, non adſcribet ſervis laudandis.*

Erant heris tabulæ, quibus inſcribebantur merita ac vitia ſervorum. Servis, qui

operam fidelem heris præſtiterant; hi ex itinere reduces munuſcula quædam adferre & diſtribuere ſolebant. Portio, ſingulis deſtinata, dicebatur μερὶς, μέρος, τόμος. Conferendus heic eſt IS. CASAUBONUS ad *Theophraſti Characteres ethicos* c. XVII. XI, 4. Homines animi illiberalis atque ſervi ab hero redeunte poſcebant donorum partem, ἀπὸ τῶν ξενίων τὸ μέρος τὸ αὐτῶν ἀπαιτήσαντες. Præfecto igitur ſervorum, uni ex eis primario, quid magis curæ cordique eſſe potuit, quam ab hero, revertente munuſculum exſpectare eique ſua diſſimulare male acta? At recepturus dicitur portionem, quæ in fallacem ſimulatorem, qui malæ diſpenſationis convinci debuerat, omnino cadebat. Hæc portio non erat munuſculum, ſed præmium ob ſtultitiam ſeu pœna, diſpenſationi pravæ congruens ac debita. Rationem habuiſſe dicitur herus primæ ſervi, qui reliquis præerat fidei & promiſſi ad eam adſtricti, quam diſpenſator videri voluerat non violaſſe. Quum vero herus ſub examen vocaſſet diſpenſatoris acta, faciem ejus alteram detexit. Ut enim luna, partim lucida, partim obſcura, dicitur διχότομος, *in partes duas diviſa*, ſic diſpenſatoris illius fides, quam præferebat & olim adhibuerat, adparebat lucida & probanda; at ipſe in præſens deprehendebatur violator fidei & fallax diſſimulator. Ex hac igitur

parte

parte facies moralis præfecti ſervorum ſeſe prodebat tenebroſam atque pravam. Dum igitur herus utramque reſpiciebat indolem, non potuit non illum *declarare* διχότομον ſeu διχοτομεῖν. Ita Horizon indiçat, Æquatorem in partes duas eſſe diviſam. Unde PROCLUS *de Sphæra* p. 4. docuit, maximum Æquatoris circulum eſſe διχοτομούμενον ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος, ſignificans, Æquatorem indicari per lineas eſſe diviſum in duas partes ab Horizonte. Æquator non eſt corpus, nec homo, nec beſtia, ideoque non diſſecatur a manu fortiori impacta. Ita locus, qui ſe in vias duas ſeu bivium dividit, dicitur δίχα τέμνεσθαι. PAUSANIAS L. VIII. p. 477: Κατὰ τοῦτο αὖθις τὸ χωρίον δίχα ἡ ὁδὸς τέμνεται. *Poſt hunc locum rurſus via ſe* *) *in duos tramites dividit.* Quis viam diſſecat in partes duas æquales proprio ſignificatu? Antiquiſſimæ interpretationes, tum latinæ, tum Syriaca, a notione *Diſſecandi* in illa Jeſu parabola abhorrent, indicium prodentes, olim creditum fuiſſe, eam notionem ab hoc loco prorſus eſſe alienam.

§. 4.

Libet huc arceſſere interpretationem, e Codice VERONENSI a JOSEPHO BLANCHINIO

*) VIRGILIUS *Æn.* VI, 540. *Findit in ambas partes ſe via.*

CHINIO evulgatam, quæ *Hieronymi* interpretis ætatem ſuperat & excellit antiquitate. *Veronenſis* Codicis hæc eſt interpretatio apud *Lucam: Dixit autem Jeſus: Quis eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram? Beatus ſervus ille, quem, cum venerit dominus ejus, inveniet ita facientem. Vere dico vobis, ſupra omnia, quæ poſſidet, conſtituet illum. Quodſi dixerit ſervus ille, in corde ſuo dicens: Moram facit dominus meus venire; & coeperit percutere pueros & ancillas, & edere & bibere & inebriari; veniet dominus ſervi illius in die, qua non ſperat, & hora, qua neſcit; &* DIVIDET *eum partemque cum infidelibus ponet. Ille ſervus, qui cognovit Domini ſui voluntatem & non paraverit ad voluntatem ejus, vapulavit**) *multis. Qui autem non ſciens fecerit, vapulavit paucis.* Librarius ſecutus fuit dictantem. Hic litteram B pronunciavit, ut V. Inde enatum eſt *vapulavit* pro *vapulabit.* Codex BRIXIANUS ſolet plerumque conſentire cum *Stephani* editione, quæ nobis eſt pervulgata; at CANTABRIGIENSEM codi-

*) Zeno philoſophus ſervum furti convictum ἐμαςίγωσε, ἔδειρε, *verberavit.* DIOGENES LAERTIUS *in Zenone* L. VII. p. 451.

codicem ſolent ſæpius exprimere *Vercellenſis*, quæ hoc loco deficit, & *Veronenſis*. Hinc intelligitur ratio, cur in *Brixiano* legatur *v.* 42: *Dixit autem Dominus*, & *v.* 47, 48: *Ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit nec fecit ſecundum ejus voluntatem vapulavit multis. Qui autem non cognovit & fecit digna plagis, vapulavit paucis.* Poſt *paraverit v.* 47. in *Syro* etiam deeſt illud *nec fecit. Syrus* interpres inciſum 46 ita reddidit: *Veniet dominus ſervi illius die, quo non putat, & hora, quam non novit, & dividet eum* ונפלניוחי, *& ponet partem ejus* מונתה *cum eis, qui fidelitatem non adhibuerunt.* Vocabulum *mono* Syri de *membro* corporis non adhibent, ſed de *parte, portione*, quæ datur. Notandum hoc cenſeo ob b. GE. LUDOV. OEDERUM, de cujus opinione poſtea. In præſens nobis ſuffecerit noſſe, verbo διχοτομειν ſubſtitutum eſſe in Codice Veronenſi ac Brixiano *dividere*, nec abludere interpretem Syrum, nec Vulgatum Latinum diſſentire.

§. 5.

Facile eſt intellectu, quorſum ſpectaverit Jeſus, & quorſum Parabola ejus tetenderit. Cum præfecto ſervorum comparatur natio Judaica, divinitus ad ſervos nutrien-

dos & conſervandos obſtricta, præcipue eos, quos Meſſias ad eam ablegabat, nuntiaturos ordinem ſalutis evangelicæ ſeu regnum Dei. Hi autem a primoribus Judæorum, qui nationem referebant potiſſime, voluptatibus immerſi præfecturam ſibi demandatam neglexerunt ac ſervos Meſſiæ ipſumque Patris legatum, עבר, peſſime tractarunt & injuriis onerando & verberando & abſtrahendo ad dira ſupplica. Vindictam Dei Judicis non reformidarunt Judæi, ac ipſe Judex per Romanos non opinantibus ſupervenit, faciem ipſorum utramque, & obductam fuco & aperte pravam, accurate diviſit, ac ipſis pœnam infidelitate contractam irrogavit, conformatam gradibus delictorum. O quantus inter ipſos & quam multiplex ploratus tunc exſtitit? Quantæ indignationes in eos, a quibus plagas, neces, & miſerrima quævis ſuſtinere cogebantur? Paulus huc reſpicit *Ebr.* X, 37, hoc adfirmans: *Dominus* ἐ χρονιεῖ, *non tardabit* adventum, ad judicium expromendum feſtinat. Joannes Apocalypſin claudit hoc voto: *Veni Domine Jeſu!*

§. 6.

Alexandrini interpretes græci ſæpius vertunt verbum חצה, cui eſt poteſtas *dimidiandi*, *in duas partes dividendi*, in ſermonem

nem græcum, immo verbum סעף, cui est notio *dissecandi*, *dividendi*, e. g. *Jes.* X, 33. Huic vero substituunt suum συνταράσσειν, *conturbare*; illi vero διαιρεῖν, *Gen.* XXXII, 7. *Num.* XXXI, 27. *Jud.* VII, 16. *Ex.* XXI, 35. *Jes.* XXX, 28. *Ps.* LV, 24. *Dan.* XI, 4. & ἐπιδιαιρεῖν *Gen.* XXXIII, 1. Miror admodum, eos adhibuisse verbum διχοτομεῖν in locis non multis, e. g. *Exod.* XXIX, 17. Διχοτόμημα vero legitur *Gen.* XV, 17, ac substituitur vocabulo גֶּזֶר, atque *Ex.* XXIX, 17. *Lev.* I, 8. *Ezech.* XXIV, 4, ubi in ebræo est vocabulum נתח & נֶתַח. Miror, quod JO. JAC. WETSTEINIUS nil horum locorum ad *Matth.* XXIV, 51, notavit p. 53. s.

§. 7.

JO. HARDUINUS, qui verba Matthæi græca haud magni fecit, ad Vulgata habet *Matth.* XXIV, 51, hæc: *Et segregabit eum e numero servorum suorum sortemque ejus statuet cum hypocritis. Græce:* Καὶ διχοτομήσει αὐτὸν, *& medium secabit ipsum. Quodqui excusare volunt, ajunt,* διχοτομεῖν *positum esse pro* ἀφορίζειν. At quid heic opus est excusatione? *Vulgata* habent: *Et dividet eum partemque ejus ponet cum hypocritis. Illic erit fletus & stridor dentium.* Harduinum prævit JO.

MALDONATUS contribulis, qui sententiam hanc dixit col. 557: *Verus sensus est, quem Hieronymus, Euthymius & Auctor Imperfecti secuti sunt*, dividet eum, *id est, ejiciet ex familia sua, separabit a famulorum suorum numero; sicut supra* XXII, 12. 13. *jussit rex eum, qui vestem nuptialem non habebat, extra coenaculum ejici & in tenebras exteriores mitti. Itaque duo supplicia notantur: alterum, quod ab officio, quo male functus fuerat, removeatur; alterum, quod in ergastulum, ubi nequam servi sunt, torquendus trudatur. Loquitur enim Christus accommodate ad id, quod malis servis fieri solet, qui non prius medii dissecantur; deinde in custodiam cruciandi mittuntur, sed prius removentur ab officio, siquod habebant, honorifico, deinde cruciantur.* Recte monuit *Maldonatus*, Judæis non fuisse supplicium in usu, quo vivi homines, qui officio pessime abusi erant, dissecantur. Recte monuit, servum male feriatum, reliquis præfectum, quia infidelitatis convictus erat, officio suo dejectum fuisse & pœnæ in ergastulo luendæ traditum. Hæc vero plagis verberibusve fuit expleta. Inter eas male feriatus effudit fletum & indignationem, cujus indicium vehementius erat dentium stridor. Ita *Polyphemus* apud VIRGILIUM *Æn.* III. 1664. dicitur *dentibus infrendens* præ indignatione, nec non Cacus

Æn.

Æn. VIII, 230. Et quis ignorat, eos qui cum ſummis doloribus colluctantur, dentes dentibus imprimere ad ſtridorem usque? Pœnam falſi teſtimonii fuiſſe diſſectionem corporis apud Romanos, ſunt, qui tradunt. At GELLIUS XX, 1. addit, ſe nec legiſſe nec audiviſſe, quemquam antiquitus diſſectum eſſe. Nec in ſervum maleferiatum cadebat quæſtio teſtimonii de reliquis, quibus præfuerat, ſervis, nec convictio de teſtimonio falſo, Potuiſſet itaque *Maldonatus* locum *Gellii* omittere, indicaturus, morem medios diſſecandi homines fuiſſe Romanis uſitatum. De reliquo adjecit ſententiam ORIGENIS, HILARII & THEOPHYLACTI, qui ſibi perſuaſerint, per illud *dividit eum* idem ſignificari, ac *privabit eum promiſſis bonis ac mercede*, *privabit eum gratia*, *qua ipſum prius donaverat*. Indicio hæc ſunt, interpretibus heic obluctari difficultatem ſatis magnam. Obiter adjungere hæc liceat, apud Græcos inuſitatum fuiſſe peræque morem diſſecandi ſervos, graviſſimi criminis plenos. Damnabantur potius ei, verberibus cæſi, ad molendum in piſtrino, vel tantum rotæ aut columnæ adligabantur, ac ita crudeliſſime loris aut flagellis cædebantur. Teſtimonia, quibus hæc nituntur, ſuppeditavit lectoribus JOANNES POTTERUS IN *Archæologia græca* L. I, c. 10.

p. 53. *Lugduni Bat.* 1702, fol. Sat igitur argumentorum ad manus est, quæ eis repugnant, qui, Jesum per *dichotomiam* ad supplicii servorum morem respexisse, sibi persuadent. *Maldonatus* tamen ne hilo quidem rationis usus est, qua doceri possit, verbo διχοτομεῖν inesse notionem *cruciandi.* JO. HARDUINI opinio falso fundamento superstructa est, quod testimoniis primorum Patrum evertitur, quippe quorum ne unus quidem tradidit, Matthæum latino sermone Evangelium scripsisse. Male præterea *Harduinus* reddidit verbum διχοτομεῖν per *secare medium*, siquidem luna, deliquium ex parte lucida patiens, διχοτομεῖται, nec tamen media secatur. Et quis credet, Æquatorem proprie per lineam Horizontis secari? Sectio hæc est divisio, ex transverso per lineam indicata vel potius a mente tantum concepta. CAROLUS MARIA de VEIL interpretatus fuit illud διχοτομεῖν per *separationem* a reliquorum servorum consortio. Hujus fodicavit latus, nisi fallor, *Harduinus.* Fefellit se MALDONATUS, tradens, eos, quos adpellavit hæreticos, verbo illi adtribuere significatum *dissecandi.* Nam pauci sunt Protestantium, qui hanc sententiam amplectuntur, quam quidem anno 1747 repetivit GE. LUD. OEDERUS in *Animadversionibus sacris* p. 468, s. *Brunsuici* publicatis. Meum

non

non est, eorum *) inire numerum, qui ante eum eandem opinionem fuerunt secuti. Id vero certum est, verbis eam notionem, quæ a re indicata prorsus abhorret, haud licere adfigere, licet ea sit satis trita, si supereſt alia, quacum id, quod autor tradidit, congruit & consentit. Nam illico additur subjiciturque a Jesu mentio verberum & ploratus ac stridoris dentium. Unde satis superque intelligitur, qualis pœna in servum, reliquis præfectum, indicetur constituta. Et hoc ipsum argumentum prohibet, quo minus JOANNI MARTIANÆO, *Benedictino Congregationis S. Mauri Monacho*, adsentiamur, qui sibi **) persuaserat, herum duas partes servi male rem gerentis essentiales segregasse seu eum interfeciſſe. Præterea desiderantur exempla, quibus ea verbo διχοτομεῖν potestas ab ullo græco scriptore tribuatur. Reclamat mos, Judæis, Græcis ac Romanis usitatus. Refutavit eam opinionem CHRISTOPH. AUG. HEUMANNUS in *Actis Erud.* 1712, p. 26, & To. V. *Supplem.* ad eadem p. 202, quam GODOFREDUS OLEARIUS

*) Loca bene multa e Græcis ac Latinis deprompsit, quibus eis nituntur, JO. JACOBUS WETSTENIUS *ad Matth.* XXIV, 51. p. 53. b. s.

**) *Essay de Traduction, ou Remarques sur les versions Françoises du N. T. p. 136. à Paris 1710. 4.*

RIUS contra hunc ab improbabilitate ſtuduit liberare *) irrito conatu.

§. 8.

CHRISTFRIDUS WÆCHTLERUS, *Jureconſultus Saxoniæ* olim illuſtris, isque græce admodum doctus, in epiſtola ad JOA. BURCH. MENKENIUM data, quæ inſerta eſt *Actis Eruditorum latinis* 1710. p. 74, 75, illud διχοτομήσει interpretatus fuit per hæc: *Res ejus inter creditores curabit dividendas.* Requirimus exempla veterum Græcorum, quibus, hunc ſignificatum illi verbo umquam adfixum fuiſſe, docemur. Qui enim aliquem bifariam ſeu in partes duas dividit, is dici non poteſt, res ejus inter creditores tres pluresve diviſiſſe. Accedit qûod ſervis nihil ſolebat eſſe proprii. Nihil igitur eis erat, quod inter creditores dividi poterat. Id ipſum abeſt a parabola, quod ad conflatum a ſervo æs alienum ulla cum veriſimilitudine trahi poteſt. Credibile eſt, id omnino fuiſſe indicatum, ſi pœna ad eam cauſam tetendiſſet vel accommodata eſſet.

§. 9.

Bello critico ſeſe implicarunt de ſenſu verbi διχοτομεῖν C. A. HEUMANNUS, vetuſtus

*) *Obſervation. ſacr. p. 709, ſ.*

ſtus amicus meus non e multis & artis criticæ magiſter, atque CAROLUS FRIDERICUS KRUMBHOLZIUS. Uterque in id conſentit, indicari verbo illo pœnam, ſervorum præfecto inflictam, graviſſimam. In eo tamen diſſenſerunt, quod ille id de verberum gravitate, quo tergum urebatur, immo ſcindebatur, expoſuit; hic vero generatim ſenſum in graviſſimæ pœnæ indicio collocavit, per ſpeciem diſſecandi corpora expreſſæ, nec tamen per hanc in effectum perductæ. *Krumbholzius* putavit, tritam fuiſſe phraſin, qua diſſectio corporis fuerit indicium & ſignificatio pœnæ multo graviſſimæ. Confugit, ut hoc lectori adprobaret, ad hiſtoriam Suſannæ *v.* 55, 59, in qua διζειν μέσον, πρίζειν μέσον, ſit idem ac *graviſſimo ſupplicio punire*. Ediſſeruit ſententiam ſuam in *Supplem. Act. Erud.* To. V. Sect. V, pag. 303, porro in *Parergis academicis* *) Part. IV, n. 7. p. 397. & Part. V, n. 111. p. 452, ac tandem in *Diſquiſitione de ſervi male feriati poena per* τὸ διχοτομεῖν *ſignificata ad Matth.* XXIV, 51, *& Luc.* XII, 46. in *Bibliotheca Bremenſi* Claſſ. VII. p. 234 - 260. Si THUCYDIDEM conſuluiſſet, non dubitaſſet, apud hunc IV, 100, διχα πρίζειν, eſſe *in duas partes diſſecare*, non generatim graviſſimo

*) Academiſche Nebenſtunden.

vissimo supplicio punire. Quantum ad libellum de Susanna attinet, facile est intellectu, ibi non referri ad modum historicum, quemquam in eo fuisse, ut alium hac vel illa pœna adficeret re vera, sed scriptorem excogitasse lepidam adlusionem ad vocabula πρῖνος & πρῖνος. Nec ibi legitur verbum διχοτομεῖν, cui omnino inhæret plerumque significatus *secandi in duas partes*, & rarius notio generalis dividendi in geminas rationes seu res duas. Nisi aut illam aut hanc notionem sequaris in Jesu verbis, sensum sententiæ perdis & amittere studes. Tertio enim cuipiam significatui non est locus, si vel maxime universos Græcorum codices versaveris perdius ac pernox. HEUMANNUS illud διχοτομήσει αὐτὸν interpretatus fuit ita, ut sensus sit: *multis eum verberibus puniet*. Proposuit hanc sententiam in *Actis Erud* 1712. p. 26, 27, & copiosissime in *Erklärung des Neuen Testaments*, I. *Theil, Hannoveræ* 1750, 8, *ad Matth.* XXIV, 51. pag. 402, s. Favent ejus sententiæ argumenta haud una. Paullo post in parabola adjicitur mentio verberum apud Lucam. Subditur verbo διχοτομήσει apud Matthæum illico hoc: *Ibi*, eo in loco, in quem infidus servus ducetur, *erit fletus & stridor dentium* seu status sensionum miserrimarum gravissimusque puniti dolor. Inter Judæos hero haud licuit ser-

ſervum vita privare, multo minus eum in partes corporis duas diſſecandum curare. Unum viro præſtantiſſimo deeſt argumentum, ſcilicet hoc quod e nullo ſcriptore græco adhuc productus fuit locus, in quo verbum διχοτομεῖν gaudet iſta notione. Videtur prorſus improbabile, Matthæum ac Lucam a ſignificatu ſua ætate trito diſceſſiſſe. Præter *Krumbholzium* ſeſe *Heumanno* objecit b. GOTHEFREDUS OLEARIUS in *Obſervationibus ſacris ad Matthæum* p. 712, ſ. Illi reſpondit *Heumannus* in *Supplementis Actor. Erud.* To. V, p. 202. *Olearius*, cujus *Diſſertationem de Baptiſmo ſuper mortuis Heumannus* refellerat, id potiſſime urſit, quod non liceat verbum διχοτομῶν, quod veram diviſionem in partes duas ſignificet, de flagris, tergum ſervile ſecantibus, interpretari. Accedit quod diviſio illa in dimidias partes duas adhibetur non de ſola verberatione, nec ſemper de pœna quadam. ARISTOPHANIS enim hæc ſunt in *Lyſiſtrata* p. 832. *Lugduni Batav.* 1624, 8:

Ταυτὶ σὺ λέγεις, ὦ ψῆττα; καὶ μὴν ἀρτίγε
ἔφησθα σεαυτῆς κἂν παρατεμεῖν θ' ἥμισυ.
Tune iſta dicas, lingulaca? quæ modo
Medium inquiebas corpus ſecaſſere.

PLUTARCHUS *in Pyrrho* c. 53. tradit, viros fortiores, in prœliis ardorem animi ſequentes,

tes, hoſtem nonnumquam *ſecare medium*, διχοτομεῖν. At hæc ad pœnam, in civitatibus Judææ, Græcorum ac Romanorum ac Romanorum, exerceri ſolitam, non congruunt, multo minus ad verbera tergis ſervorum inflicta. *Krumbholzius*, qui pœnam graviſſimam per ſynecdochen ſpeciei pro genere, per διχοτομεῖν deſignari opinatus fuit, a ſuffragatoribus haud eſt nudus. Eandem enim ei præiverat ſententiam JO. CASPAR SUICERUS in *Theſauro Eccleſiaſtico* To. I, p. 927, nec non græce peritiſſimus JOACH. KUHNIUS in *Pentade Quæſtionum philologicarum*, *Pentade* II, p. 6. *Argentorati* 1689, 4. Mortem violentam, quæ omnino pro pœna graviſſima reputari poteſt, indicari, credidit ipſe JACOBUS ELSNERUS in *Obſervationibus ſacris* To. I. p. 111. JOANNES GEORGIUS SCHELHORNIUS, Sueviæ eruditæ decus illuſtre, extremum mortis ſupplicium ab Evangeliſtis per verbum διχοτομεῖν fuiſſe ſignificatum, ſive id in capitis amputatione ſive in diſſectione per medium conſtiterit, tradidit peculiari Diſſertatione in *Bibliotheca Bremenſi Claſſ.* V, p. 111, ſ. Poenæ igitur graviſſimæ ſpeciem definiri quodammodo non noluit. Si quid judicando adſequi valeo, in Jeſum ejusque parabolam non videtur mihi pœna graviſſima ſeu mortis ſupplicium congruere, eo quod 1) in Palæſtina ſervum

vum a Judæis interfici nefas erat: quod 2) fævitia diſſectionis per medium vel ullius mortis violentæ a Jeſu nequaquam fuit adprobata: quod 3) plagarum mentio addita haud quadrat ad pœnam graviſſimam ſeu duriſſimum ſupplicii genus: quod 4) detruſio ad locum, ubi fletus & ſtridor dentium audiebantur, cum pœna graviſſima in conſenſionem redigi non poteſt. Ubi enim διχοτομίας antecedens mentio locum habuit, ibi copulatus cum ea ploratus, qui ſtatim per ἐκεῖ additur, peræque occupavit locum. Dichotomiam vero in infernales pœnas, morte poſteriores, nemo, opinor, convertet. Illud ἐκεῖ non idem eſt ac *poſtea*, ſed *ibi*, eo in loco vel prope eum, in quo dichotomia contigit. Liceat igitur exiſtimare, ſupplicium capitale & mortiferum, atque diſſectionem corporis heic prorſus non habere locum.

§. 10.

Sunt tamen Viri docti, qui arbitrantur, ſupplicium ſectionis ſervorum, nam de his nunc ex parabola exponimus, fuiſſe Hebræis uſitatum. Qui ſic ſentiunt, delegant lectores ad *Jud.* XIX, 29. 1 *Sam.* XV, 33, &, ubi de Chaldæis ſermo eſt, ad *Dan.* II, 5. III, 29, quemadmodum huc eos remiſit JOANNES HENRICUS MAJUS, *filius*, in *Obſerva-*

tionum ſacrarum ad diverſa utriusque Teſtamenti loca L. II, p. 37, ſ. Qui loca illa indicata inſpiciunt, animadvertunt illico, de ſervilibus pœnis ibi omnino non tractari, non exponi. Levita dicitur pellicem ſuam mortuam in duodecim partes diviſiſſe, quas ſigillatim ad XII. tribus Iſraëliticas miſerit. *Jud.* XIX, 29. Quid hoc ad ſervos? Levitam iratum quis arbitrum pœnæ legitimæ dicet? An pellicem mortuam fuit eo modo puniturus? Non opinor. In 1 *Sam.* XV, 33, Samuel traditur regem Amalekiticum Agagum gladio interemiſſe. Nihil heic habetur de pœna in ſervum, nihil de corporis in duas partes diſſectione. Nebucadnezari tribuitur *Dan.* II, 5, hoc edictum, Magis vatibusve ſuis publicatum: *Niſi ſomnium meum & interpretationem ejus mihi patefeceritis, fruſta fietis*, id eſt, in partes minutas concidemini. Idem ſupplicium Rex idem traditur eis propoſuiſſe, qui Deum Ebræorum venerari eſſent recuſaturi. III, 29. Hæc prorſus ad pœnas ſervorum nil faciunt, multo minus ad ſervos, quibus Ebræi gaudebant. Ebræis vero erant ſervi vel nationis ſuæ vel aliunde adſciti. Hero in hos non erat jus *) necis. *Ex.* XXI, 12. *Lev.* XXV, 46. MAIMONIDES *ad Kidduſchin* I, 3, & ibidem

*) *Ex.* XXI, 20. 21. XII, 26.

ibidem OBADIAS de BARTENORA. Si herus Ebræus cuicunque ſervo vel ſervæ eliſiſſet oculum, unum vel plures dentes, aut unum ex membris exterioribus, jus omne in læſum illud mancipium amittebat, idque in libertatem adſerere debebat: tantum abeſt, ut ipſi in illud pro arbitratu ſtatuere mediumve diſſecare id loco pœnæ liceret. Jeſus parabolis ſuis non inſeruit ea, quæ mali ſunt exempli & inter Judæos inuſitata erant, cum diſcipulis ſuis ſermonem ſocians, quos a pravis moribus volebat prorſus eſſe alienos. Monuit hæc HEUMANNUS quam rectiſſime. Monuit præterea bene MALDONATUS, diſſectionem hominis ſervique, crimine graviſſimo onerati, non habuiſſe locum in ſuppliciis Judæorum. Ebræorum enim ſervi male feriati graviter verberibus cædebantur ita, nequid membrorum læderetur, niſi ejus poſſeſſione herus mallet excidere. Verberatus deinde in carcerem ducebatur, in quo ploratum miſcebat vel ob miſeriam vel ob frigus ibi tolerandum, quæ *Heumanni* eſt ſententia, vel ob opus durum ad molam vel piſtrinum vel in fodinis metallicis faciendum. Varia enim erant opera ſervorum, qui ad ergaſtula detrudebantur. PLATO in *Sympoſio* *) p. 182. ſ., ad quem locum MAJUS

*) *Edit. Baſilae 1556, fol.*

lectorem amandat, refert fabulam vetuſtam de primo homine androgyno, qui duplicato humano corpore, maſculino ac femineo, fuerit inſtructus, ac cœlum ſtultitia petere decreverit. Addit *Plato*, Jovem decreviſſe *) e contrario debilitatem ejus conatis opponere, & hunc in modum dixiſſe: Νῦν μὲν αὐτὸς διατεμῶ δίχα ἕκαστον, *nunc omnino quemvis eorum in duas ſcindam partes. Quum hæc dixiſſet* Jupiter, *bifariam ſecuit homines inſtar eorum, qui ova dividunt, ſale condienda, aut qui ova crinibus partiuntur.* Ταῦτα εἰπὼν, ἔτεμνε τὺς ἀνθρώπους δίχα, ὥσπερ οἱ τὰ ὠὰ τέμνοντες καὶ μέλλοντες ταριχεύειν, ἢ ὥσπερ οἱ τὰ ὠὰ ταῖς θριξίν. Nihil hæc ad ſervos ſpectant vel eorum adtingunt pœnas. Unum corpus ab altero diviſum video, ut ex uno homine fierent duo. Nihil video præterea. Animalibus in partes duas diſſectis propria ſunt verba διατέμνειν δίχα, διχοτομεῖν. Id ipſum eſt, quod ingenue fateor. Dabo nonnihil exemplorum. PAUSANIAS L. VI, p. 345. *Hanoviæ* 1613, fol.: Κύων ἱερεῖον δὴ παρ αὐτῷ κεῖται διατετμημένος τε δίχα καὶ Φαίνων τὸ ἧπαρ, *Canis juxta vatem prope jacet diviſus bipartito, & nudato jecinore*, e quo *) *Thraſybulus* vates videtur fuiſſe aliquid prædicturus.

*) Is Græcorum erat mos. PLUTARCHUS in *Pyrrho c. 75. pag. 399. B.*

rus. POLYBIUS X, 15. ita: *Sæpius cernere est, quoties capitur a Romanis urbs aliqua, non homines modo occisos,* ἀλλὰ καὶ τὰς κύνας δεδιχοτομημένας καὶ τῶν ἄλλων ζώων μέλη παρακειμένα, *sed canes etiam in duas partes dissectos & aliorum animalium membra abscissa.* Boeotios, PLUTARCHUS, cujus verba m. Rev. SCHELHORNIUS habet, narravit, pro publica expiatione κύνος διχοτομηθέντος τῶν μερῶν διεξελθεῖν, *per partes canis in partes duas secti transiisse.* Maxime reverendus SCHELHORNIUS loco laudato p 1115 verba ipsa primus in notitiam Exegetarum N.T. produxit. Macedonas patrio more itidem sic quotannis æque expiasse ac lustrasse exercitum CURTIUS memoriæ prodidit X, 9. §. 12, eum in modum, *ut discissæ canis viscera ultimo in campo, in quem deduceretur exercitus, ubi [illegible] abjicerentur parte.* Ritum copiose descripsit LIVIUS XL, 6. At quorsum hæc. disputo? quorsum? Scilicet ut intelligatur, verbo διχοτομεῖν per sese notionem pœnæ haud inesse, necdum adlata fuisse e Græcis loca, quibus confirmatum fuerit, servos Ebræorum abstractos fuisse ob crimina gravissima ad supplicium, quo corpora eorum in partes duas fuerint dissecta, Restat, ut nonnihil porro adjiciam argumentorum, quo interpretationem meam tuear, simulque, eam cum notione verbi διχοτομεῖν congruere, ostendam.

§. 11.

Rationum ſatis adtuli, cur notio diſſectionis in duas partes corporis æquales a ſervo male fido, qui reliquis ſervis ad tempus præfuiſſe dicitur, exiſtimanda ſit aliena. Adtuli ſatis argumentorum, quibus intelligitur, ſervum iſtum deſcribi ob infidelitatem ab officio remotum, verberibus ſubjectum, & in loci miſerrimi receptaculum ad vitam inter lacrimas tranſigendam abſtractum. Addam nunc ea, quæ ſpectant ad notionem verbi διχοτομεῖν, eam, quæ in æſtimatione conſiſtit, qua diviſio in partes vel rationes congeneres duas peragi ſolet. Hæc notio eſt mathematica & deinde ob ſimilitudinem politica, logica, immo moralis. Ad mathematicum ſeu geometricum ſignificatum confirmandum adferam ea, quæ referri poſſunt ad nomina διχότομος, διχοτομία, & ad verba δίχα τέμνειν, διχοτομεῖν. Ordiendum eſſe cenſeo a nominibus. Lunam dixerunt Græci διχότομον, non per medium diſſectam, ſed e parte dimidia modo ſplendentem, altera ex parte occultam ſeu viſui noſtro non adparentem. En locum PLUTARCHI, diſſerentis *de Iſide & Oſiride* c. 48. *) ita: *Exiſtimant, Nili incrementa ratione quadam*

*) *Edit. Henr. Stephani p. 656. T. I. 1572, 8.*

dam illuminationibus lunæ respondere. Maximum enim apud Elephantinen fit cubitorum 28, *quot dies sunt menstruæ circuitionis Lunæ. Apud Mendetem & Xoin, ubi est minimum, cubitos æquat sex, quot diebus Lunæ orbis nobis fit dimidiatus,* ἡ δὲ περὶ Μένδητα καὶ Ξοῖν βραχυτάτην πήχεων ἓξ πρὸς τὴν διχότομον. ἡ δὲ μέση περὶ Μέμφιν, ὅταν ᾖ δικαία ἀνάβασις, δεκατεσσάρων πηχῶν πρὸς τὴν πανσέληνον. *Medium apud Memphin, si justum sit* (incrementum,) XIV. *cubitis convenit, & respondet temporibus plenilunii.* Exhibui latinam *Guilielmi Xylandri* interpretationem *), quæ sensum tradit satis commodum. At mallem tamen, is σελήνην διχότομον interpertatus fuisset *lunam bipartitam*, i. e. partim lucentem ex dimidia parte, partim haud adparentem nobis ex altera. Subjungere libet porro aliquot loca scriptorum Grajorum, e quibus διχοτομίαν esse *divisionem in partes duas;* nec discissionem, non dissectionem corporis, ubique denotare dilucet. ARCHIMEDES in medium prodeat, cujus sunt **) hæc: Δῆλον οὖν, ὅτι τῶ ἐκ πάντων συγκειμένω μεγέθεος κέντρόν ἐσι

*) Pag. 136. PLUTARCHI *Ethicorum P. II. Francof. 1619, 8.*

**) *L. I, c. 4.* Επιπεδῶν ἰσορροπιῶν *p. 106. edit. Opp. gr. Basil. 1544, fol.*

ἐϛι τῆ βάρεος ἡ διχοτομία τὰς εὐθείας τὰς ἐχέσας τὰ κέντρα των μεγεθῶν. *Manifeſtum igitur eſt, quod illius, quæ ex omnibus coincidit, magnitudinis centrum* eſt *gravitatis in partes duas æquales diviſio* lineæ *rectæ, quæ habet centra magnitudinum.* ANTOCIUS ASCALONITA in *Archimedem de Sphæra & Cylindro* *) hunc in modum: Ἐὰν ἀπὸ τῆς κορυφῆς ἐπὶ τὴν διχοτομίαν τῆς βάσεως ἐπιζεύξωμεν, *ſi lineam adjunxerimus a vertice ſuper bipartitam baſis lineam.* —— Idem L. II, p. 47. lin. 32. 34, nec non L. III, p. 51. lin. 40. διχοτομίαν τομῆς habet, id eſt, *bipartitionem ſectionis* geometricæ. Ad hominem ipſum tranſtulerunt PYTHAGORAS, PLATO, DEMOCRITUS & EPICURUS *dichotomiam* quamdam **). Partem dici τόμον, quis ignorat? Inde eruditorum libri in partes duas diſtributi, dicti ſunt δίχότομοι, & ipſa illa diviſio διχοτομία fuit adpellata. Sin vero quis librum in partes plures diviſiſſet, id indicaturus verbo διαιρεῖν utebatur ***). PLATO mirabili ratione vires animæ effectrices trifariam

*) *Ibidem in c. 9. p. 6, lin. 23. 24.*

**) PLUTARCHUS *de Placitis philoſophorum IV, 4.*

***) DIOGENES LAERTIUS de *Platone L. III. p. 220. Genevae 1616. 8.*

fariam divisit easque agere gyros, in quibus lineæ quasi lineas intersecent seu dividant, *) docuit. Liceat progredi porro ad indicandum, quid per δίχα τεμνειν Geometræ intelligi voluerint. Pauca exempla sufficient huic indicio. Redire juvat ad ARCHIMEDEM. Hic meminit **) δίχα τμηθείσης αβγ περιφερείας κατὰ τὸ β, *æquas in partes divisæ peripheriæ a b c congruenter puncto b. Idem* postea ***) sic: τετμήθωσαν αἱ περιφέρειαι δίχα. *Dividantur peripheriæ in duas partes æquales.* Eamdem phrasin repetit in libro ἐπιπέδων ἰσορροπιῶν, c. 8. p. 108. ANTOCIUS eamdem sæpe adhibuit, commentatus ubi est in *Archimedem de Sphæra & Cylindro* L. I. pag. 3, & pag. 4. lin. 3, atque L. II, p. 11. lin. 28. Qui *Euclidis* ac Græcorum Geometrarum scripta versarunt, diligentia hac mea non indigent. Et, ne eam fastidiant, jure vereor omnino. Addere tamen liceat, de via, quæ sese in bivium dividit, usum fuisse PAUSANIAM L. VIII. verbo τέμνεσθαι δίχα. Nemini libet contendere, bivii utramque lineam fuisse æque longam, vel puncto illi, e quo bivium exstitit, ad utrumque latus omnino spatium longitudinis æqualis adjacuisse.

*) *Ibidem pag. 227.*

**) *De Sphaera I, 10. pag. 7.*

***) *In Libro* Κύκλα μέτρησις *I, 8. pag. 44.*

cuisse. Ergo, quod inde colligo, significatus verborum διχοτομεῖν & τέμνειν δίχα non ad solam divisionis in partes duas æquales notionem adstrinxerunt Græci. Addo hoc etiam, quod in scholis Logicorum, doctrinam de divisione specierum tradentium, *dichotomia* jam olim quamcunque *bipartitionem* designaverit. ARISTOTELEM juvat arcessere testem. Ipse L. I, c. 3. *de Partibus animalium* ita: "Ideo multis id, quod "unum, protinus differentiis dividendum "est, quemadmodum adfirmamus. Etenim sic quidem privationes ipsæ dabunt "differentiam, ἐν δὲ τῃ διχοτομίᾳ οὐ ποιήσουσιν, "*at in bipartitione non dabunt*, eo quod fieri non potest, ut singularium specierum "quicquam accipiamus, διαιρῶσι δίχα τὸ γένος, "*dum genus bipartimur*, quemadmodum "nonnulli posse fieri putarunt." Paullo post recurrit ibidem *dichotomia*, eo inducta sensu, ut divisionem logicam indicet, qua quid in duo quæcunque dividitur, e. g. animal in bipes & multipes. Meminisse juvat præterea Ethices *Epicuri*, quæ ut referunt veteres, de electione & devitatione, de faciendis & fugiendis, per *dichotomiam* erat scripta, & per epistolæ formam concinnata. Idem utilia & inutilia esse judicanda commensionibus, συμμετρήσεσι, censebat, siquidem jam tunc vocabula geometrica ad illustrandas

luſtrandas res morales erant tradućta. Nihil itaque inſulſitatis eis ineſt enuntiatis, quibus homini *cor duplex* *), *corda duo* **), & διψυχία ***) tribuuntur. Servi ipſi inter Ebræos ****) dividebantur in ſpecies duas. Emebant enim ipſi illos, vel qua bonos, vel qua malos. Si quos Ebræi emerant ſub bonitatis titulo eosque deprehendebant pravos poſtea, eos ex claſſe bonorum in claſſem ſeu partem malorum transferebant, eo quod eos deprehenderant non ex animo bonos, ſed ὀφθαλμοδούλους, perſonam alienam indutos, re vera autem malos. Ita in ſervis nonnullis ſpecies inerat duplex, una ficta, altera genuina. Non erat duplex ejusmodi animi ſtatus isque bipartitus Poëtis incognitus. OVIDIUS *de Remediis Amoris v.* 443 hæc habet:

"*Secta bipartito* cum *mens* diſcurrit utroque,
"Alterius vires ſubtrahit, alter amor.

En animi dichotomiam, quæ tamen, hanc indolem referens, nihil habebat certi ac deliberati, ſed dubio fluctuabatur deſiderio inter res amatas duas, quarum adliciebat altera

*) *Sir. I, 26.*
**) *1 Chron XII, 13. Tanchuma fol. 84, 4. ad Deut. XXVI, 17.*
***) *Jac. I, 8. IV, 8.*
****) *Schemoth rabba ſect. 43. fol. 138. 3.*

ra æque ac altera adridebat. Hanc animi dichotomiam, quam quis in se *) sentit ipse, in præsens omittimus, ad eam, quam quis in altero deprehendit, respicientes. Nemini amplius dubium erit, dari dichotomiam, qua cum dissectio hominis vel animalis, per medium, haud conjuncta est: ac unius hominis mentem dici posse *bipartito sectam* seu in duo divisam, *siquidem* dichotomia quamvis in partes duas divisionem olim inter Græcos denotavit. Hisce præmissis, nemini non est evidens atque compertissimum, sententiam Jesu de servo, servis aliis præfecto, hanc verbi vim esse non solum possibilem, sed rei etiam ipsi & orationis complexui ac scopo dicentis consentaneam: *Herus præfectum illum dividet in partes duas animi, quem animum is, quem servis ad reditum usque præposuerat, dederat effectui atque prodiderat; in partem hero ad placendum ingeniose attemperatam, & in partem ob male fidas negotii gestiones hero prorsus displicentem: atque partem ejus illam, quam actionibus perversis præfectus servorum demonstraverat prodideratque, in classem herus retulit posuitque, servis male fidis ac sese fideles simulantibus communem, qui verbera meruerant.* Cum interpretatione hac consonant vetustis-

simæ

*) De ea VIRGILIUS *Æn. IV*, 285. 630.

simæ metaphrases Latinæ & ipse interpres Syrus. *Divisionem* illæ designant; & hic *divisionem* *) per פלג æque indicat. Nam pars dimidia seu altera rei universæ pars Chaldæis seu Aramæis est פלג, quia est divisio in duo. *Dan.* VII, 25. Regnum *per duo divisum*, seu constans partim ex ferro, partim ex luto, adpellatur פליגא *Dan.* II, 41. Dissectionis proprio sensu acceptæ significatus huc prorsus haud quadrat. Animo tribui *divisionem in duo*, פַּלְגוּת, intelligitur ex *Targumistis* ad *Num.* XXXI, 36. *Gen.* XXII, 14. **) Notum est illud Targumistæ, 1 *Reg.* XVIII, 21: *Quam diu vos divisi estis in duas partes?* אֵימָתַי אַתּוּן פְּלִיגִין, Syrus ad *Rom.* XII, 3: *Cogitate sobrie unusquisque, sicut distribuit ei Deus,* כפלג לה אלהא, *fidei mensuram*, seu christianæ professionis partem, in officio certo constitutam. Quis sibi persuadere potest, hoc loco dissectionem corporis per medium in partes duas æquales significari? Samaritano in Pentateucho, & in Arabum libris trita est notio verbi פלג, فلج, *divisionem qualemcunque*

*) Confer. JOANNIS BUXTORFII *Lexicon Talmudicum col. 1732, s.*

**) Adde eos in *1 Reg. XVIII, 37. Ps. XLIV, 19.* BUXTORFIUS *l. c. col. 1733.*

cunque indicans, licet potior sit illa in duo divisio. Memorabile est illud *Luc.* XII, 13: *Dixit ad Jesum quidam ex ea turba, Doctor, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem*, דַּפְלֵג עִמִּי יוֹרְתוּתָא. Turba civitatis in partes duas *divisa* vocatur פליג. *Act.* XIV, 5. Alibi vero divisi qualitercunque vocantur a Syro *pligin*, e. g. tres dissentientes seu divisi adversus duos. *Luc.* XII, 52. Qui partem victimarum accipiebant, sacerdotes Ebræorum, ex sacrificiis, dicuntur *divisisse*, sc. partes carnium victimariarum *cum altari* exteriori, in quo carnes victimarum multæ cremabantur. 1 *Cor.* IX, 13. Divisio in partes æquales erat ab hoc instituto prorsus remota. Qui animo sunt divisi ac dubii, seu quorum mens bipartito secta est, dicuntur פליגי נפשא, *Jac.* I, 8. IV, 8. Omnino itaque potest unus alterum, herus servum, dividere, immo bipartiri, licet eum non dissecet vel medium secet in partes æquales. Dum enim ejus habet rationem, respiciens ad personam, quam servus suscepit agendam, ipse simul partem servi perpendit, jusso & promisso conformatam. Simulac vero herus considerat personam, quam servus pessime agit, hanc ab illa dividit. Si qua in divinioribus litteris difficiliora lectoribus occurrunt, ea sæpius per adjectam interpretationem enodantur. Si quid video,

in

in argumento, quod sub manibus est, adjicitur verbis *dividet ipsum* expositio ipsa per ea, quae sequuntur: *Et ponet* seu constituet *partem ejus cum infidis, qui herum simulando fallunt* probosque se fingunt, quum utique sunt mali & *malefidi.* Servum igitur improbum & infidum herus divisit a servo, fidelitatem promittente & praeferente. Divisit herus servum in duo, in partes ac personas duas; eamque partem constituit jussitque esse ratam, quam in scrutando, explorando & gesta expendendo occupatus detexerat ac extra omnem collocaverat excusationis objectionem vel dubitationem. *Pars illa* servi seu persona ejus illa fuit vitae actae ratio, quam miseria non poterat non subsequi. Graeci ita vocabulum μέρος, Latini *partem* & *partes* *) accipiunt. De reliquo non mirum est, in uno homine plures saepius esse personas seu vitae agendae rationes praecipuas. CICERONIS haec sunt. Ipse *de Officiis* I, 107. c. 29 docet, *duabus quasi nos a natura indutos esse personis.* Idem *Verr.* II, 108: *Vehementem & acrem personam, quam mihi tempus & respublica imposuit, jam voluntas ipsa & natura detraxit.* Constituere personam est phrasis QUINCTILIANI IV, 2.

Qui

*) CICERO *Offic. I, 97. c. 28. Idem pro Muraena c. 3.*

Qui conſtituit ſeu ponit partem perſonamve alicujus cum infidis atque ſimulatæ fidelitatis cultoribus, is eum adſcribit adnumeratque horum ſocietati. Diviſit itaque herus eum, geminamque in eo deprehendit perſonam, partes morales duas. Ita ſermonis poſtrema interpretantur priorum naturam. Animam ob adfectiones geminas, tum bonas tum pravas ipſi Philoſophi diviſerunt in partes. THEAGES *Pythagoræus* in *Libro de Virtutibus* *) ita ſcripſit: Τῶν τᾶς ψυχᾶς μερέων τὸ μὲν ἐντι ἀγήμονον, τὸ δὲ ἑπόμενον, *animi partium alia imperat, alia paret.* Idem paullo poſt partem animi, ratione carentem, memorat, eamque opponit alteri, quæ ſit rationis compos, λογικὴ. Eadem fere leguntur in METOPI **) *libro de Virtute.* Philoſophia divinior dividit animam in ſpiritum & carnem, tamquam partes duas, ex effectibus notitiam ſui aliis prodentes. Et quis negabit, dum *omnia*, CICERONE teſte ***), *in quædam genera ſunt partita*, animum ſimulatum & ſincerum eſſe dividuum ſeu dividi poſſe? Ne hæſitemus ad phraſin, qua dicitur

*) *Pag. 835. in calce* DIOGENIS LAERTII *de Vitis Philoſophorum.*

**) *Pag. 839.* ibi. Conf. THEAGES *de Virtutibus p. 847. 848.* CRITON *de Prudentia & felicitate p. 855. l. c.*

***) *De Univerſo 19. c. 7.*

citur herus posuisse partem servi simulatoris cum hypocritis, meminisse oportet verborum Jesu ad Petrum *Jo.* XIII, 8: *Nisi te lavem*, οὐκ ἔχεις μέρος μετ' ἐμοῦ, *non habes partem* societatis *mecum.* Illud in primis memorandum est, quod legitur *Apoc.* XX, 6-XXI, 8. In priori loco hæc habentur: *Beatus & sanctus* est ὁ ἔχων μέρος ἐν τῇ ἀναστάσει τῇ πρώτῃ, *qui habet partem* consortii *in resurrectione illa priori.* In posteriori hæc leguntur: *Timidis & infidis* - - dixit, τὸ μέρος αὐτῶν ἐν τῇ λίμνῃ τῇ καιομένῃ πυρὶ καὶ θείῳ, *pars illa* consortii *eorum* erit *in lacu, qui ardet igne ac sulphure.* *) Quale sit consortium & quænam communitatis vel præmia vel mercedes talionesve sint, id ex indole societatis ac consortii est colligendum. Ebræi vocabulo illi μέρος substituerunt suum *chelek.* Josua posuit seu definivit XII. tribubus partem singulis suam consortii in terra olim promissa; Levitis vero ejusmodi חלק *partem* non dedit *Deut.* X, 9. XII, 12. *Num.* XVIII, 20. *Jos.* XIV, 4. Syri autem, quoniam hoc vocabulo carent, *mnoto* suum illi substituerunt. Facit in primis ad scopum nostrum locus Pauli 2 *Cor.* VI, 15: Τὶς μερὶς χριστῷ μετὰ

*) SYRUS Interpres in tribus istis locis vocabulum *mnoto* substituit vocabulo μέρος.

τὰ ἀπίςε; *Quænam pars* consortii est *Christo cum infideli?* Sensus enim hujus sententiæ indicat, eum, qui genuinus est Christianus, in communitatem ac consortionem, puta conjugalem, cum homine Deorum fictorum cultore vel cultrice non consentire, sed eam consortionem seu consortii partem evitare. Pars igitur, quæ homini dicitur esse μετὰ ἀπίςε, est *commercium ac societas cum infideli*, non exclusis commercii illius fructibus connexis eisque vel jucundis vel molestis. SALOMO GLASSIUS igitur se non fefellit, significans, ejus partem dici positam cum infidis, cum simulatoribus, qui ab hero vel alio quocunque his adnumeretur, nec aliter, ac illi, tractandus veniat *). JACOBUS ELSNERUS **) e *Plutarcho* ***) & *Demosthene* ****) adtulit enuntiata, quæ hanc *Glassii* atque nostram interpretationem confirmant. *Alexandrinus* ipse priscus Interpres Græcus 2 *Par.* X, 16, eam sententiam communit. In hoc loco homines tribuum decem ita pronun-

*) *Grammatic. sacr. L. III. Tract. V. can 30. p. 499. edit. Philocaliae sacrae, ed. Amstel.*

**) *Observat. sacr. To. II. ad 2 Cor. VI, 15. p. 354.*

***) In *Mario p. 422.*

****) *Pro Corona p. 354.*

nuntiasse dicuntur: מה - לנו חלק בדוד, *quid nobis est partis*, consortii, *cum Davide?* Τίς ἡμῖν μερὶς ἐν Δαυὶδ καὶ κληρονομία ἐν υἱῷ Ιεσσαι; Eadem leguntur 1 *Reg.* XII, 16. Pars, quæ alicui per sortem obvenit, passim dicitur μερὶς & κλῆρος. *Jos.* XIV, 4. XIX, 9. 10. *Deut.* XII, 12. In ultimo loco hæc leguntur in LXX: Οὐκ ἔστιν αὐτῷ (Λευίτῃ) μερὶς οὐδὲ κλῆρος μεθ' ὑμῶν, *non est ei pars nec sors vobiscum.* Nolui hunc omittere locum, eo quod in eo memoratur *pars cum aliis*, quæ ad hereditariam quidem terræ in duodecim tribuum partes distributionem proxime spectat; attamen communitatem & consortium non excludit, quæ ex illa divisione profluebat & cum ea arctissimo vinculo erat copulata.

§. 12.

Memoratu dignum mihi id videtur, quod JOANNES JACOB. WETSTENIUS *) omnia ea loca ex b. GEORG. RAPHELIO **) & SCHELHORNIO, ac illum JOSEPHI *de Bell. Jud.* V, 13. §. 4. quem *Pacomius* seu ZELTNERUS, Altdorfinus, produxerat, huc haud facientem, cumulavit, quæ ad medii corporis dissectionem spectant, nec

*) Ad *Matth. XXIV*, 51 *p.* 50. *b. f.*

**) In *Adnotationibus in Sacram Scripturam p.* 326. *f. To. I. Lugd. B.* 1745. 8.

adtulit ullum locum, quo natura alius divisionis, per dichotomiam indicatæ, confirmatur. Videtur itaque se eorum partibus adgregasse, quibus supplicium dissecti per medium corporis adrisit. Quare non est, quod ad eum refellendum aliquid commentemur.

§. 13.

Id potius adjungemus, quod JACOBUS hominem nobis ostendit δίψυχον I, 8, IV, 8. duarum simul animi destinationum partiumque plenum. Syrus hunc vocat פרוג נפשא, *divisum animo.* Homo ejusmodi dicitur a VIRGILIO animum celerem nunc huc, nunc illuc dividere *Æn.* IV, 285, in partes agitare varias & per omnia versare IV, 630. Qui in duas se divisérunt partes, vocantur γιγνόμενοι δίχα *), agminibus duobus cum hoste congressuri. Sunt, quorum mens secta est bipartito, qui sunt δίψυχοι & διακρινόμενοι, bicordes, homines duplicis animi, qui incerti dubiique sunt in destinationibus suis, nescientes, quorsum se vertant **), ambigentes,

*) THUCYDIDES *I, 64. pag. 42. edit. Duckeri Amstel. 1731. fol.*

**) Qui dubitant de potentia & vi Numinis. *Constitut. Apost.* VII, 2. CLEMENS *ep. ad Corinthios* §. 11. JO. DAVID MICHAELIS, Vir Illustris. ad *Bensoni Paraphrasin in Epistolam Jacobi p. 55. Hal. Magdeb. 1746. 4.*

gentes, an Deus optatis eorum sit respon-surus, an hic desideriis ipsorum consulere possit vel velit *). Sunt, qui dilectionem suam, qua Deum colere videntur, Hunc inter & illecebras mundi dividunt, nondum eradicatis ex ipsorum animo amoribus, in aberrationes nimis propendentibus. *Jac.* IV, 8. His commendatur castitas animi, a fuco adulterino & simulata pietate prorsus disjuncta. Qui hanc *bipartito sectam mentem* dispicit, ac dividit, hypocrisin non potest non notare, a genuina fide & professione fidei sejunctam. Ita duæ quasi personæ, duæ mentes, in homine uno adparent: una fidelitatem promittens ac professa; altera fuco infecta & simulata, funditus prava minusque genuina. Jacobus igitur eis hominibus merito tribuit animos, qui aliud vultu verbisque præ se ferunt, aliud pectore habent clausum, atque abstrusum reconditumque tenent. Homines ejusmodi similes sunt moechis atque adulteris, & ob eam similitudinem Jacobus ipsos vocat μοιχὸς καὶ μοιχαλίδας, *moechos & adulteras.* IV, 4. Facillimum intellectu est, fuisse inter novitios Christianæ professionis cultores, quos pœnituerit, procella adflictionum a Judæis impendente, his sese renuntiasse &

*) HERMES *L. I. Vis. 3. §. 4.*

ab horum religioſiori conſortio diſceſſiſſe; alios vero diſſimulaſſe profeſſionem chriſtianam ad tempus & Judæos ſe finxiſſe. *Apoc.* III, 9. Chriſtiani hi videntur gravioribus urgentium Judæorum quæſtionibus propoſitis jurejurando interpoſito pronunciaſſe, ſe a Chriſtianorum partibus & profeſſione eſſe alienos: hac ratione inſectatoribus eorumque inſidiis ſe ſubtraxiſſe, & ita ſecuritati ſuæ commodisque conſuluiſſe. Ad hanc diſſimulationem Chriſtianis excutiendam, Jacobus videtur edixiſſe, nequis eorum juraret per Deum resque Deo ſacras, ſed ut potius ſinguli caverent, ne in hypocriſin vel ſub cenſuram caderent. V, 12. Cur metuendum eis erat, ne in ſimulatum Dei cultum inciderent, niſi jurejurando interpoſito ad exemplum labentis Petri profeſſionem Chriſtianæ religionis diſſimulare, quam calamitates inſectationum comites ſubire & cum his conflictari maluiſſent? Cur cavendum eis erat, ne per eum jurisjurandi uſum ſub cenſuram & diſquiſitionem maculæ admiſſæ caderent, niſi jusjurandum illud ad negandam publice religionis Chriſtianæ profeſſionem ipſi ex parte adhibuiſſent? Formulæ enim juramenti *per coelum*, *per terram*, per res Deo ſacras non ſolebant Judæis probari, ad tribunalia teſtimonium perhibentibus, vel firmantibus promiſſa. Ad

ſeve-

ſeverationibus inter colloquia & quæſtiones privatas eæ adhibebantur; a judiciis forenſibus erant alienæ. Hortatus fuit Jacobus lectores ad patientiam inſectationibus opponendam, antequam juramentum illud vetuit. Quum id vetuiſſet, ad mentionem rerum anxietatis plenarum redit & in his ad preces Deo offerendas confugiendum eſſe docet. Unde videtur colligi poſſe, adjurationibus Judæos fuiſſe uſos ad Chriſtianos explorandos, & horum nonnullos diſſimulaſſe conſortium diſciplinæ chriſtianæ. His illud potiſſime videtur fuiſſe præceptum: *Ne jurejurando utimini, inſectationibus expoſiti, nec adjurationibus cedite. Si interrogamini, an eſtis Chriſtiani? reſpondete, ſumus Chriſtiani; ſi quærit quis, an eſtis Judæi? tunc, vos eſſe Judæos, negate.* Omnis diſſimulatio hujusmodi ab Apoſtolo prohibetur. Additur ratio: *Ne in judicium incidatis*, ut eſt in verſione veteriſſima Latina cui conſonat Græcus codex Alexandrinus cum aliis codicibus Græcis, cum Syro, Coptico, Arabico & Æthiopico, interpretibus, qui in Græco legerunt ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε, *ne ſub judicium cadatis*, quod hoc loco non eſt abſolutionis, ſed potius improbationis & & damnationis. Siquid conjectando adſequi valeo, prima lectio fuit hæc: ἵνα μὴ εἰς ὑπόκρισιν καὶ ὑπὸ κρίσιν πέσητε. *Ita effugietis diſſimula-*

mulationem non admittendam, nec judicii divini humanique vos reos peragetis. Ne in hoc crimen incidatis, nolite sic jurare. Illud εἰς legit primus interpres Latinus. Alii ad ὑπὸ processerunt. Dantur codices Græci vetusti, qui habent εἰς ὑπόκρισιν πέσητε; sunt, qui habent ὑπὸ κρίσιν πέσητε. Videntur librarii primi putasse, non repetendum esse illud ὑπὸ κρισιν. Inde progenita fuit gemina lectio, ut mihi quidem videtur. Exempla hujus generis non desunt in aliis scriptis tum Latinis tum Græcis. Contextus orationis per hanc viam criticam vi sua & luce viget. Obex ita firmior dipsychis & timidis Christianis fuit oppositus, quibus præsidium in fiducia Deo per preces adfigenda, non in dissimulatione, erat collocandum. Dissimulationis illius artificio non solum Dei judicium repugnabat, sed inde etiam enasci poterant actiones, a Judæorum cœtu passim intendi solitæ dissimulatoribus, quos quasi ad tempus transfugas ad archisynagogarum judicia & censuram vocari mos ferebat tunc receptus. Judicent lectores, an Jacobus ipse lectionem, *ne sub judicium cadatis*, contextui inseruerit, alterum vero, scriptum relegens, in margine scripserit.

III.

III.

JOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII

VINDICIÆ ABRAHAMI,

QUIBUS REFELLUNTUR PROTERVE

IN EUM DICTA

AB AUCTORE LIBRI

DICTIONAIRE PHILOSOPHIQUE PORTATIF,

CUM MANTISSA

ADVERSUS CENSOREM BATAVUM

Y. v. H.

AD RES ABRAHAMI PERTINENTE.

Prodiit in lucem anno 1764 liber, plane ſingularibus argumentis refertus, cui index fuit præfixus, *Dictionaire Philoſophique Portatif par Mr. de* VOLTAIRE octopartitam præferens formam & 22 plagulis conſtans, *Londini*, ut Index ſignificat, typis publicis expreſſus. Sunt qui officinam, ex qua hoc ſcriptum exiit, Amſtelodami quærunt. Deprehenduntur in iſto libro, quæ religionem naturalem æque ac divinitus revelatam, ſcripta Diviniora ſeu Biblica, vir-

tutem moresque bonos labefactant, eisque passim injurias & bellum inferunt. Neminem facile fugit fors tristior, quam liber tam venenatus sibi contraxit. Publica enim auctoritate per manum carnificis combustus fuit *Parisiis*, *Genevæ* & *Hagæ Comitum*. Idem sensit fatum inter *Bernates* in Helvetia, ubi ad d. 31 Dec. 1764 flammis publice fuit exustus, ac venditori, emtori ac possessori ejusdem mulcta quinquaginta thalerorum, qui in Germania æquiparant sexaginta uncialibus argenteis, indicta. Excusatum se iviſſe FRANC. de VOLTAIRE ferunt, prætexentem suis conatis hoc velum, schedulas istas manu ludicra scriptas sibi fuisse a manu lucri avida ex promtuario clauso subductas & luci publicæ expositas ipso & ignaro & invito. Mira ludificatio! poterat ipse hisce libelli sui subjicere illud: *Nihil prorsus novimus per nos de fati nostri causis*. Poterat tamen illud addere *Non liquet*. *) Novit ipse jam causas combusti sui libelli. At addit huic notitiæ ignorantiam suam, manuscriptum sibi esse furto subtractum, dicens & per quem? Respondebit ipse: *Non liquet*.

§. 1.

*) Pag. 57.

§. 1.

Opuſculum, quo multa in medium proferuntur, quæ veritatem ac virtutem violant, primordia capit ab ABRAHAMO. de VOLTAIRIO id in Indice præmiſſo fuit adtributum, nec orthographia ejus gallica alium facile prodit auctorem, ſi ſcripturam ipſam ſeu ſtilum ſimul in cenſum retuleris. Auctorem inveſtigent alii diligentius; mihi libet nonnihil ſtricturarum ad vindicandam *Abrahami* dignitatem famamque illuſtrem cum lectoribus communicare. Intexam huic meæ commentationi præterea *reſponſionem* ad ea, quæ Y. *v.* H. in *in ſcripto quodam Batavico*, ad *Abrahami* geſta potiſſime referendo, adverſus me monere conatus fuit *). Verſantur enim hæc in pericopa *Geneſeos* quadam exponenda, ad *Abrahamum* adtinente. Acerbitatem Batavus loco ſalis & condimenti ſparſit paſſim per commentationis ſuæ pabula. Notavit eam ipſe *Editor* in monito, quod contextui ſubjunxit. Non ſum ille, qui ad Viri eruditi, pietatis velum vel nacti vel prætexentis, acerbitatem me ſentio commotum. Sedes enim mea ventoſos ſtrepitus haud patitur. Acerbitatem

*) *Nederlandſche Letter-Verluſtiging, P. II. p. 477.*

bitatem Autori volo reservatam, ne ipsi desit familiare condimentum, si quos porro alios dapatilibus suis velit nec aliter possit excipere. Meum enim non est, plenam odio perorare Dei causam. Dum ad vindicandum hujus honorem me accingo, ab eo mihi expeto animum, omni vacuum acerbitate & ab omni iniquitate remotum.

§. 2.

Lexicographus ita infit: *Abrahamus est unus horum hominum ac nominum celebrium intra Asiam Minorem & intra Arabiam, ut Thaut apud Ægyptios, Zoroastres primus intra Persiam, Hercules in Græcia, Orpheus in Thracia, Odinus inter nationes septemtrionales, pluresque alii famosissimi, qui potius per celebritatem suam, quam per historiam veritati conformatam certæque fidei superstructam, notitiam sui diffuderunt. Non loquor heic, nisi de historia duntaxat profana. Nam, quantum ad illam adtinet, tamquam ad historiam Judæorum, magistrorum nostrorum atque inimicorum, quibus fidem habemus & quos detestamur, ipsa ut hujus populi historia conspicuum in modum *) ab ipso Spiritu sancto scripta fuit, & nos de ea, prout debemus,*

*) A été visiblement écrite par le Saint-Esprit lui-même.

bemus, *omnino ſentimus*. Mallem, Autori viſum fuiſſet candide & argumentis ſolidis prudenterque cum eis agere, quos religioni erroribus innixæ addictos eſſe exiſtimavit. Alia enim ratione errores animis eximuntur, alia ratione *comici* excitantur *joci*, & ſpectatores lectoresque ad oblectamenta perſentienda flectuntur. Adſpectabili modo Spiritum Sanctum inſpiraſſe Viris ſanctis libros utriusque fœderis, nemo dixit, qui mente fuit ſana. Cur *Abrahamus* in Aſia Minori & Arabia potiſſime dicatur celebratus, rationem requiro. Norunt eum Orientales citerioris Aſiæ, Græci, Romani, Ægyptii, jam priſca ætate. Exſtant de eo vetuſtiſſima literarum monimenta, de quibus nec Judæi nec Chriſtiani umquam dubitarunt, quibus Servator Jeſus fidem eſſe habendam docuit. GROTII, HUETII, & aliorum *) ſcrinia quid opus eſt compilare, qui teſtimonia veterum ipſorumque auctorum exterorum de *Abrahamo* collegerunt? An unquam conſpiraſſent variarum ac diſſonarum gentium ſcriptores in celebritatem *Abrahami* propagandam, niſi ipſe olim vir fuiſſet eximius atque fama illuſtri digniſſimus? Ex Judæorum hiſtoricis monimentis ſi exteri ſua hau-

*) JOANN. FRANC. BUDDEUS in *Hiſt. eccl. V. T. P. I. Sect. 3. p. 251. ſ.*

hausissent, ipsi genuinas historias dedissent, & diligentius expositas de *Abrahamo* narrationes propagassent. Arabum testimonia, quæ, Meccam ab *Abrahamo* fuisse conditam, prodiderunt, *Lexicographus* ad manus non habuit, quippe quæ minus recte cum lectore succincteque satis communicavit. Templi Meccani, *Al-caabae*, reædificationem, non urbis Meccae initia, Arabes Abrahamo atque Ismaëli jam diu tribuerunt. De reliquo probabile est, filios nepotesque Abrahami in Arabia cepisse sedes. At de hoc argumento in præsens commentari haud est necessum.

§. 3.

Parum verosimilis Lexicographo videtur narratio, quæ dictitat, Abrahamum fuisse progenitorem duarum nationum oppido differentium, *Judæorum* & *Arabum*, per Isaacum & Ismaëlem. Videtur ipse ex ætatis novæ ingeniis ac indole judicium de hominibus verustissimorum sæculorum fecisse. Et quidni ipsi exempla sunt in promtu, de fratribus passim duobus, immo sæpius gemellis, desumta, qui indole & propensionibus prorsus disconvenerunt?

§. 4.

En gravius Auctoris judicium: *Tradunt, Abrahamum in Chaldæa fuisse natum, ipsum-*

ipſumque fuiſſe filium figuli inopis, qui ex icunculis idololatricis e luto factis victum peperit. Non eſt veroſimile, filium hujus figuli profectum fuiſſe in Arabiam *ad Meccam condendam, tercentum miliaribus a ſede ſua per deſerta ac invia loca diſtantem. Si ipſe fuit imperii quæſitor, ipſe procul dubio regionem Aſſyriæ præſtantiſſimam ſibi ſubigere conatus eſt; at ſi egenus ipſe fuit homo, quemadmodum is nobis depingitur, regna ipſa extra ſedes ſuas haud fundavit.* Quis ſibi perſuadere poteſt, *Tharam* iconibus fictilibus vitam toleraſſe? Commenta hæc ſunt Judæorum ultimæ noviſſimæque ætatis, a quibus Lexicographus ſeſe abſtinuiſſet, ſi cauſam veritatis perorare, quam oppugnare, maluiſſet. Abrahamum fuiſſe virum adprime clarum & admodum potentem, immo patrem ipſius haud fuiſſe auctoritatis minoris, Lexicographus facillime potuiſſet ſibi perſuadere, dummodo ad indolem vitæ patriarchalis nomadicam, ad Abrahami feminas, mancipia, arma, facta, reſpicere voluiſſet. Riſum ipſe lectori movet, dum, trecenta milliaria *Sedem Abrahami a Mecca* abfuiſſe, tradit. Ipſe enim ſcit cum ignariſſimis, ubinam ſedem habuerit Abrahamus primam. Sin vero credidit, Abrahamum tanto utique intervallo a loco, quem Mecca occupat, vixiſſe disjunctum, vicem ingenii ejus dolemus.

mus. Aramæa enim Naharaim seu Paddan, LXX. *Mesopotamia*, inter Jordanem & Jabocum, tanto intervallo haud abfuit ab urbis Meccæ loco.

§. 5.

Genesis prodit, Abrahamum fuisse septuaginta & quinque annos natum, quum exierit e regione Aram post patris sui Tharæ figuli mortem. At Genesis eadem tradit, Abrahamum a Thara genitum fuisse, nato annos septuaginta, ac postea vixisse ad annum ætatis ducentesimum quintum, atque Abrahamum non excessisse Aramæa regione, nisi post patris mortem. Ex hac computatione evidenter intelligitur, Abrahamum habuisse annos centum triginta quinque, quum e Mesopotamia demigraret. Hunc nodum Chronologicum frustra Lexicographus Genesi obmolitur, jam olim sæpius solutum ab eis, qui Genesin debita cum attentione expenderunt. Quis enim animum inducere potest ut credat, scriptorem, rationis haud impotem, in rebus vulgatissimis ac quotidie obviis sibi intra breve enuntiatorum intervallum contradicturum fuisse? An significare voluit tres fratres anno eodem fuisse natos? En scriptoris verba ex *Gen.* XI, 26. *Tharah septuaginta annos natus erat: & genuit Abram, Nahor & Haran.* En alia ejusdem ex c. XI, 32: *Tharah*

Tharah natus erat annos 205, & moriebatur in Haran. Illico pergit Moſes XII, 1: *Ad hæc dixit Deus ad Abramum, Exi tibi ex terra tua & ex patria tua & ex domo patris tui ad regionem illam, quam tibi monſtrabo*, indicabo. Memorat idem porro hæc *v.* 4. *Ac abiit Abram, quemadmodum dixerat ad eum Deus -- Erat autem natus annos LXXV, quum egrederetur ex Haran.* Verba illa *Gen.* XII, 1, referenda ſunt ad tempus, quo Abram adhuc in Ur Caſchdim habebat ſedem, ideoque per plusquam perfectum ſunt in latinum convertenda. Id ipſum confirmatur *Act.* VII, 2. 3. 4. Juſſum enim illud Dei Abramo contigit, promiſſione comitatum, in patria ejus & in domicilio patris ſui, ibidem ſito. Morem Moſis reſpicere debemus in Chronologia. Ipſe de Noacho hæc tradit X, 32: *Vixit Noah, natus quingentos annos, & genuit Noah Schemum, Chamum & Japhetum.* An uno anno ex uxore eadem genuit tres filios? Indicatur tempus, quo Noah cœpit filios ex uxore procreare atque ſuſcipere. Adde, quod *Japhetus* erat *primum* genitus, ac Schemo natu prior, quemadmodum intelligitur ex *Gen.* X, 21, & ex eo, quod Schemus Arphaxadum genuit biennio*) poſt diluvium, quum annos

*) Biennium hoc in duodecim annos convertit

annos natus esset centum. *Gen.* XI, 10. Natus itaque fuit Schemus anno Noæ quingentesimo secundo, & Japhetus anno Noæ quingentesimo, congruenter Chronologiæ Mosis hebrææ. *Schemus* igitur passim præmissus fuit Japheto ob prærogativam, siquidem ex eo originem traxit Abram & gens Hebræa. Eadem ratione antefertur Abram *Gen.* XI, 26. *Nahori* & *Harano*. Ad Abramum enim Hebræi originem gentis suæ deducebant. Facillimum igitur est intellectu, Tharam anno ætatis suæ septuagesimo cœpisse procreare filium, Abrami fratrem; Abramum vero natum fuisse anno mundi 2008, quum Thara annum ætatis haberet centesimum atque tricesimum. Finge tamen, in libris Mosaicis ab uno alterove librario

Josephus *Ant.* I, 6. §. 5, & refert ibidem, a Thara septuagenario genitum fuisse Abramum. *Idem* docet, Abramum ob Chaldæos in ipsum seditionem agitantes e Mesopotamia excessisse. *I.* 7, §. 1. Nicolaum *Damascenum* non repudiat, qui, Abramum fuisse Damasci Regem, retulerat. §. 2. Quod Abramus per ecstasin sensit, *Gen.* XV, id ipse revera foris gestum putat. *I*, 10. §. 3. De Loti femina hujusqne fato ultimo videtur improbabilia tradidisse. *I.* 11. §. 4. Terram Moriah vertit in *Morion* montem. *I*, 13. §. 1. Omitto alia.

brario inter numerorum deſcriptionem næ-vum fuiſſe admiſſum; num propter ea fides ſcripti Moſaici omnem amitteret fidem?

§. 6.

Perſequitur tramitem ſuum *Lexicographus* hoc maxime modo: *Abram ivit ex terra idololatrica in aliam terram, commentitiæ religioni addictam, dictam Sichem in Palæſtina.* Vereor, ne ipſe Lexicographus commentis indulgeat ſuis, dum Tharam convertit in fabricatorem idolorum, auctores recentes & fidei in hiſce nullius ſequens. Leguntur ejusmodi commenta in Judæorum libris, tum in *Schalſchebeth hakkabalah* p. 8, tum in *Sepher hajiaſchar* p. 24, b, alibique. Tharam initio coluiſſe Deos alienos, notum eſt ex *Joſ.* XXIV, 2. At quis certis nos edocebit rationibus, imagines fictiles ea ætate jam fuiſſe religioſe tractatas? Aſtrolatriam fuiſſe cultus religioſi admodum priſci ejusque commentitii partem, ex ſcriptis vetuſtiſſimis inter omnes conſtat. Judæos, Patres nonnullos, *Suidam*, *Georgium Syncellum* impertiiſſe Tharæ elaborationem idolorum, novimus. At argumenta, cur ita ſit ſentiendum, video adferri nulla. Quum Abram Deo obſequeretur ac ipſe pater Tharah adprobaret conſilium emigrandi re ipſa, uterque jam vero ſummoque Deo venera-

tionem ſuam conſecraverat. Exiit igitur uterque ex regione, quum animus ac indoles ipſorum murata jam prorſus eſſet. Aramæam ejusque locum Haran idololatriæ ſtuduiſſe, exploratum non habemus. Iſaaci ſæculo Aramæa Bataneenſis habebat certe homines, unius Dei cultum amplexatos. Abram, ex ea regione diſcedens, ibi reliquerat conſanguineorum gentem, veri ac unius Dei veneratione imbutam. *Gen.* XXIV, 3. 4. 15. Quantum vero fuerit idololatriæ ſtudium inter incolas Aulonis *) Moreh, quum Abram ad eos ſedem movit, difficillimum eſt definitu. An vocabulum *Sichem Gen.* XII, 6. indicet regionem, alii disquirant. *Locum* deſignari, video. Nil præterea mihi adparet. Locus & regio non deſignant rem unam.

§. 7.

Pergit Lexicographus p. 3. hunc in modum: *Cur Abram in regionem Sichem demigravit? Cur deſerebat fecundas Euphratis oras, præferens ei regionem tam disjunctam, tam ſterilem & ſaxoſam, quæ eſt ad Sichem? Lingua Chaldæa fuerit a Sichemitica admodum diverſa neceſſum eſt. Tractus hic terrarum*

*) HADR. RELANDUS in *Palaeſtina I*, 55. p. 364. *Sotah. VII.* 5.

rum commercio erat ineptus. Sichem a Chaldæa distat plusquam milliaribus centum. Hinc in illum tractum iter fiat per deserta oportet. Verum enim vero Deus eum id itineris facere voluerat. Hic ei ostensurus erat terram, quam seri ex ipso nepotes post multa ab ipso sæcula occupare debebant. Mens humana rationes itineris ejusmodi ægre comprehendit. Miramur Lexicographi enuntiata, qui id ipsum reputat pro certo, quod aliis rerum diligentissimis investigatoribus est perquam incertum. Tractum Sichemiticum non fuisse commerciorum tunc sedem, Lexicographus, magna ingenii fiducia usus, contendit. Abramum commerciis studuisse, arbitratur. Intervallum inter Sichem & Chaldæam in promtu habet, ratus, eam ibi fuisse Abrami ætate, ubi Nebucadnezaris ævo fuit. *Chalybones, Chaldi* seu *Chaldæi* olim sedes habuerunt *) in australi littore ad oram ponti Euxini versus Orientem. Inde magna eorum pars ad Euphratem versus meridiem secessit erga plagam, Occidenti obversam. Nonnulli eorum & Chalybona & Chalybonitidem tenuerunt. Alii Euphratem, versus ejus ostia, sunt secuti. Utinam

*) STRABO *L. XII. p. 826. Amst. 1707, fol.* STEPHANUS BYZANTINUS *de urbibus & Populis p. 750. Lugd. B. 1694. fol.*

hujus diverſæ migrationis tempora nobis eſſent expedita, quorum ignoratio Geographos in miram conjecit conjecturarum varietatem, quæ ex FRID. SPANHEMII *Geographia ſacra* *) patet. Abrami patriam fuiſſe ad Euphratem, quis ſacramento contendet? Fruſtra igitur eſt Lexicographus, ratus, Abramum ex fertiliſſimis ad Euphratem oris demigraſſe. Irritam impendit operam dimetiendo ſpatio, quod Sichemum inter & locum Ur Caſchdim fuit. Fruſtra de intercapedine laborat per deſerta. An Babylonii per Arabiam deſertam iter fecerunt in Palæſtinam? Adſcenderunt ei per oram Euphratis ad intervallum ſatis magnum, inde in Syriam, & hinc a ſeptemtrionibus ingreſſi ſunt in Palæſtinam. Juſſu Dei profectus fuit Abram in Aramæam, a Paddan ſeu Batani, Baranea, Baſan, dictam, ac porro abiit in mediam Cananæam, in Ægyptum, in terram Philiſtæorum, ac tandem rurſus in Cananæam. Ob ſolam de Cananæa per poſteros occupanda promiſſionem obtinendam ab Abramo tot & tanta itinera fuiſſe facta & exantlata, nemo dixerit. Adſectatus eſt Abram morem vivendi, priſco ævo Nomadibus conſuetum, quibus paſcua & loca extra

*) *Introduct. ad Geographiam ſacram pag. 11. ſ. Lugd. B. 1679. 8.*

extra urbes pleraque, exceptis puteis ac sepulcris, erant communia. Genuinæ religioni servandæ ac restituendæ Abramum Deus addixerat, ac in laborum præmia ac in pietatis propagandæ monimentum promittebat posteris ejus terram Cananæam, quæ olim, opinor, Noah adhuc vivente, Semidis vel eorum posteris nonnullis, in peculium fuerat adsignata. *Deut.* XXXII, 8. *) Ad Sichemum licentiam commerciis denegatam fuisse & sedem, mihi persuadere non possunt ei, qui neglexerunt ea, quæ leguntur *Gen.* XXIII, 9. 15. 16. & quæ ad Sichem seu Mamre, Mamortham, fuerunt gesta. Nomades utique, gregum & armentorum divites, ubicunque sedes & tentoria detegerant, commercia pecorum exercebant. Nonne Abram mancipia sibi solebat emere? *Gen.* XII, 5. An, fame urgente, vel usu invitante nulla eorum venum dedit? Nonne ditissimus ipse erat auro, argento & pecu? *Gen.* XIII, 2.

§. 2.

Lexicographus Abramum ducit Sichemo Memphim, leviter ac breviter sese expediturus. En eum differentem satis perfunctorie: *Vix Abram advenit in exiguum*

*) Plura dedi in *Amoso propheta exposito p. 234.*

montanum Sichemi tractum, quum fames ei inde imperavit discessum. Progreditur cum uxore sua in Ægyptum, quæsiturus ea, quæ ad vitam faciebant exigendam. Ducentis milliaribus Sichem distat a Memphi. Fierine potest, ut aliquis frumentum expetat ex loco sic longinquo & in regione, cujus linguam ignorat? En itinera peregre abeuntis & ætatem 140 annorum fere adtingentis. Noli credere, *Lector*, Lexicographo Gallo fuisse notitiam sermonis, qui tunc in patria Abrami, in Aramæa ad Sichem in Cananæa & in Ægypto circa id ævum fuit vulgaris ac tritus. Quo enim ætas patriarchalis Noacho fuit propior ac vicinior, eo magis fuit sermo orientalium ac incolarum Ægypti a seriori differentia multiplici alienus. Lingua Chaldæorum ac Syrorum a Cananæa olim parum fuit diversa, ac Cananæa utique ea est, quam Abramus ad posteros transmisit. Nomina urbium Ægypti antiquissima radices ostentant, quibus sermo hebræus constat. Et quis est, quem fugit, populos commercia posse invicem exercere, quibus non est concordia sermonis? Russi nuper insulas duas ad Orientis oram detexerunt, quarum licet linguam haud intelligerent, commercia tamen non neglexerunt. Hannonis Periplum & Americæ olim detectæ commercia cum Hispanis legere omiserunt, qui cum Lexicographo

cographo idem sentiunt. In ora inferiori ad Orientem Ægyptiaca olim erat urbs *Mazor*, primum regni caput, cui Saracenorum irruptio *) munimentum ac nomen tandem detraxit. An Memphis jam Abrami ætate viguerit regnique fuerit sedes, disquirant alii. Mihi certe id nemo poterit persuadere. Mosis ævo Rex Ægypti sedem habebat *Tani* seu in Tzoan. Abramum fuisse circiter annos centum ac quadraginta natum, quum in Ægyptum, ut famem averruncaret a suis, secederet, Lexicographus falso autumavit. Nam Abram, in Cananæam proficiscens, annos habebat 75. *Gen.* XII, 4. Dudum vero Abramus ex Ægypto redierat in Philistæam ac porro in Cananæam, quum Hagar ipsi, 86 annos nato, pareret Ismaëlem *Gen.* XVI, 16. Doleo vicem tuam, Lexicographe!

§. 9.

Idem ita pergit: *Abram ducit uxorem suam in urbem Memphin, quæ uxor erat eximiæ pulchritudinis & pæne infans, si cum marito compararetur. Nam ipsa erat ad minimum annos sexaginta quinque nata.* Distantiam locorum, quam vir comice ingeniosus

*) ABULPHARAGIUS *Dynast. IX, p. 178.* ELMACINUS *Hist. Saracen. L. I. p. 28. s.*

Sichemum inter & Ægypti urbem incertam posuit, non possum quin habeam pro incerta. Certum tamen est, ipsum in ea, quam definivit, Saræ ætate illa, propter calculum suum antea significatum utique admodum se fefelliſſe. Tradiderat enim paullo ante, Abramum habuiſſe annos centum triginta quinque, quum ex Mesopotamia emigraret. Sara vero erat annos nonaginta jam nata, quum Abram exegiſſet annos centum. *Gen.* XVII, 17. Quid inde est colligendum? Nihil inde consequitur aliud, nisi hoc, Saram habuiſſe jam annos 125, quum Abram ex Mesopotamia demigraret. Si dixerit Lexicographus, sese hos annos computaſſe ex Geneseos calculo XI, 26, quem haud digeſſit recte; tunc ipsi respondemus, ipsum evertiſſe objectionis suæ robur, quum annum Abrahami septuagesimum quintum comparavit cum Saræ anno sexagesimo quinto.

§. 10.

Redimus ad Lexicographi differentis verba: *Quum Sarah esset formosa, Abram statuit inde sibi consulere, dicens ad illam: Simula te sororem meam, ut mihi propter te nequid accidat mali, sed ut potius inde in me benignius consulatur.* (Gen. XII, 13. *Ipsius fuisset potius ad Saram dicere: Finge, te filiam*

liam meam esse. Rex amore in Saram juvenem ferebatur, & fratri ficto dabat copiam ac multitudinem ovium, boum, asinorum, asinarum, camelorum, famulorum, servarum, quod ipsum indicio est, Ægyptum jam ex eo tempore fuisse regnum oppido potens & prudenter conformatum, & consuetudinem ibi viguisse, magnificam referendi eis gratiam, qui sorores suas Regibus Memphis oblatum ibant. Frigida subsannatio! Scopæ dissolutæ! Fictione nulla opus erat Abramo & Saræ. Abram veritatis erat studiosus. Saram fuisse ejus sororem germanam, habemus omnino compertum. *Gen.* XX, 12. Sarah veritati inhæsit, licet id tacuerit, se Abrami esse uxorem. Erat prisca ætate in more Regum Ægypti positum, ut in peregrinos, Ægyptum ingressos, graviter consulerent, ipsosque necari jussissent, impedituri ita, ne summa rerum turbaretur, quam, si Manethon tradidit vera, dynastia pastorum ab oriente ingressorum misere adflictaverat. Ægyptios priscæ ætatis non abstinuisse a nece peregrinis inferenda, qui colore Typhonis fuerint insignes, auctores sunt DIODORUS SICULUS & PLUTARCHUS *). Ex *Manethone* PORPHYRIUS *de Abstinentia* L. II,

*) JO. MARSHAMUS in *Canone Chronico sec. V. p. 79. s. ed. Ltps. 1676. 4.*

II, §. 55, quem locum quoque dedit EUSEBIUS *Præp. Evang.* IV, 16, hæc retulit: *Amosis consuetudinem occidendorum hominum sustulit in Heliopoli urbe Ægypti, - - Sacrificabantur Junoni,* τῇ Ηρᾳ. *- - Mactabantur tres, diebus singulis. Plutarchus* ex eodem *Manethone* hæc habet in Libro *de Isi. de & Osiride: In urbe Idithyæ* (Ilethyiæ) *homines combusserunt vivos, Typhonios eos adpellantes, & cinerem eorum ventilando dissiparunt atque aboleverunt: quod palam factum est, & - - diebus Canicularibus.* Post Amosis quoque ætatem monimenta hujus crudelitatis superfuerunt. Nam, teste *Plutarcho* ibidem, in sculptura sigilli, quod sacerdotes bubus immolandis impressérunt, expressus erat homo in genua desidens, manibus post tergum deductis, cujus collo imminebat ensis. Verebatur Abram, Ægyptum ingrediens, ne Ægyptii in ipsum vim & cædem *) exercerent, tum ob morem receptum ibi, tum ob uxorem pulcherrimam, Regi fortasse tradendam. Regibus enim optima in suo genere erant offerenda, & Abram, itineribus ac vita nomadica usus & in aëre fervidiori versatus, non poterat non contraxisse colorem vultus Typhonium seu rufum. Tempore illo, quo Abram in Ægyptum

*) *Gen. XII, 12.*

ptum ad famem evitandam peregre abiit, quatuor in Ægypto erant regna, Thebanum, Thaniticum, Memphiticum, & unum inferioris Ægypti, quæ erat fecundiſſima & Heliopolin ſæpius habebat caput. Ad tempora recentiora reſpexit Lexicographus, quibus unus omni Ægypto Rex imperabat, quum Abramum, uxore comitatum, Memphin ad Regem perduxit. Reſpexit idem ad regiones & ætates recentiſſimas, quum ſibi non potuit perſuadere, Saram fere ſeptuagenariam pulchritudine ſingulari excelluiſſe. Si tantum temporis indulſiſſet legendis veterum ſcriptis ac recentiorum itineribus, quantum comicis fictionibus impartivit, nulla ipſum heic remora diſtineret, nulla abſterreret difficultas. At ipſe in meridie cæcutire ſtudet, dum, Ægypto tunc fuiſſe copiam pecudum & armentorum, atque mancipiorum, videtur negare. Temporis Abramici homines omnino, maximas ſuas divitias in multitudine pecoris eſſe ſitas, exiſtimabant. Docuit Moſes lectorem multiplices calamitates, quibus Abram fuit tentatus, expurgatus, & ad fiduciam in ſolo Deo collocandam perductus: nec ea Moſes dicere omiſit, quæ ab ingeniis dubiæ ſanitatis extra rei geſtæ complexum queunt ſannis perfundi atque ad comica perverſarum mentium oblectamenta inflecti. Tanta fide eminet & excellit Moſes. §. 11.

§. 11.

En Lexicographum ita pergentem: *La jeune Sara avait quatre vingt dix ans ſelon l'ecriture, Sara juvenis nata erat, auctore codice ſacro, nonaginta annos, quum Deus ipſi promitteret, fore, ut Abraham, qui annos habebat tunc centum & ſexaginta, infantem ex ea intra annum ſuſciperet.* Quantum negligentiæ vel erroris! Sarah erat natu minor ætate annis decem. *Gen.* XVII, 17. Si igitur ipſa tunc habebat annos nonaginta, Abrahamus erat centum annos natus. Poſterius hoc luculenter traditur XXI, 5. Si Deum veneramur, naturæ vires & conſervantem, &, dummodo voluerit, ſuperantem, nec non temporis priſci ac exemplorum extraordinariorum rationem habemus, nihil ineſt commemorationi huic de nato Iſaaco, quod fidem omnem excedit. Sara tamen Iſaacum peperit anno nonageſimo. Promiſſio igitur in eumdem annum nondum cecidiſſe videtur.

§. 12.

Irriſor tandem hæc p. 4. ſubdit: *Abrahamus, cui libebat in deſerta Kadeſæ horrenda proficiſci, iter faciebat cum gravida uxore, ſemper juvencula & numquam non formoſa. Rex quidam in his deſertis agens, ſe continere non potuit, quin in Saram amorem ſibi per-*

permitteret, quemadmodum Rex ipsum Ægypti præiverat. Pater credentium denuo idem mendacium, ac in Ægypto, usurpavit. Uxorem dixit sororem suam esse, atque iterum ex hoc negotio oves, boves, servos servasque adquisivit. Dici potest, Abrahamum evasisse opulentissimum uxoris causa. Commentatores prodigiosam voluminum molem scripserunt, ut actionum Abrahami rationem ac modum nec non Chronologiam extricent & defendant. Lectores igitur ad hos commentarios sunt delegandi. Hi omnes compositi sunt per ingenia subtilia & amœna, per metaphysicos excellentes, per homines ab anticipatis opinionibus liberos & immunes, nec omnino ab indole sæculi domina abhorrentes (& point du tout pédants). En vituperii exemplum per laudis larvam! An comicarum imaginationum magistri in legendis interpretum biblicorum commentariis tempus consumunt? An Lexicographus omnes in Mosen commentarios vidit? an eos evolvit? an eos perlegit? an de eis judicium ferre valet? an sermonem hebræum didicit & debitam ei diligentiam impendit? an indolem prisci orbis perspexit? an scripta huc referenda consuluit? Ipsum in computatione ætatis Abrami nequidem tirunculum se præstitisse, intellexi-mus. Geographiam priscam certe nec tractavit nec callet. In vetustissimi ævi historia

est

eſt infans. Loca ad Kadeſam meridionalem ſita putat olim fuiſſe deſerta & horrenda. Cognoverat enim, Abrahamum ſedem tranſtuliſſe Geraram, inter Kadeſch & Schur ſitam. *Gen.* XX, 1. Geraram & campos nonnullos circumjacientes tunc tenuit Rex Abimelech tantus, quantos illa ætas ferebat, & quales Alexander Magnus Aradi, Sidone & Tyri, atque Joſua intra Cananæam deprehendebant. Id non eſt mirum, ſi loca per ſeſe ſterilia per hominum induſtriam induunt fecunditatem, & opulentiam potentiorem adquirunt. Terras Marchionatus Brandeburgici, Belgii fœderati, ac non paucarum Americæ & Africæ regionum, Lexicographum oportuiſſet meminiſſe. Debuiſſet ſibi in memoriam revocare terras, quæ per nimium potentiæ Monarcharum uſum opibus incolisque fuerunt orbatæ: quæ per inertiam vel ob vires incolarum exhauſtas invalidasque, vel per cauſas phyſicas externas & internas, in miſerias & ſterilitatem prolapſæ ſunt. Exemplum præbet Ægyptus ſæculi noſtri, quæ, niſi induſtria intercedat, haud multis poſt ſæculis erit admodum infecunda. Adde quod ventus Sammiel arva arando commota, ſimulac diligentia incolarum remittit vel ceſſat, in Arabia, Palæſtina, & Arabia alibique in pulverem vertit ac nonniſi petras, ſaxa & cotes relinquit. Erant olim

Reges

Reges Caſiotidis, Idumææ, Philiſtæorum, Moabitarum, Ammonitarum, Saracenorum, Nabatæorum, aliique ſatis eximii, qui hominibus non paucis præerant, qui belligerabant, qui ſe in latrocinia effundebant. Terra ſeu ſolum telluris ſupereſt in locis illis, quæ quondam ſuos habebant regulos regesve. At quid præterea admodum? Saram fuiſſe gravidam, quum Abrahamus ſecederet Geraram, nuspiam traditur. In Geraræ tamen tractu eam factam fuiſſe gravidam, docemur *Gen.* XXI, 2, ſi certum eſt, caput XXI. ibi primo tempore ea ſecutum fuiſſe, quæ leguntur capite XX. Nonaginta tunc annos nata erat Sarah, quum naſceretur ex ea Iſaacus. De reliquo Moſes non memoravit, Saram fuiſſe tunc perpulchram, ideoque Abimelecho Geraræ placuiſſe. Paullo poſt ad hanc cauſam adjicere plura libet. Saram Abrahamus perhibuit ſuam eſſe ſororem ex vero, non falſiloquio aut mendacio uſus. Quam vellem Lexicographus non conjunxiſſet mentionem de patre credentium cum divitiis, per mendacium & uxorem Regibus ad concubitum traditam adquiſitis! Per latus enim ita inſultavit Paulo Apoſtolo ac omnium Chriſtianorum doctrinæ. Nonne ſic Abrahamum convertit in lenonem? Suſpicere debebat ingenuam Moſis de rebus Abrahami commemorationem, nec tamen ei commen-

ta ſua ludibunda adjungere. Per ſtilum comicum & falſas narrationes religio Chriſtiana quidem nil præſtantiæ amittit; at irriſor comicus tamen inde amittit multum. Solidæ enim & ad ſeveram veritatem erectæ mentes irriſorem abhorrent ejusmodi & res ſuas eum ſibi habere jubent. Irriſor præterea talis in ſocietatem civilem peccat, quæ per argumenta Bibliis ſuperſtructa ad tranquillitatem, diligentiam, pietatem in magiſtratus, in patriam, in ſenes & in parentes conformatur, & a perjuriis neglectuque jurisjurandi deterretur, quod ipſum Autor alibi docet magiſtratibus ſummis eſſe ſalubre & neceſſarium adjumentum ac præſidium ſummi faciendum. Potuiſſem ſuis ſalibus perfricare Autorem. At nolui ipſum imitari, ne juſtam Dei in me provocem vindictam, neu ipſum a religione ſancte habenda & ab inveſtigatione reverenter cognoſcendæ veritatis ſuſcipienda videar removere. Deus ipſum ad ſeriam ſalutis ſuæ curam & impetrandam peccatorum remiſſionem excitet & accendat.

§. 13.

Haud occulte prodidit Lexicographus id ſententiæ prodigium, Abrahamo libuiſſe prolem Saræ ex Abimelecho ſibi quærere, nec abeſſe ſuſpicionem, Iſaacum ab hoc fuiſſe

isse procreatum. Id, si minus illam prodere studuit suspicionem, significavit, Abrahamum ex uxore libidini Regum tradita sibi comparasse opes, quæ lenonum solet esse consuetudo. Injurius admodum ipse est in Abrahamum, si arbitratur, hunc nequidem veritum esse uxorem gravidam libidini Regis offerre, qui more inter Orientales tunc tritissimo, nec dum abrogato, feminis multis in gyneceum adscitis gyneconitida suam ac majestatis qualemcunque splendorem ornare & amplificare studuerit. Videntur Reges tunc temporis id juris usurpasse, ut advenarum uxores spectarent, & eas, si sibi placerent, vindicare, advenas vero rapinæ illi obluctantes vel expellere vel trucidare clanculum, ac in eorum opes involare solerent. Morem istum ubique nondum intercidisse, itinerum descriptores memoriæ litteris prodiderunt. Eam ob causam Abrahamus videtur significasse, Saram esse suam sororem. At cur non dixit, eam esse gravidam? Lexicographi fuisset, hunc solvere nodum. Mihi haud difficile est eum expedire, si credo, iter illud Abrahami ad Geraram fuisse olim reditioni Patriarchæ ex Ægypto proxime subjectum, uti capita XVII, XVIII-XXI. libri Judicum non exhibent gesta post Simsonis mortem, sed interponenda sunt rebus capitis tertii. JAC. USSERIUS,

SERIUS, JO. FRANC. BUDDEUS, ABRAH. CALOVIUS alique interpretes ea, quæ capitibus istis enarrantur, collocant in tempus, quo Josua & Seniores populi Israëlitici e vita excesserant & anarchia subsecuta salutem populi turbabat. Josephus fere eamdem secutus fuit opinionem.

§. 14.

In libris olim descriptis ex voluminibus membranaceis, ordo Chronologicus, haud ubique fuit conservatus, qui in serie membranarum primæ scriptionis fuerat conservatus, nisi notæ essent in contextu orationis, quæ aberrationem omnem impediebant. Qui Grabianam LXX. versionem in Jeremiæ scriptis inde ab initio capitis XXVI. cum ordine capitum & rerum Codicis hebræi conferunt, fide oculata, muniuntur, nec dubitant, columnas seu volumina membranarum a librariis non ubique congruenter ordini primorum scriptorum fuisse tractata & descripta. Mutationem hanc nolim improbitati librariorum tribuere, quippe qui id, quod descripserunt, diligentia omni adhibita de scriptum, quoad ejus fieri per ipsos poterat, aliis tradiderunt. In Prophetis majoribus seu eorum scriptis Psalmisque ipsis ordinem Chronologicum ab eis, qui volumina illa colligebant, diligenter fuisse servatum negat

gat

gat ATHANASIUS *) haud secus ac EUSEBIUS **). Et quid de *Matthæi* capitibus XII & XIII. facies, nisi ea olim collocata ante IX, 28, arbitraris? Hoc si feceris, ordo gestorum per Matthæum scriptus adposite convenit cum serie rerum, quas Marcus & Lucas enarrarunt. Utrum credis ordinem Spiritu sancto digniorem?

§. 15.

An verbo Dei, in litteras relato, aliquid hinc decedit vel demitur, si dixero cum Patribus, *Eusebio* & *Athanasio*, cum *Usserio* & *Buddeo*, Psalmos & pericopas majorum prophetarum non ubique sequi ordinem chronologicum? Si contendero, descriptores seu librarios olim volumina ea non ubique eo ordine collocasse, quo a primis scriptoribus fuerant exarata? An desunt ejusmodi exempla luculentissima? An ideo vim verbo Dei demimus? An enuntiatum ullum e sacris litteris abjicimus vel minoris facimus, si librariorum imbecillitatem deprehendimus & gesta in justum redigimus temporis complexum? Nemo, opinor, sic sentiet, nisi cognitionem fundi theologici

*) In *Argumento ad Psalmos* p. 70.

**) In *Amoso propheta* per me *exposito* p. 54.

ὁ κατ' ἐπίγνωσιν sectetur vel contentioso stilo laureolam in mustaceo quærat.

§. 16.

Significaveram in *Bibliotheca Nova Bremensi* *), Abrahamum, ex Ægypto revertentem, Geraram ad Regem Abimelech Philistæum se cum uxore & suis contulisse, idque enarratum esse *Gen.* XX, 1-18. XXI, 21-34, & ratione ordinis chronologici collocandum videri ante *Gen.* XIII, 3. Rationes cur sic senserim, concise & strictim loco indicato communicavi cum eis, quibus istas ponderare, adprobare vel repudiare libet. Edicta prætoris ad hoc eruditionis genus haud spectant. Locum *Mamre* fuisse PLINII *Mamortham* **) & JOSEPHI *Mabartham* ***), argumentis sat solidis tradidit HADR. RELANDUS, in *Dissertationibus* suis *Miscellaneis*, exercitatione peculiari, P. I. p. 141, ex qua perparum delibavit in *Palæstina* p. 1004. Situm loci *Mamre* fuisse prope *aulona* inde dictum, seu obvium fuisse juxta sinuosam inter montes convallem, significavi, quum de pericopa *Gen.* XX, 1-18. XXI, 21-34. commentatus fui, argumentum inde pro transpositione

*) *Class. II. Fascic. 2. p. 218. f.*
**) *Hist. Nat. V, 13.*
***) *Bell. Jud. IV, 8. §. 1.*

ſpoſitione pericopes illius conſtituenda mutuatus. Tranſpoſitionem illam calculo albo haud dignatur *Batavus* *) *quidam*, ſeverioris criticæ artis ſtator, Y. *v.* H. laudibus diligentiæ non defraudandus, in quo tamen editor **), non potuit non notare acerbitatem. Audire ac excutere juvat cenſoris argumenta, vindicando ac retinendo Pericopes loco, iter ex Ægypto peractum excipienti, accommodata. Significat cenſor, RICHARDUM SIMONIUM mihi præiviſſe ſententiam meam, virum, quem b. BUDDEUS & MAJUS refutarunt. Nihil repono ad argumentum hoc hiſtoricum elidendum, niſi hoc unum, me auctoritate & teſtimoniis virorum ſummorum jam non niti, ſed argumentis: me a ſcopo *Simonii* in hac cauſa eſſe alienum: nec hunc fuiſſe primum, cui illa pericopæ tranſpoſitio chronologica fuit probata. In eo cenſor ſe putat argumentum, mihi adverſum, inveniſſe, quod initio pericopes illius legitur *Abraham*, non

*) Inſeruit *Ephemeridibus obſervationum Amſtelodami* Commentationem, cui præfixit n. VI, p. 477. indicem: Y. *v.* H. 't *Gevoelen van den Heere* J. C. Harenberg, *dat ſommige Afdeelingen der H. Schrift onder elkander vermengt verward geraakt ſouden ſyn, ter toetze gebragt, en wederlegt.*

**) Ad *p. 483.*

Abram. Si ipse evidentibus argumentis comprobare potest, librarios sibi numquam indulsisse libertatem litteram ullam mutandi vel inserendi alicubi, lauream reportavit. At quid ipsi videtur *de Kri?* de Nebucadrezar? de differentiis inter nomina Chronicorum, & ea, quæ leguntur in Pentateucho & alibi? de *Menasseh Jud.* XVIII, 30: de *chasidecha* Ps. XVI, 10? de enuntiato, a *Nun* littera exordiendo, in Psalmo alphabetico 145. inter comma 13 & 14? de verbo *reeh* Psalm. XXV, 18, ubi ob ordinem alphabeticum legendum est קשׁב, vel simile verbum aliquod, a *Kuph* littera inchoari solitum. Quum pericopa fuit transposita, librarius deligere debuit quivis nomen *Abraham*, nec pristino illo *Abram* uti. *Censor* putat transpositione alicujus pericopæ tentata periclitari Codicem sacrum universum & in rudera converti. Id nec alii nec ego capimus argumentum. Falso illud superstructum est fundamento, & ingenium arguit aut odiosum, aut nimis pium. Censor miratus fuit stupuitque, lecta mea de Pericopis commentatione in *Bibliotheca Nova Bremensi.* Et ego miror de ipsius illo mirandi adfectu. Laudat ipse JO. GOTTL. CARPZOVII, senis venerandi, argumenta, quibus sententia *Simonii* fuit examinata *). Laudo ipsemet hanc ope-

*) *Critic. Sacr. pag. 114.*

operam, quæ id, quod nimium est in *Simonii Historia* V. T. *critica*, solide repressit. Liceat mihi tamen credere, detrimentum inde nullum inferri historiæ Evangelicæ, licet ejus articuli & pericopæ huc illuc per Evangelia sparsim legantur. Qui indicarunt per suas *harmonias evangelicas* & *monatessaron* ordinem Chronologicum, ad quem desumtæ hinc inde pericopæ revocantur, ei nequaquam per indicia transpositionum nocuerunt historiæ vel rebus ipsis, tantum abest, ut illi omnia verterint in lacunas & rudera. Absit hoc a nobis judicium quam longissime. Qui pericopas biblicas ad ordinem temporis revocant, ei propterea non eximunt eas e loco, quem adhuc occupant. Retinebunt eæ locum sibi consuetum ad omnium sæculorum decursus. Quis postrema libri *Judicum* capita sede sua movit? Norunt tamen universi Theologi, ea per Chronologiam alio rsum esse ponenda. An ideo re ipsa transponuntur? De voluminum gentis Hebrææ forma pristina alias differam plenius ad censoris monita diluenda vel adprobanda. Jam ad historiam Abrami atque Abimelechi Regis retrocedendum est. JOSEPHUS *)

*) *Ant. Jud. I, 12. §. I.* Passim labitur *Josephus* in Abrahami historia, uti omnes norunt eruditi. Ipse tamen tradit *I, 14.* Abrami

eam ſtatim ſubjunxit reditui Abrami ex Ægypto. Non intercedo. *Joſephi* ætate & LXX. ævo hiſtoriam eam adnexam fuiſſe reditui Abrami ex Ægypto, non duco inficiandum. Nec tamen pervideo rationem, cur auctoritate horum virorum ſtandum ſit, tamquam certa & immobili, in chronologica computatione vel pericoparum poſitione. Ille *Jobum* omiſit ac multos admiſit nævos Chronologicos aliosque Biblicos, quos CHRISTIANUS NOLDIUS & JO. FRANC. BUDDEUS indicarunt. In editione *Grabiana* LXX. miram detegimus ab ordine codicis ebræi in ordine capitum differentiam. Interpretis non eſt, ordinem libri, quem interpretatur, mutare, licet intelligat, ordinem chronologicum cum illo non concordare, niſi ſenſus integritas alioqui nequeat reconcinnari. Non diſputo in præſens de LXX. & *Joſephi* ſcientia critica. Credidi, nam progrediendum eſt cum lima Auctoris cenſuram exercentis, *Saram* nonagenariam non fuiſſe adeo formoſam, ut eam Rex Abimelech ad Venerem cum ea colendam expetere voluerit. Reſpondet Cenſor,

PAU-

mi ſiclis 400 emtum fuiſſe agrum ſepulcralem ab Ephraimo quodam ex urbe Chebrone. At ſepulcri iſtius patriarchalis ſedes erat prope Sichem.

PAULUM LUCAM *) ſeptuagenarias, in Oriente reputaſſe pro natis triginta modo annos. At Sarah erat nonagenaria quum Iſaacum pareret, in terram Abimelechi jam ſenectutis nævos, ex vulgata interpretatione, invehens. *Gen.* XVIII, 11. 12. Ipſa tunc fatebatur, ſe eſſe ſenem & profluvio menſtruo carere. Qui defectus poterat Saram eximere omni venereæ Regis petitioni. Eam ob cauſſam poterat Abram, niſi tranſpoſitioni pericopes accedas, ad avertendum incommodum fateri, uxorem ſuam eſſe undenonagenariam & ſenili ætate **) inſignem. Monet Cenſor, Abrahamum diu commoratum fuiſſe in Beerſeba XXII, 19, ratus, hanc commorationem quadrare ad XXI, 31, ubi origo loci Beerſeba & fœderale jusjurandum cum Abimelecho memoratur. Reſpondere liceat, duo illa enunciata ſibi per ſeſe haud repugnare, nec tamen per ea excludi illa, quæ commorationem illam diverſo tempori innectunt. Nam Hagar aberravit a via

*) *Voyage To. I. p. 70.* Inter 70 & 90 annos feminarum eſt vegrande diſcrimen. Corpus Saræ tunc erat mortuo ſimile.

**) Corpus Saræ erat νενεκρωμένον & ei erat ἡ νέκρωσις τῆς μήτρας circa 89 annum ætatis. *Rom.* IV, 19. Erat παρὰ καιρὸν ἡλικίας. *Ebr.* XI, 11.

a via regia prope Berſaben atque aquæ inopiam fuit ibi paſſa, quam tamen ab ea ad tempus arcuerat Abrahamus. XXI, 14. 15. Si ex cenſoris ſententia Abrahamus tunc juxta Berſaben habitavit, dici vix poteſt, Hagaram ibi a via erraſſe & aquæ defectum paſſam fuiſſe. Nondum exſtitit Berſabe, quum circa eam in ſolitudine Hagar oberraret, niſi tranſpoſitioni pericopes locum dare velis. Adde quod Abraham & Sarah habitarunt in Aulone, Mamren adjacente, quum ipſa paullo poſt redderetur gravida. XVIII, 1. 10. Obiit ipſa in Chebrone XXIII, 19, in Machpelah intra terram Ephronis, a Zoaro procreati, Hethitæ, e *regione* vicini loci *Mamre*. XXV, 9. Enarravi itinera & domicilia Abrahami, ut reliqua facilius intelligerentur, & ut aberratio Hagaræ explicabilior redderetur. Cenſor, eam enarrationem nihil ad hanc cauſam conferre exiſtimavit, intellecturus procul dubio, me inde argumentum palmarium haud arceſſiviſſe. Dum vero ſibi perſuaſiſſe *) videtur, me id egiſſe, ut Chebronem poſuerim ſeptemtrionalem in tribum *Aſer*, ubi oppidum fuerit עברון, ſeſe fallit. Ipſam enim Chebronem, non Ebhronem, illam potius *Chebronem*, Sichemo vicinam, a Chebrone Judæ

*) *Pag. 488.*

dæ diversam, ob oculos habui. Supervacuum est, ut ea hoc loco repetam, quæ de Chebrone septemtrionali adtuli in *Miscellaneis Lipsiensibus Novis Vol. IV. P. III. p. 512.* nec non de *Mamre* ibidem *Vol. V. P. III, p. 432*, s. ac de *Sichem Vol. VI. P. III. p. 434*, s. Doctores Mischnici suffragantur mihi, qui, *aulonem Moreh*, ad Sichem fuisse situm, tradiderunt, patriæ suæ nondum obliti, in *Sotah* VII, 5. *Mamren* tenuisse quoque nomen *Kirjat Arba* numquam, existimare non omisi *). Credo tamen, *Sichar* esse Sichem prius, & *Mamren* Sichemum esse recentius, ab illo loco haud longe distans ac ejusdem fere ætatis. In *Itinerario Burdegalensi* p. 151. locum utrumque distingui, novimus. Si censor minus austero ingenio stiloque leni mecum porro voluerit certare, faciet mihi pergratum. Veritas enim, ut scintilla ex conflictu, elici ac prodesse solet. Gaudeo, quod ipse pro verbo Dei militat; doleo, quod Lexicographus gaudet de sua protervia, qua contra verbum Dei minus sincera expurgataque mente pugnat vel potius ludit ingeniose.

§. 17.

Ne tamen censori Batavo videar negligenter in definiendo situ locorum Mamre & Che-

*) Vide paragraphum sequentem.

Chebron, quæ illius fuiſſe videtur pars, egiſſe, argumenta recenſebo ſtrictim & evidenter, e quibus intelligi poſſit, 1) *Mamren* urbem fuiſſe *Sichem* vel hujus partem: 2) hujus partem vicumve fuiſſe *Chebronem ſeptemtrionalem*: & 3) ab utraque *diſtinguendam* eſſe *Chebronem*, in *tribu Judæ* olim ſitam. En argumenta, ad firmandum enuntiatum *primum* aptata. Primum hoc eſt. Patriarchæ ſepulti ſunt prope Sichem. *Act.* VII, 15. 16. In ipſa urbe humatos eſſe ipſos, negant univerſi, qui compertum habent, Ebræis haud in more fuiſſe ſepulturas, intra urbes. At vero Abraham, Sarah, Iſaacus & Jacobus ſepulti ſunt in Machpelah prope Mamren. *Gen.* XXV, 9. XXIII, 12. XXXV, 27. 29. L, 13. Ipſius Joſephi oſſa, ex Ægypto adlata & tranſportata, omnino humata ſunt *prope Sichem*, בשכם, in parte agri, quem emerat Jacobus a filiis Hhamori, qui Sichemi erat pater. *Joſ.* XXIV, 32. In eodem ſepulcreto Jacobus voluit tumulari, atque re ipſa ſepultus fuit, *Gen.* L, 5. Locus ſepulcreti hujus erat ſpelunca agri, vulgo *geminus diviſusve locus* dicta, prope Mamre *v.* 13. Partem itaque ſepulcreto illi addidit interventu emtionis Jacobus, quod paraverat uxori ſuæ Saræ Abrahamus. Adde, quod pars, ſepulcreto illi per Jacobum adjuncta & a filiis Chamori,

ri, qui pater Sichemi erat, emta, erat prope Sichem (*Gen.* XXXIII, 18. 19.) ſita. At eadem fuit prope Mamrem *Gen.* L, 13, licet dicatur vicina Sichemo urbi fuiſſe *Joſ.* XXIV, 32. Joſephi ſepulcrum fuit adhuc ætate HIERONYMI in Neapoleos (Sichemi) rure ſuburbano monſtratum *). Non poſſum, quin hinc colligam, Mamrem urbem fuiſſe urbem Sichem, certe ejus partem. Procedo ad argumentum *ſecundum*. Sichemo ſeu Sicimæ olim nomen ab indigenis adtributum fuit *Mamorta* ſeu *Mabarta*. Illud nobis memoriæ prodidit PLINIUS, hoc autem JOSEPHUS. Adde quod *aulon Moreh* ſeu *Mamre* fuit juxta Sichem. Judæi, qui primis N. T. temporibus *Miſchnicum* corpus collegerunt intra Palæſtinam, id ipſum teſtantur. Locum, in *Sotah* VII, 5, obvium, jam paullo ante indicavi. Habes itaque, Lector, argumentum *tertium*, ſimulac hoc teſtimonium haud duxeris repudiandum. Antequam vero ulterius provehor, ſignificandum mihi eſt Ebræos per אלון, *elon*, deſignaſſe *aulona* ſeu vallem ſpatioſam, duos inter montes patentem, qualis, in urbe Sichem ipſa primordium capit & verſus plagam,

*) *Tradition. Hebr. in Geneſin. fol. 94, & de Locis Hebraicis fol. 125. D. To. IV. edit. Eraſmi.*

gam, noto & euro interceptam, decurrit. Memorandum hoc est, ne quis cum ALEXANDRINIS *Interpretibus Græcis*, cum EUSEBIO, EPIPHANIO & horum sectatoribus existimet, *Elon* fuisse δρῦν, *quercum* vel *quercetum*, quo vocabulo *Alexandrini* illi fuerunt usi *Gen.* XII, 6. XIII, 18. XIV, 13. XVIII, 1. quæ opinio seu interpretum sententia olim reddita fuerat tam vulgata, ut ipse HIERONYMUS eis palam repugnare vereretur. Hic enim locum ex *Gen.* XIV, 13, ita repetivit: *Ipse* Abram *sedebat ad quercum Mamre* *). Nec tamen idem prorsus significatum nominis genuinum prætermisit. Nam posthæc **) sic scripsit: *Notandum ex prioribus & ex præsenti loco, quod Isaac non sit natus ad quercum Mambre sive in Aulone Mambre, ut in Hebræo habetur.* Novit ipse notionem nominis Elon, eamque ita ***) declaravit: *Aulon non græcum, ut quidam putant, sed hebræum vocabulum est. Appellatur autem vallis grandis atque campestris, in immensam latitudinem se extendens, quæ ex parte utraque circumdatur montibus sibi succedentibus.* - - Eumdem nominis Elon significatum inculcavit, differens

*) *Tradition. hebr. in Genesin f 94.*
**) Ibidem *fol. 96. C.*
***) *De Locis Hebraicis fol. 123. C. To. IV.*

rens nonnihil de Jordane *). Eum præterea ſtabiliunt doctores Miſchnici in *Sotah* VII, 5, & Græci, qui nomen illud in linguam ſuam tranſtulerunt **). Cauſam dixerit cenſor, cur inhærere malit quercetо. Hiſce interjectis ſubjungere licebit partem tractationis *ſecundam*, qua comprobandum mihi eſt, Mamrem urbem ſeu Sichem fuiſſe adpellatam quoque *Chebronem*, ideoque non eſſe metuendum, nequid falſi vicem veri ſuſtineat, ſi, Chebronem fuiſſe ſeptemtrionalem quamdam, ſentire cogar. En argumenta. *Primum* eſt: Mamre fuit Chebron ſeu hæc fuit illius pars, quia Chebron dicitur fuiſſe Mamre. *Gen.* XXIII, 20: & quia Aulon, a loco Mamre dictus, fuit *juxta Chebronem.* XIII, 18. Mamren vero, Mamortam, Mabartam fuiſſe Sichemum, jam oſtendimus. Argumentum procedat nunc *alterum.* Fratres Joſephi, ex Jacobo nati, gregem patris ſui paſcere voluerant בשכם, in campis agrisve *ad Sichemum.* Joſephum pater ad eos miſit ex valle Chebronis, & ipſe Joſeph ex hac venit Sichemum, puta in campos urbi adjacentes *Gen.* XXXVII, 12. 14. Chebron igitur hæc fuit pars territorii Sichemitici, ideoque falſum non eſt fuiſſe ibi Chebronem

*) *Ibi fol. 129. C.*

**) In HADR. RELANDI *Palaeſtina I, 55 p. 372.*

bronem quamdam, a Chebrone tribus Judæ diverſam. Dicitur præterea Jacobus veniſſe *ad patrem ſuum Mamrem, urbem Haarba, (quæ ipſa* erat *Chebron,) ubi Abraham & Iſaac habitaverant peregrinantes. Gen.* XXXV, 27. Sententia noſtra ex hoc ipſo loco robur obtinet non contemnendum. Dicta fuit Mamre *Kirjath haarba* ſeu tetrapolis, urbs oppida quatuor complectens. Si nomen *Arba* eſſet *proprium*, illud reſpuiſſet *He* ſibi præfixum. Conſtabant in Palæſtina urbes non unæ, ex diverſis oppidis, nonnumquam uno vel dimidio lapide disjunctis, compoſitæ. Et quis neſcit Syriæ & Africæ Tripolin? Quis ignorat Dorienſium *) Pentapolin? *Tetracomia* erat olim urbs vel vicus Palæſtinæ ſecundæ. Talis Tetracomia ſeu Tetrapolis in territorio Sichemitico ſeu Mamortenſi erat, conſtans ex *Sichemo, Mamre, Chebrone*, & *Aner*, quarum conditores fuerant Sichem, Mamre, Ephron & Aner, viri in *Geneſi* ſatis nobiles ac generoſi. Tetrapolis hæc ævo Moſis vel ejus, qui adjecit verba חברון הוא, הוא חברון, adpellata fuit Chebron. Priſtinis ſæculis anterioribus ea dicta fuerat nunc Sichem, nunc Mamre, prouti hæc vel illa inter eas nacta fuerat principatum. An cenſor tribum Menaſſiticam recte conſtituerit, du-

*) HERODOTUS *I*, 144.

dubito. Id autem libens ei do & concedo, fuiſſe præterea quamdam urbem Chebron, *tribui Judah* adtributam, quæ ideo cognominata fuerit ad differentiam ab illa ſeptentrionali *Bihudah*, *in Judah*. 2 *Chron.* XI, 10. Hæc Chebron in montano eminebat tractu. *Joſ.* XX, 7, Aulon eam nec adtingit nec circa eam oritur vel primordia capit ulla. Vallis quædam inde poſt duo milliaria Italica demum ſumit initium, teſte oculato FRANC. FERD. de TROILO p. 417 *), ſed poſtea Hieroſolymam usque continuata. De hac Chebrone diligenter expoſuit RELANDUS. Miror tamen admodum, quod inter hanc & Mamrem oblitus fuit diſcrimen merito notandum, quum tamen Mamre, ipſo judice, fuit Sichem. Cenſoris erat hæc notaſſe. Si ipſe monuerit, Chebronem adpellari *Kirjath Arba Joſ.* XIV, 13. 15. XV, 13. *Jud.* I, 10, & hanc fuiſſe omnino in tribu Juda ſitam; tunc, id ipſum omni vacare dubio, non poſſum non fateri. Moneo tamen, *Mamren* dictam fuiſſe aliquando *Chebronem*, ſimulque *Kirjath haarba;* Chebronem vero, *tribui Judah* adſignatam, adpellari *numquam Mamre*, ſed potius priſco nomine dictam fuiſſe *Kirjath Arba*, non *Haarba*, non *ex*

*) *Orientaliſche Reiſebeſchreibung*, Frf. und Leipz. 1717. 8.

quatuor *) sed *ex Arba*, homine magno, patre gentis validæ ac robustis posteris præstante, quos olim Interpretes quidam etiam Christiani crediderunt fuisse Gigantes & Nephilinos. Alexandrini Interpretes admiserunt discrimen quoddam inter *Kirjath haarba* & *Kirjath Arba*. Illam enim interpretati sunt (*Gen.* XXXV, 27.) μητρόπολιν πεδίε, hanc vero πόλιν Ἀρβὲ, μητρόπολιν Ενακείμ & πόλιν Ἀρβὸκ, μητρόπολιν Ενὰκ, immo *Karjath Arbok*. De reliquo censorem vehementer oro, ut mihi definiat locum inter Jeremiæ vaticinia, quem ea occupare debent, quæ lectoribus offeruntur ibi c. XLVI. XLVII. Si is intelligere gravetur, capita hæc multis aliis Jeremiæ vaticiniis fuisse priora, cum ipso mihi in posterum nihil erit commercii. Adversus enim eos non pugno, qui adversus solem pugnant. Si lectores sibi in memoriam revocant varios Antiscripturariorum insultus eosque in primis animo recolunt, quos illi cum Lexicographo Gallo novissimo habent communes, mihi eam operam non vertent male, quam ad elidendos

*) HIERONYMUS aliique putarunt, nomen loco obtigisse, eo quod ibi quatuor homines, Adam, Abraham, Isaac & Jacob sepulti sint. Qui sic sensere, *quatuor* esse indicatos, recte intellexerunt.

dos illos objectionis in Mosen structæ nervos adhibui, quos ex, pulchritudine Saræ, octoginta & novem annos natæ, a Mose, ut videtur, indicata, consuere solent viri, in Mosen ejusque fidem insurgentes. Eidem Antiscripturarii in historia Abrahami notant nodum Geographicum, quo Chebron nunc ad Sichem, nunc alibi, scilicet ex Interpretum opinione, collocatur. Hunc nodum, hanc antithesin, censor non solvit, nec vult solvi ac extricari. Utrum hic, an ego confirmandæ Mosis de Abrahamo ejusque posteris fidei ac testimoniorum auctoritati melius consulamus, Lector arbitretur & judicet, quem æquitatis ac veritatis studiosum fore existimo & confido.

IV.

JOANNIS NICOLAI RICHTERI OBSERVATIO AD JOH. VII, 38.

Ὁ πιστευων εις εμε, καθως εἰπεν ἡ γραφη, ποταμοι εκ της κοιλιας αυτου ρευσουσιν ὑδατος ζωντος.

§. 1.

Multa ſacræ ſcripturæ dicta hac ſola de cauſſa non ſatis intelligi, quia alluſiones ad V. T. hiſtoriam ſæpenumero ne ſuſpicantur quidem Interpretes, quique eas ſuſpicantur, haud felicioré ſæpius ſucceſſu easdem detegunt, multi multis exemplis confirmarunt. Ad quæ loca, quibus ex iſto lumine lux ſua adfunditur, hoc etiam illuſtre dictum, cujus breviorem cum maxime illuſtrationem ſuſcipio, referendum eſſe arbitror. Alludit enim Servator optimus maximus ad hiſtoriam aliquam, cuilibet ſane notiſſimam, ut mirer, neminem Interpretum hujus loci, quantum ſcio, de applicatione hujus hiſtoriæ ad dictum noſtrum cogitaſſe,

gitaſſe, aliudque potuiſſe venire in mentem. Verum judicent Eruditi, utrum vera ſit mirandi cauſſa: & ſi forte alibi ſententiæ meæ veſtigia deprehendant; me iſtis libris caruiſſe, eamque pauciſſimos, quos conſulere licuit, non protuliſſe, ſibi vélim perſuadeant.

§. 2.

Crucem fixerunt Interpretibus maximam verba interjecta: καθως ειπεν ἡ γραφη; & tantum non omnes hunc ſibi ſolum nodum ſolvendum eſſe credidere. Sunt, qui ea ad ſubjectum, ſunt, qui ad prædicatum, ſunt denique, qui ad utrumque retulerunt. Qui hoc & iſtud ſtatuunt, doceant nos, quæſumus, ubinam exſtet hic locus, quem ipſorum judicio Servator in mente habuit. Fatentur autem, iisdem quidem verbis nullibi exſtare hunc locum, ſed eodem tamen ſenſu: huc enim pertinere illa dicta, quibus larga Spiritus S. effuſio ſuper credentes promittitur. Provocant igitur ad Jeſ. LII, 15: XLIV, 3: LVIII, 11: Joel. II, 18; *) ad hæc dicta aut ſimul, aut tantum ad hoc & illud Servatorem reſpexiſſe contendentes. Minime, ut fatear verum, mihi arridet hæc explicandi ratio; nec niſi ſumma neceſſitate coactus ad ejusmodi ſubſidium recurrere velim.

*) cf. DODDRIDGIUS ad h. l.

lim. Licet enim παραφραζειν Chriſtum illum locum dicamus; *) nihil tamen aut parum roboris hæc habet ſolutio. Quod ſpeciatim attinet ad hæc dicta, quæ ad locum noſtrum explicandum adduci plerumque ſolent, ſane non complectuntur, quæ Servator docere voluit. Largam enim Spiritus Sancti effuſionem, quæ credentibus hiſce locis promittitur, præcedenti commate jam promiſerat: *Quicunque ſitit, veniat ad me & bibat.* His vero, quæ interpretamur, verbis hoc docet Servator: fore, ut ex iis, ſuper quos dona Spiritus Sancti miraculoſa effuſa fuerint, eadem larga copia ad alios quoque dimanent. Cete-

*) S. Ven. & Cel. HEUMANNUS, rejecta ea explicatione, qua olim verba, ὁ πιστευων εις εμε, ad antecedentia, και πινετω, retulerat; ad *Joelis* vaticinium, ubi Spiritus Sancti effuſio omnium clariſſime promittatur, Servatorem reſpexiſſe contendit, adjectis his: Daran dürfen wir uns nicht ſtoſſen, daß er nicht die eigene Worte Joels vorbringet. Der Herr paraphraſiret ſie, und ſaget alſo mit andern Worten eben daſſelbe, was in dem Buche Joels ſtehet. Iſt es nicht einerley: **Gott wird ſeinen Geiſt über alles Fleiſch und über alle Arten der Menſchen ausgieſſen**: und: **Aus dem Gläubigen werden Ströme des lebendigen Waſſers flieſſen?** At vero hæc neutiquam eadem, ſed diverſa eſſe, ſupra docere ſtudeo.

Cetera loca, quæ alii adducere ſolent, adeo parum huc quadrant, ut aliquid de eis addere ſupervacaneum videatur. Ad quæ vero vere reſpexit Chriſtus, poſtea afferam. Sed quum ex his, ſicut videbimus, tantummodo locutiones deſumtæ ſint, quas Chriſtus ad ſcopum ſuum adhibet: verba, καθως ειπεν ἡ γραφη, neque ad prædicatum, neque ad ſubjectum & prædicatum ſimul, referenda eſſe arbitramur.

§. 3.

Quanquam igitur fuerunt, qui vel maxime mirati ſunt, quod aliqui hæc verba interpoſita tantum ad ſubjectum: ὁ πιςευων εις εμε, pertinere dicant: hac tamen auctoritate non abductus eidem ſententiæ adſtipulor. Suæ enim admirationis cauſſam fundamento nixam non adduxerunt. *) Equidem hoc

*) Ita enim S. Ven. HEUMANNUS ſcribit: Noch gröſſer war der Fehltritt derer, welche, weil ſie dieſe Worte des Herrn in dem Alten Teſtament nicht antrafen, meynten, die Worte: **Wie die Schrift geſagt hat**, gehören nicht zu den folgenden Worten des Herrn, ſondern zu den nächſtvorhergehenden. —— Eine Auslegung, die nicht ungerathener ſeyn könte. —— Daß in den neuern Zeiten ſo viele Gelehrte ſich dieſes haben gefallen laſſen, —— darüber kann ich mich nicht genug wundern. Sed multas ejusmodi

ipſos potuiſſe mirari, miror magis. Quid enim, quæſo, inſoliti in his verbis deprehendas: qui credit in me, ſicut Scriptura dixit ſeu juſſit? Hoc unum fortaſſe dicas, hoc additamento non opus fuiſſe. Ego vero omnino opus fuiſſe oſtendam.

§. 4.

Quod ut pateat, obſervandum eſt primum, jactaſſe Judæos fidem ſuam in Moſen, & hujus auctoritate, quam extollebant maxime, auctoritatem Chriſti miraculis partam ſtuduiſſe deprimere. Neque enim, qua erant ignorantia & duritie cordis, ſecum animo volvebant, fidem in Meſſiam a Moſe præſcribi, nec Moſis verbis credere ſe poſſe, niſi & Meſſiæ credant. Hoc Judæis ante oculos ponit Servator cap. V, 45, 46, 47, quem locum hoc lubentius huc adſcribo, quo magis hinc elucet, minime ſuperflua eſſe verba: καθως ειπεν ἡ γραφη. Μη δοκειτε, inquit Chriſtus, ὁτι εγω κατηγορησω ὑμων προς τον πατερα· εστιν ὁ κατηγορων ὑμων, Μωσης, εις ὁν ὑμεις ηλπικατε. Ει γαρ επιστευετε Μωση, επιστευετε αν

modi refutationes habet liber hic, ceteroquin longe utiliſſimus & eruditiſſimus, tam parum aptas & rationibus ſuffultas, ut vix mereantur mentionem, refutationem certe nullam.

ων εμοι· περι γαρ εμου εκεινος εγραψεν: ει δε τοις εκεινου γραμμασιν ου πιστευετε, πως τοις εμοις ρημασι πιστευσετε. Cum his verbis si dictum nostrum conferamus, την γραφην idem esse videmus ac τα γραμματα Mosis. Quamvis enim & ceteros V. T. libros non excludere debeamus; præcipue tamen ad Mosis libros Servator spectat, cum Judæi de sua in illos fide gloriarentur maxime; atque idem omnino est, ac si dixisset: *Qui credit in me*, καθως εγραψε Μωσης, *sicut Moses scripsit*, sive libris suis præcepit. Patet jam, cur hæc Christus adjecerit; patebitque clarius ex paraphrasi ad finem apponenda.

§. 5.

Judæi, Mosis auctoritatem extollentes, ad duo præcipue provocabant miracula. Moses, inquiebant, pane de cœlo delapso patres nostros in deserto pavit: idem aquam ex petra largissimam iisdem sitientibus dedit bibere: Quare quis ejus est similis? Et quis summam ejus auctoritatem haud agnoscat, miretur, suspiciat, quam Deus ipse tantis miraculis confirmatam ad posteritatem propagavit? Hinc ad contemtum Servatoris argumentabantur: cum tu, sabbathum temere violando, legem Mosis migrare haud erubescas; noli poscere a nobis, ut verbis tuis fidem habeamus, nedum Mosi te æqualem esse

eſſe credamus. Hanc vocem in Judæorum incredulorum ore fuiſſe, non eſt, quod operoſius probem. Probant enim ſermones Servatoris ad populum habiti. Objectionem de manna petitam *capite ſexto* refutavit Chriſtus: ad quam doctrinam celebratio feſti paſchatis ipſi anſam dederat. Ad refellendam alteram objectionem celebratio feſti tabernaculorum occaſionem præbuit. Dum enim illius ſollemnia peragerentur, Hieroſolymam profectus eſt Servator, *v.* 2, 14. Conſtat vero, inter alia hujus feſti ſollemnia ſacerdotem aliquem (DEYLINGII ſunt verba) vaſe aureo ex fonte Siloah aquam hauſiſſe, eamque per aquarum portam in templum clangente tuba intuliſſe, quam deinde vino mixtam, poſt diſpoſita ſacrificii membra, libabat. Non erat hic ritus divinitus inſtitutus, ſed ſub templo ſecundo demum introductus. Cur igitur eum inſtituerant Judæi! Ideo, plerumque dicunt, ut ardens ſuum Spiritus Sancti deſiderium hac ratione teſtarentur. Ego vero admodum de hoc dubito, cum ſimilitudinem veri habeat nullam. Putem potius, ſollemni hoc hauſtu aquæ Judæos primario voluiſſe conſervare memoriam aquæ largiſſimæ, quæ in deſerto ex petra a Moſe icta profluxit.

§. 6.

§. 6.

Vides nunc, Benevole Lector, quam alluſionem hic deprehendere mihi videar. Jam vero clarius hoc reddant loca ex Pſalmis, ad quæ Servatorem vere reſpexiſſe hoc minus dubito, cum fere eædem locutiones in eis occurrant. Quod quo magis appareat, ex verſione ſeptuaginta Interpretum ea adducimus. Pſal. LXXVIII, 15: Διερρηξε πετραν εν ερημω, και εποτισεν αυτους ὡς εν αβυσσω πολλη. Και εξηγαγεν ὑδωρ εκ πετρας, καὶ κατηγαγεν ὡς ποταμους ὑδατα. v. 20: Επει επαταξε πετραν, καὶ ερρυησαν ὑδατα, καὶ χειμαρροι κατεκλυσθησαν. Pſ. CV, 41: Διερρηξε πετραν, καὶ ερρυησαν ὑδατα, επορευθησαν εν ανυδροις ποταμοι. Videmus, magnam eſſe ſimilitudinem inter hæc dicta & verba noſtra quoad locutiones. Sed dicet fortaſſe aliquis hinc nihil omnino conſequi: mirum enim non eſſe, in iisdem caſibus easdem voces adhiberi. Diſpiciamus ergo, utrum hinc præterea nihil ad hypotheſin noſtram confirmandam queamus elicere. Concedet quilibet, hoc Servatoris noſtri ſermone alludi ad aliquod circa aquam factum. Alioquin enim ſingulare aliquid & duriuſculum haberet ſermo. Inſolita eſſet hæc metaphora ſeu allegoria, Quis enim ventrem hominis fontem eſſe dixerit, unde flumina aquæ proſiliant, ulte-

rius

rius profluentia, ac multorum hominum reſtinguentia ſitim? Concedent ergo, qui hoc conſiderant, ad hiſtoriam aliquam alludi. Sed ad quam? In eo plerumque ſubſiſtunt Interpretes, quod Sacerdos ex Siloah aquam hauſerit, & ſuper altare effuderit. Urceo enim ſeu vaſi, quo Sacerdos uſus ſit, concinne tribui poſſe κοιλιαν. Non negaverim hoc. Sed alia ex hac explicatione naſcuntur incommoda. Primum Servator credentes cum urceo compararet, quod mihi veri valde diſſimile videtur. Omnium vero maxime rarum, inſolitum, inauditum hoc eſt, quod ex unius *urcei* cavo tota *flumina* aquæ *profluere* debeant. Non dicam, proprie *effundi* ex urceo aquam, licet tum etiam, eam *profluere*, dici poſſit. At quis urceus, quæſo, *flumina* capit? Dicent hujus expoſitionis patroni, hac locutione nonniſi largiſſimam copiam exprimi. Sed nec negabunt, figuratam ejusmodi locutionem complecti non debere, quod præter naturam eſt. Quantum igitur in hoc ritu Judaico ſibi detexiſſe, & hinc verbis hiſce lucem affudiſſe haud minimam viſi ſunt; tam parum phraſes hic adhibitæ dilucidari exinde poſſunt. Nihil illuſtrat hic ritus, niſi quod, ad conſervandam petræ a Moſe percuſſæ memoriam inſtitutus, Chriſto occaſionem præbuerit, breviorem Judæis adhibendi diſciplinam,

ſciplinam, ad hiſtoriam illius petræ relatam. Quæ quidem alluſio hoc minus ficta mihi videtur, quo magis, ſi hoc ſumamus, omnia concinna & pulchra ſunt, atque optime cohærent. Petra, a Moſe percutienda, habebat κοιλιαν, quæ vox proprie *cavum* ſignificat. Ex κοιλια ſeu cavo hujus petræ ερρυησαν ὑδατα, επορευθησαν εν ανυδροις ποταμοι. Quodſi igitur ſumamus, Chriſtum primos eorum, qui in Ipſum credebant, cum hac petra comparare; nihil hic ſermo duri, inſoliti nihil habet.

§. 7.

Sequatur jam hujus dicti & præcedentis commatis paraphraſis. *Video, vos ovantes celebrare memoriam illius beneficii, quod Deus olim in patres veſtros contulit, ſitim eorum aqua, quam ex petra largiſſime tanquam flumina profluere juſſit, expellendo. Scio, vos Moſis, quo Deus inſtrumento uſus eſt, auctoritati multum propterea tribuere. Sed perſuadete vobis, me multo ſublimiori ratione illam ipſam eſſe petram, aquas largiſſimas cavo ſuo complexam. Percutient me in cathedra Moſis ſedentes, quo facto flumina aquæ vivæ de me profluent, multorumque ſitim ſedabunt. Quare, qui ſitit, & ſimili deſiderio, ac patres veſtri in deſerto, ardet, veniat*

veniat ad me, tanquam ad veram petram, atque ad ſatietatem bibat. Quin immo hos ipſos, qui in me credunt, ſicut Moſes libris ſuis præcepit, (nolite enim opinari, Moſi vos credere poſſe, niſi & meis verbis fidem habeatis, cum is de me ſcripſerit) pari modo ſpirituales ejusmodi petras effecturus ſum, ex quibus, tanquam ex petræ illius cavo, flumina aquæ vivæ profluent, multorum ſitim populorum ſedatura.

V.

JOH. PHIL. CASSELII,

PROFESS. ELOQ. P. BREM.

OBSERVATIO CRITICA, CÆSAREA MAURETANIÆ URBS UNDE JOL VOCATA.

ARGUMENTUM.

§. 1. Loca ab *altitudine* sæpe nomen sunt sortita. *Jol* urbs Mauretaniæ. Loca ab Imperatoribus denominata. §. 2. Origo vocis *Jol* ex L. Phœnicia. §. 3. 4. 5. *Jolaenses* Sardiniæ populus, eorum origo, & nomen unde? §. 6. *Jol* urbs num hodiedum *Algezira*, an *Shershel*?

§. 1.

Locis variis, urbibus in rupibus exstructis, imo ipsis collibus, montibus, nomen ab *altitudine* situque nactis, addimus exemplum *Cæsareæ* Mauretaniæ urbis, ab incolis & Africæ indigenis priscis *Jol* vocatæ, cujus vocis origo sub incudem vocanda. Celeberrima inter omnes Mauretaniæ urbes est CÆSAREA, Jubæ Minoris Maurorum regis sedes & regni caput, ornamentis & augu-

ſto nomine in Cæſaris Auguſti honorem *) admodum dotata, & antea JOL Ιωλ dicta, notantibus STRABONE, EUTROPIO, & PLINIO, quorum teſtimonia exſcripta leguntur apud *Celeb.* CELLARIUM *Afr. p.* 193. 194. Scriptoribus his, qui hujus meminerunt urbis, addo POMP. MELAM L. I. c. 6. JOL *ad mare aliquando ignobilis, nunc quia Jubæ regia fuit, & quod* CÆSAREA *vocitatur, illuſtris.* ISIDORUM L. XV. *Origg.* I. *Cæſaream Mauretaniæ oppidum Juba rex Maurorum in honorem Cæſaris Auguſti condidit, quam ex ejus nomine* CÆSAREAM *appellavit: ſicut Herodes aliam Cæſaream in Palæſtina, quæ nunc eſt urbs clariſſima. Iſidorus* hæc hauſit ex EUTROPII L. VII. c. 5. ubi vitam Auguſti deſcripſit, *Tanto amore,* inquit, *etiam apud barbaros fuit Auguſtus, ut reges, populi Romani amici, in honorem ejus conderent*

*) Non inſolitum fuiſſe urbes in honorem Imperatorum, Regum, & imprimis *Auguſti* nominare, patet etiam ex urbe Palæſtinæ, quæ *Turris Stratonis* olim appellata, quæque ab Herode Splendidiſſime ornata, & in Auguſti honorem *Caeſarea* dicta. Item ex civitate Cappadociæ maxima *Mazaca*, de qua SEXTUS RUFUS *cap.* XI. refert, Cappadoces majeſtatem Romanam ita coluiſſe, ut in honorem Auguſti Cæſaris urbem hanc Cæſaream nuncuparent. Conf. CELLARIUS *Aſ.* p. 346 & 522.

rent civitates, quas Cæſareas nominarent, ſicut in Mauritania a rege Juba, & in Palæſtina, quæ nunc eſt urbs clariſſima. SOLINUM *cap.* XXV. *Cæſarienſi* (provinciæ Mauretaniæ) *colonia Cæſaria ineſt a D. Claudio deducta, Bocchi prius regia, poſtmodum Jubæ indulgentia populi Romani dono data.* Errorem Solini, quo hanc urbem Bocchi regiam fuiſſe ſcribit, cum tamen ante Jubam fuerit ignobilis, & tempora Auguſti, & a Juba condita ſeu reſtaurata eſt, itemque alia caſtigat SALMASIUS *in Solin* p. 218. quem iterum refutat IS. VOSSIUS *in Obſervatt. ad P. Melam.* L. I. c. 6. p. 24.

§. 2.

Inter Colonias Pœnorum in Africa cis Gades, quarum ex Phœnicia lingua immenſo ſtudio petiit origines *ſummus* BOCHARTUS L. I. *Can.* 24. p. 483. urbis quidem hujus *Jol* meminit, ſed neutiquam, quod miror, ut cæteras, ex illa lingua, urbes explicat; an ergo Virum doctiſſimum vocis hujus originem latuiſſe credam? Cum vero regiæ urbes, ut hæc Jubæ regia, præcipuo & ſummo loco, in montibus, & locis editioribus, ut plurimum exſtruerentur, ut ex Hieroſolymis, Roma, Tyro aliisque notiſſimum, ita etiam exinde dicta videtur urbs *Jol*, ob *excelſum* & *editum* in *monte* aut *ru-*

pe ſitum, nam a עלה *ala*, *aſcendit*, eſt עולה *ola*, *aſcenſus*, & *holocauſtorum* nomen, ab *aſcenſione* fumi, quia totum igne abſumptum ſurſum aſcendebat, apud Hebræos natum. Hinc יואלה *Joela*, vel *Jola* eſt *elevatio*, & apud Pœnos עולאא *Olaa*, vel עילאה *Ilaa*, *locus excelſus*, ſic a עלה deſcendit יואלה *Jola*, quod nomen proprium eſt I PARALIP. XII. 7. eodem modo, ut ab עזר *auxilium*, eſt יועזר *Joeſer*, *adjuvans*, a חאי *vita*, יוחא *Jocha*, *vivificans*, a כבוד *Cebob*, *gloria* יוכבד *Jochebed*, & quæ ſunt his ſimilia. Urbs itaque hæc יועל *Jol* dicta Mauris eſt ob excelſitatem ſitus.

Cel. THOMAS SHAW, Periegeta illuſtris & Oxonienſis demum Profeſſor L. Gr. regius, A. 1751. XVIII. Cal. ſept. fato functus, in eadem mecum ſententia, quoad ſignificatum denominationis urbis verſatur, & derivat ab על, vel Syr: עילי quod *celſum* ſonat *) inque ſubſidium vocat *Iliberis*, *Iliturgis*, *civitates quæ altum ſitum habent*.

§. 3.

Idem illud obſervatione noſtra dignum eſt circa JOLAENSES, populum inſulæ Sardiniæ veterem. Illi a multis & *Ilienſes* vocantur, quaſi a *Trojanis* & *Ilio* eſſent oriundi.

*) *Travels or Obſervations relating to ſeveral Parts of Barbary and the Levant. p. 19. in nott. Lond. 1757. 4.*

oriundi. Verum SALMASIUS *in Solinum* p. 70. contendit perpetuo *Jolaenſes* ſcribendum eſſe, in illis veterum locis, qui *Ilienſium* nomine hunc populum appellant, ſed hoc acutius magis quam verius dictum puto, quia plurimi aperte eorum originem ab *Ilienſibus* ſeu Trojanis eſſe aſſerunt. Quod quidem falſum eſſe poteſt, attamen ex errore illo ipſos Auctores *Ilienſes* ſcripſiſſe manifeſtum, unde nec in ipſa voce mutandum quippiam, cum error ſit, penes Auctores Veteres, & primum inter illos, qui falſo *Ilienſes* pro *Jolaenſibus* venditavit, quærendus.

§. 4.

Hi autem *Jolaenſes* in Sardinia ſunt AFRI origine, ut ex *Pauſania* probavit BOCHARTUS, L. I. *Can. cap.* XXXI. *p.* 574. Scribit enim, quod ſint Λιβυσι τας μορφας, και των ὁπλων την σκευην και ἐς την πασαν διαιταν ἐοικασιν, *Afris perſimiles facie, armatura, totaque victus ratione.* Quippe quod *Afri* magna claſſe aliquoties in Sardiniam Græcos bello adorientes advenerint, ut in præcedentibus monuit *Pauſanias.* Hi autem populi *montana* loca incoluere Sardiniæ: τα ὀρεια & τα ὑψηλα, ut non ſolum ex eodem *Pauſania* liquet, ſed & STRABONE L. V. *p.* 155. Τα δε ἀυτα ταυτα και πορθειται συνεχως

ὑπὸ τῶν ΟΡΕΙΩΝ ἐι καλεντται Διαγηβρεις ΙΟΛΑΕΙΣ πρότερον ὀνομαζομενοι. *Feracissimam autem regionem Sardiniæ continuo depopulantur* MONTANI *Diagebres quondam* JOLAENSES *nominati.* Itaque & hi Sardiniæ populi *Jolaenses* & *Jolenses* dicti sunt ab יועאלה *Jola*, *excelsitate*, eorumque nomen, ut origo est *Phoenicium.* Coincidit BOCHARTUS *l. c. p.* 575. *Nomen vel Ilienſium vel Jolaenſium factum ex Poeno* עילאי *Ilæ, quasi altos dixeris, id est montanos, quia Poenis insulam invadentibus in celsa loca se contulerant.*

§. 5.

Quod enim scribant plerumque huc colonias deductas esse ab *Jolao* Herculis nepote, ut heic loci STRABO, & pluribus DIODORUS SICULUS L. IV. p. 234. sq. id de Hercule alio, quam *Phoenicio* intelligendum non est. Præterea id ipsum nomen *Jolai* est *Phoenicium*, ejusdemque est cum *Jol* originis. Nam *Jolaus* & *Jolas* sunt synonyma, ut *Agesilaus*, *Agesilas*, *Menelaus*, *Menelas*, ceu in *Exercitatt. Plinianis citato loco* ὁ πανυ animadvertit. Inde & puto *Jolai* nomen idem esse cum *Jolæ* pastoris apud *Virgilium in Eclogis*, indeque & nomen *Joles* puellæ, quam *Hercules* ille ambiebat, deduco, cujus Historiæ DIODO-

RUS

RUS SICULUS L. IV. *p.* 236. & OVIDIUS L. IX. *Metam.* 394. aliique meminerunt. Id enim nominis vel a *proceritate*, vel aliunde persimili ex ratione ipsis ex Phœnicia lingua, unde ad Romanos venit, & Græcos adhæsit.

§. 6.

Quænam urbs demum ex ruderibus *Cæsareæ*, Phœnicis instar rursum prognata sit, in eo dissident Auctores recentiores, quorum judices ob loci distantiam ad investigandum placita eorum non sedebimus. Geographorum plurimi, quibus DAPPERUS & BOCHARTUS accensendi, ob nominis probabilem rationem, hodiernam *Algeziram* sive *Algier* veterum *Jol* esse volunt. Ea enim urbs testimonio omnium ad montem sita est acclivis. Præterea situs conveniant, ut eadem esse urbs omnino videatur, tum & ipsum nomen id indicet, quod *Gezira* ab Arabibus & Saracenis corrupta vox sit ex *Cæsarea*, quæ addito articulo Arabico אל *al* dicitur *Algezira*, & contracte *Algier*. MARMOLIUS *in descriptione Africæ*, urbem *Cæsaream* descripsit T. II. Lib. V. c. 34. p. 394. & ibidem *cap.* 41. p. 399, de urbe *Algier* ita loquitur, ut quæ modo diximus belle statuminare ac corroborare videatur. *Quelques uns disent, que les*


les Romains la nommoient JULIA CÆSAREA, *en l'honneur de Jules Cæsar, & maintenant elle s'appelle par corruption Argel de Gezeyr, qui signifil Isles en Arabe.* —— *Elle est sur la pente d'une montagne fort elevée; elle a des bonnes & des hautes murailles de pierre, un fosse bien profond, & des boulevarts tout autour* &c. Huic sententiæ e diametro se opponit supra memoratus Celeberrimus Anglus SHAW *l. c.* & tam in *tabula Geographica*, in qua regionis *Algier* pars Occidentalis delineata est, quam etiam in libro ipso omni nisu evincere conatur, Cæsaream nostram hodiedum non eandem cum Algier esse, sed eam aliquot milliaria versus occidentem ab Algier removet, eamque urbem nunc *Shershel* apppellari, nullamque aliam ex situ Veteris Cæsareæ, itemque ex maritimo & commodo portu esse posse affirmat. Audiamus ipsius verba, lingua sua vernacula, quam diuturnum nuper ac funestissimum bellum non politioribus Germaniæ incolis, sed ipsis rusticis & vulgo, saltem heic loci, propemodum vernaculam fecit. Ita enim loquitur, *p.* 18. *Shershel, the next place of note, was the* JOL *or* JULIA CÆSAREA, *so famous in history.* —— *The ruins upon which this town was situated, are not inferior in extent to those of Carthage; and we may likewise conceive*

conceive no ſmal opinion of its former magnificence, from the fine pillars, capitals, capacious ciſterns, and beautiful moſaic pavements, that are every where remaining. Et *p.* 20. ex præmiſſa hiſtorica relatione fatorum urbis ita concludit: *This Island therefore, and theſe large and ſumptuous remains of an ancient city, wil afford other arguments for ſuppoſing* SHERSHEL *to be the* JOL *or* JULIA CÆSAREA. —— *The principal characteriſtic therefore, whereby the ancients deſcribe their Jol Cæſarea, cannot with any propriety be attributed to any other place than Shershel. Beſides in Itinerary, Cæſarea is placed* XXV. M. *from Aquis or Aquis calidis; which agrees very wel with the diſtance there is betwixt Shershel and the Hamam Melwart, which will be hereafter deſcribed.* Eruditi judicent.

EREA-

ERRATA
IN CLASSE QUINTA.

Pag. 3. lin. 24. *lege* profligatam, p. 6. l. 5. l. cenſent, p. 8. l. 23. l. ſubſidium, p. 12. l. 1. l. Europæum, p. 23. l. 27. l. ſcrutari, p. 32. l. 12. l. Neque, p. 38. l. 20. l. *fuit*, p. 50. l. 15. l. eſſent, p. 59. l. 14. l. alii, p. 63. l. 14. l. ſuos, p. 70 l. 2. l. ſceleſtis, p. 78. l. 16. l. Ducatuum, l. 22. l. enucleata, p. 79. l. 17. l. potuiſſet, l. 32. l. pergat, p. 82. l. 11. l. valentes, p. 86. l. 7. l. BAUMGARTENIUS, p. 92. l. 2. l. quas, p 93. l. 19. l. ſumendam, p. 112. l. 28. l. notat, p. 115. l. 19. l. μη γινε, 116. l. 12. l. ανεπτος, p. 117. l. 21. l. ante, p. 118. l. 14. l. diſſolutam, p. 131. l. 1. l. רמיה, p. 148. l. 18 l. ſunt. S., p. 159. l. 29. l. qua, p. 163. l. 22. l. obverſantur, p. 169. l. 21. l. Hæc, p. 178. l. ult. l. ſed, p. 206. l. 20. l. Oneirocritica, p. 207. l. 7. l. interioris litteraturæ adytis, p. 213. l. 3. l. του ι & ει, p. 214 l. 28. l. voto, p. 224. l. 3. l. μαζης, p. 235. l. ult. l. Steph., p. 236. l. 22. l. 1. Pet. III, 7. p. 246. l. 25. l. ſit, p. 271. l. 27. l. Seniorum, p. 272. l. 28. l. mortuorum, p 275. l. 17. l. differret, p. 312. l. 29. l. Regius, p. 319 l. 8. l. Adytum, p. 329. l. 28. l. etiam, p. 332. l. 15. l. δι ενιαυτε, p. 333. l. 7. δι, l. 16. l. deinceps, agam, p. 337. l. 11. l. fuerint, p. 341. l. 23. l. & accipiet, p. 342. l. 11. l. adpropinquans, p. 343. l. 24. l. ζωα, l. 26. l. ὄτιον, p. 344. l. 10. l. adyto, l. 27. l. depoſuiſſe, manibusque extenſis thus illi impoſuiſſe, prunis, p. 353. l. 28. l. Sedet, p. 376. l. 21. l. Evangelica, p. 387. l. 6. l. dicit, p. 460. l. 19. l. Dicitur, p. 481. l. 15. l. interpretatus, p. 517. l. 25. l. inſignes!


Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres
KODAK Color Control Patches
©Eastman Kodak Company, 1997
Kodak
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black
© The Tiffen Company, 2000
KODAK Gray Scale
C
Y
M
Kodak
LICENSED PRODUCT
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19